



2721

W-2752

CATALOGVS
HÆRETICORVM
S E V

DE MORIBVS ET ERRORIBVS
OMNIVM PROPEMODVM HÆRESI-
archarum, Hæreticorum, ac Schismaticorum quot-
quot ab ipso Christi æuo, ad nostram hanc vsq; æta-
tem, Ecclesiam Dei inquietarunt, pertur-
barunt vel obscurarunt,

TRACTATVS:

*Tam ex antiquis quàm recentibus S.S. Patrum, Con-
ciliarum, Historicorum aliorumq; Auctorum scri-
ptis ad iustum alphabeti ordinem con-
cinnatus.*

Studio ac labore Reuerendi P. THEODORI PETREI
Carthusiæ Coloniensis professi.

Vincentius Lirinensis contra Hæreses:
Hæreses cognoscere, debellasse est, & præuidisse, fugasse.

M. DC.



XXIX.

COLONIÆ

Typis & sumptibus PETRI A BRACHEL.



R/3.664

Baronius Tom. 7. in fine anni 519.

ITa planè accidere consuevit, ut deuiantes semel à recto tramite fidei
Orthodoxa per errorum abrupta ferantur infelices haeretici, inter
seipos sententiarum contrarietate disscissi, cum cuique liberum esse vi-
dent, quicquid velit adstruere. Qui & prurigne gloria iugiter
exagitati semper quicquid excogitare laborant, ex quo nomen nam-
cisci queant, de se cta primarium, dedignantur **H A E R E T I C I** sim-
pliciter nominari, & veluti gregales milites dici appetentes nomen
H A E R E S I A R C H A E, &c.



Admodum Reuer. do Clariss. Consultissimog, Viro,

D. HENRICO Synckhauf

**I. V. DOCTORI, S. R. E. PROTO-
NOTARIO, NEC NON DIVI ANTONII**
in vbijs Canonico Regulari, ac Seniori
meritissimo.



VANTAM malorum stragem in Christiane Reipub. quile deprauata hereticorum, ac Hæresiarcharum nequitia inuexerit, quos Christus rapacibus idcirco lupis comparat, norunt illi, Clarissime, Consultissimog, Domine Doctor, qui veteres Ecclesiasticorum annalium historias peruolutantes non sine graui merore, ac stupore ea legunt, & admirantur. Vix etenim vlla quantumuis atrox Ethnicorum in Christianos Tyrannorum persecutio, tantum Ecclesiæ nocuimenti intulit, quantum pestiferatum veterum, tum recentium Hereticorum à Demone in orbem introducta doctrina. Istorum namq, persecutione non minuebatur Ecclesiæ, sed multiplicabatur, non obscurabatur, sed illustrabatur, non supprimebatur, sed exaltabatur, Fassus id olim est vii oculatus ita & vetustus, imo Apostolicorum ferè temporum vicinus Author Tertullianus, dum constanti non minus, quam veraci calamo id ipsum gentilibus Romanorum Imperatoribus improperat dicens: Cruciate, torquete, probatio enim est innocentie nostræ iniquitas vestra, plures efficimur quoties metimur à vobis, semen est sanguis Christianorum. Et verò fremebant quidem gentes, irascebantur populi, potestates contendebant, sed per cruces ac tormenta, per neces ac supplicia Sanctorum triumphabat fides, succrescebat charitas, praualebat veritas. Confirmat id porro non solum insignis Ecclesiæ Doctor Augustinus, verum etiam Leo ille Magnus si nonter maximus Oecumenicus Christiani ouilis pastor. Quorum hic ita ait: Non minuitur persecutionibus Ecclesiæ sed augetur, & semper Domini-
cus ager segete ditioze vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Ille verò vberius ea de re scribens, dum creuit, inquit, Martyrum pugna, creuit & pugnantium gloria, & Martyrum triumphus multiplici pas-
sionum

*In fin. Apo-
logetici.*

*Serm. 1. de
B. Petro &
Paulo.*

D E D I C A T I O .

Sem. 17. de
Sanctis.

tionum genere adornatur, per quæ graviora tormenta gratiora fuere & præmia: dum Catholica mater Ecclesia per totum Orbem longè lateque diffusa in ipso capite suo *CHRISTO IESU* edocta, contumelias crucis & mortem didicit non timere, magis magisque roborata est non resistendo, sed perferendo &c.

a Lib. de
unitate Ec-
clesiæ.

Videns autem hoc atque invidens serpens ille tortuosus nequitia fautor, erroris auctor Martyrum videlicet constantia roborari Ecclesiam, Idolorum cultum immitti, Deorum delubra euerti, aras dirui, statuas deijci, alium longè pestilentiore nocendi fraudem excogitare coepit, eandem nimirum illam quam verbis hisce, eloquio simul ac Martyrio insignis, Cyprianus exprimit, dum ait, Diabolus videns Idola derelicta & per nimium credentium populum sedes suas ac Tempia deserta, novam excogitavit fraudem ut sub ipso Christiani nominis titulo, fallat incautos. Hereses siquidem inuenit & schismata quibus subuerteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem; Imo bella seditionesque ciceret, integrasque adeo respublicas euerteret, ac pessundaret, prorsus uti nulla belli clades, nulli contagiosa lues, nulla Tyrannis vehemens, ea posset esse nocentior, exitiosior, truculentior. Si quod enim bellum exarserit, tempestas senierit, pestis insanierit, persecutio detonuerit, ijs aliquando numinis beneficio cessantibus, ilico pax, tranquillitas, sanitas, prosperitas consequuntur. Heresis verò ubi per bachiari semel occeperit, nullum penitus malorum, exitiorumque finem facere potest. Experta est hoc Ecclesia ingenti suo malo, quando Arriana heresis annorum plus minus trecentorum spatio ita eam depopulata est, uti Orientem & Occidentem quaquà versum infecisse magnique nominis & Antistites & Imperatores seduxisse, secumque in sempiternæ salutis discrimen pertraxisse visa est.

b Athanas.
in vita il-
lius.

Cuius miserandam deplorandamque calamitatem magnus ille Eremita, Instituti que vestri denominatus fautor & Author Anthonius biennio, quàm exoriri inciperet, celitus prævidens, & in uberes lachrymarum fontes erumpens, hisce suis verbis discipulos allocutus est: Magnum quoddam & à sæculis omnibus inauditum imminet nefas, magno fides Catholica turbine quatietur, & homines iumentorum similes CHRISTI Sancta diripient. Vidi enim altare Domini Impiorum multitudine circumdatum, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant, Melius erat ò filioli impendens piaculum citâ morte lucrari. Atque hæc uti Anthonius rerum præsciis futurarum predicere: ita aliquantò post propriis ea oculis conspicere potuit, Lirinensis Vincentius, quando Arrianam cladem grauibus describens verbis: tunc, inquit, non solum parua res, sed etiam maximæ labefactatæ sunt; Nec enim tantum affinitates, cognationes, amicitia, domus, verum etiam vrbes, populi, Prouinciæ, nationes, vniuersum postremum Romanum imperium (Constantinus siquidem & Valens ob Arriana perfidia defensionem Orientalem &

Aduersus
Populanas
heresiconno-
nationes ca-
pit. c.

Uc-

DEDICATIO.

Occidentalem Ecclesiam miserandum in modum, afflixerunt) funditus concussum & emotum est. Tunc temeratae coniuges depopulatae viduae, profanatae virgines, monasteria demolita, disturbati clerici, verberati Leuitae, acti in exilium sacerdotes, oppleta sanctis ergastula, carceres, metalla, quorum pars interdicta vrbibus protrusa atque extorres interdeserta, speluncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti, affecti, contriti & tabefacti sunt. Neque vero Arriana duntaxat Persidia, Ecclesiae quietem turbavit, unitatem scidit, sed & ceteras quoque haereses, quod quot à Christo nato fuere, atque etiamnum sunt, consimilia vbiuis locorum designasse compertissimum est. Inficiunt etenim atque euertunt Haeretici Reges ac Regna, animas pariter & corpora in aeternae perditionis barathrum praecipitantes. sic Zvvinglius turbavit Heluetiam & Alsatiam, Lutherus Saxoniam & Germaniam, Calvinus Galliam & Belgium, Hussius Bohemiam & Hungariam, Menno Frisiam & Batavianam, dum vana insanaque cerebri sui commenta plebae multitudini pro puro putoque DEI verbo obtruserunt, eaque quasi pro Aris & focis decertantes propugnanda susceperunt. Quid enim? an non Hungaria per Haesim & Haeticos in turcarum manus peruenit? An non Belgium per eosdem magna ex parte à nativo suo Rege defecit? An non Bohemia ingenti suo cum damno, nuper spreto & excluso Ferdinando Casare, Palatinum omnia euertentem adsciuit? ut nihil hic dicam, quos motus superioris Austria Rustici religionis causa conscuerint. Qua bella Mansfeldus & Danus eidem Augusto nequicquam mouerint. Haec siquidem omnia haeresis peperit, has strages edidit, has calamitates orbi intulit. Neque enim fieri potest, ut ex dogmate prauo, possit bonus consequi fructus, aut melius, tranquilliusque viuere doceant illi, quorum animus felle amaritudinis exasperatus ac libidinis aestu inflammatus, nil nisi turbida ac turpia tā voce quàm calamo eructat. Horret profecto animus recordari quàm obscœna & absurda effutierint ac docuerint olim Nicolaitae, Encratitae, Adamitae, Ophitae, Gnostici, Manichaei, aliaque id genus Haesiarcharum monstra, & nuper parentum nostrorum memoria, Lutherani, Calviniani, Mennonitae, alique delirantes Cacangelici.

De quorum erroribus ac haesibus diuersorum extant scriptorum lucubraciones, utpote Irenaei, Epiphaniij, Philastrii, Lutzenburghii, Staphyli, Praeoli, Hofii, Lindani &c. Qui eam potissimum ob causam, praua haeticorum dogmata eruditae literarum suarum monumentis ad posteros transmiserunt, quod ea ad originem reuocasse suam, uti è veteribus nonnemo dixit, confutasse sit, simul ac ut Orthodoxae fidei tenacibus constet, in quam horrenda opinionum portenta incidere permittantur illi, qui vniuersitate, antiquitate, & totius Ecclesiae consensione posthabita, obdurant se contra manifestam Veritatem, non tam de alijs, quos in aeternae per-

diti-

DEDICATIO.

ditionis barathrum precipitant, bene meriti quàm de se male, utpote quibus studiũ est luci tenebras offundere, veritati resistere, religioni bellum indocere, omnia deniq; sursum deorsum miscere, eam potius gloriam captantes si stantibus ruinam, quàm si iacentibus eleuationem operentur; Quorum idcirco hæreses præfatorum insistens vestigiis authorum (ad hos etenim in dubiis recursum semper habendum, eorundemq; insuper verbis nonnunquam mihi utendum existimaui,) compendioso hoc **CATALOGO** in lucem protraxi; quem honoris amorisq; ergò Clarissimæ Consultissimæq; Dominationi tuæ inscribendum censeo: quatenus publicum aliquod apud posteros quouis ære perennis mutua extet beneuolentiæ indicium. Meretur siquidem hoc non solum nominis tui percelebris authoritas, sed & singularis vitæ probitas, insignisq; morum pariter ac verborum comitas. Cui ideo cõsuetudo cum doctis, conuersatio cum religiosis, consultatio cum magnis; à quibus non minus suspiceris, quàm diligeris, qui uti exiguam hancce opellam pro animi sui candore benignè acceptet, etiam atque etiam oro. Deceueram quidem auctiorem accuratioremque eam promulgare, conferendo videlicet veterum errores hæreticorum cum nouatorum nostrorum erroribus, ac hæresibus, eosq; insuper in medium scriptores proferre, qui singulas quasque vel ex professo refutarunt, vel ex obliquo, qua via methodoq; refutande sunt, insinuarunt: verum festinanter dolenterque emigranti ex pristina habitationis domicilio ac gratissimo Coloniensis cellula Museo, in qua una eademque ad annos septem admodum supra viginti eiusmodi studiorum occupationi libens gaudensque incubui: carenti quoque insuper solito librorum scriptorumque subsidio, nequaquam licuit voto potiri suo. Vnde veniam spero dabit posteritas simul ac Reuerendæ admodum Dominationis vestræ Humanitas, quod eo, quo nunc prodit modo aliorum sese conspectui offerat, cuius utique deuoto precum sacrificarumque suffragio commendatum me apud Deum iugiter haberi percipio. Ex Bethleemitica hac eremo, Anno virginis partus **M. D. C. XXVIII.**

Admodum Reuerendæ, Clarissimæ ac Consultissimæ Dominationis vestræ humilis
Clientulus,

F. Theodorus Petreius
Carthusianus.

Licentia

APPROBATIO.
LICENTIA REVERENDISS.
P. Generalis Ordinis Carthusiensis
authori concessa.

Placet nobis dilecte filii pius tuum & assiduum in Scribendo studium quod & laudamus, teque studiosè ad pergendum in illa propensa de re Christiana bene merendi voluntate hortamur. &c.

P. Bruno Prior maioris
Carthuf.

Et in alijs literis ad eundem.

Perstate igitur alacriter in hoc glorioso iuandæ Ecclesiæ studio, quod ut faciatis **GENERALEM** Vobis **LICENTIAM** damus, edendi in lucem cætera quæ excudetis opuscula. &c.

Approbatio Censoris Academiae Coloniensis.

Succinctus hic & clara methodo de hæreticis superiorum temporum & seculi huius nostri Catalogus, Authore Reuerendo D. Patre Theodoro Petreio Carthusiæ Coloniensis professo, ex fide dignis scriptoribus collectus, cum nihil contrarium fidei nostræ Catholicæ complectatur, typis committi & in publicum ad manus omnium prodire potest, modò ita visum fuerit Admodum Reuerendo & Eximio Domino Henrico ~~Franken~~ Sierstorphi, Gymnasij Laurentiani Regenti, &c. librorum censori ordinario. Dabam Anno 1627, 23. Nouembris.

Arnoldus Meshouius Lippiensis SS.
Theologiæ Licentiatus
Pastor S. Petri.

Placet imprimatur.

Henricus Francken Sierstorphius SS. Theol.
Doctor librorum censor.

AD LE.

AD LECTOREM BENEVOLVM.

Impatiens vbi ferre pares, vbi ferre priores
Caesar, in Ausonias intulit arma togas
Flent intestinis lacerati Marte Quirites,
Mæstaque ciuili vulnere Roma gemit.
Pompeius Patria miseratus in arma Petreium
Impulit, hic patrios protegat ense lares.
Inunc Tartaream vetus excute secta Megaram,
I nunc hæreticos sub styge quer: dolos.
Iam venit & melior Rhynchhaus Pompeius arenam
Petreiumque trabens in piabella tenet.
Annue æneas, viden: vt te principe pugnet,
Accipe qua facili Marte brauia tulit.

Balthasar Hildesheim SS. Theologiæ Candidatus,
Insignis Collegiæ Ecclesiæ Bonniensis
SS. Casij & Florentij Vica-
rius accinebat.

ALIVD.

Quid dictis iacto Theodori sparsa per auras
Omnes Petrei nuncia fama Patris:
Obnucleata nimis dextra comitante Minerva
Signans assiduis nomine scripta libris,
Nam fraudesue dolos diuersi dogmata falsa
Protulit hæretici relligione noui.
Ne tamen incassum series impensa laborum
Transiret, repulis posteritatis amor.
Scribere non potis est præcellens arte benigna,
Doctori Rhynchhaus dedicat ipse librum.
Immuni sceleris, unlli virtute secundo,
Quem canat æternis Calliope titulis.

Honoris amorisque ergo Ioannes Meul
SS. LL. Candidatus decanta-
bat.

CA.



CATALOGVS
HAERETICORVM
ET HÆRESIARCHARVM.

ADAMÆI, SIVE ADAMITÆ.
Anno Christi. 120.

AB.



Ommodùm accidit, quod auspiciantí mihi detestandos hæreticorum ac hæresiarcharum, tam priscae quàm nostræ ætatis errores ac nefandas turpitudines, primi sese *Adamai* offerant; qui vti nomen suum à primo humani generis parente mutuati sunt, ipseq; post diuinæ ob legis præuaricationem ex Paradiso, eliminatus est, ita & illi Ecclesiæ Catholicæ præcepta despicientes, ac nusquam audita ea tempestate dogmata comminiscences, è cœtu fidelium exterminari meruerunt. De quorum moribus ac hæresibus agit cum primis a *Epiphanius*, qui eorum Ecclesias quas ipsi *Paradisum* no- a *Hæresi 52.* minabant, lupanaria fuisse tradit. Hi exorti sunt circa annum Domini centesimum vigesimum, auctore nefandissimo quodam *Prodicus*, ludibrij magis quàm veritatis dogma habentes. Nudi enim penitè tum viri tum feminae simul conuenientes, ac preces lectionesq; nonnullas instituentes, sine honore ac pudore eas peragebant. Quorum hæresis, repullulare visa est in Bohemia Sigismundi Imperatoris tempore anno 1420. *Pikardo* quodam Duce. Quin & parentum quoq; nostrorum memoriã eiusmodi fanaticorum hominum genus vidit Amsterodamum, nobile Hollandiæ empo-

Prodicus
author *Ad-*
amitarum
anno 120.

2 AB CATALOGVS HÆRETICORVM

emporium; quando istic anno 1535. fæminæ nonnullæ in domo sartoris cuiusdam omninò inuestes (eas enim exuentes flammis exurendas tradidère) primò quidem precibus vacarunt, inde verò plateatim cursitantes, horrendâ vociferatione nouissimum imminere diem, proclamauerunt. De quibus Lindanus in *Dubitantio*. Cæterû *b* *Pikardus* ille, filium Dei se se iactans, *Adamus* nuncupari voluit. Cuius errores hi fuere primarij.

b Dialogo 2.
Adamitarû
errores.

Promiscua
connubia.

I. Adamitis suis promiscua quidem coniugia permittebat, ita tamen vt ab ipso congregandi prius facultatem requirerent. Quorum petitioni ille actutum annuens, *ut*, inquit, *creſcite, & multiplicamini.*

Nuptias im-
probant.

II. Et quia hæc nuditas fuit ante peccatum, ideò nuptias auersantes, nudi obambulabant; hinc suam fulcientes hæresim, quod antequam Adam peccasset, aut ex Paradiso abactus esset, nunquam vxorem cognouerit. Quo fit, vt credant nunquam nuptias futuras, si ille non peccasset.

III. Nudi quoq; sacramenta sua peragentes, & Paradisum Ecclesiam suam arbitantes, cum mulieribus concupiscentiam suam exercebât, fouebant, nutriebant.

ABELONII siue ABELONITÆ.

Anno 407.

e Lib. de
heresibus.

Horum mentionem facit D. *o Augustinus*, quorum hæresis rusticana fuit, quæ in agro Hipponensi, cuius ille Episcopus erat, exorta *Theodosii & Arcadii* Imperatorum tempore, citò finem habuit. Hi ab *Abele*, Ad. minatu minore filio nomen sortientes, superstitioso quodam continentia prætextu, coniugij vsum aspernari videbantur, etiamsi secundum dogma eorum, citra vxorum contubernium eis degere non liceret.

ABSTINENTES. ann. 287.

d Cap. 85.

Abstinen-
tium hære-
sicorum er-
ror.

e Ad annû
Christi 287.

De his agens *d* *Philastrinus*, ait eos Gnosticorum & Manichæorum particulam perniciosissimam æmulatos ac secutos fuisse, eandemq; non dubitasse prædicare suis persuasionibus, & hominum coniugia dirimere, ciborumq; abstinentiam prohibere. Qui porro in id inciderunt vesaniæ, vt dum de Patre Filioq; benè sentirent, de Spiritu sancto non item, cuius Deitatem inficiabantur. Hos putat *o Baronius* eosdem cum *Hieracitis* esse, de quibus suo loco.

ACE-

ACEPHALI seu ACEPHALITÆ.

Anno 433.

Acephalorum dux & antesignanus fuit *Severus*, impijssimus Antiochenfis Episcopus, circa annum Domini quingentesimum decimum tertium, qui etiam dicti sunt *Hesitantes*, eò quod neutri duarum aduersantium sibi inuicem partium inhærent. Hi Concilium Chalcedonense falsis prætextibus suscipere recusantes, duarum in Christo substantiarum proprietatem cum *Eutychete* Constantinopolitano Abbate, & *Dioscoro* Alexandrinæ vrbs Episcopo, & Manichæis pernegabant, vnamq; in eius persona naturam, diuinam videlicet (Deitatis & humanitatis naturam miscentes) eandemq; crucifixam asseriebant, ideoq; illum in ea vna tantum substantia adorandum, contra Chalcedonense Concilium, deprædicabant. Dicitur autem *Acephali*, id est, sine capite, quòd omnes huius factionis simul exorti, nullus eorum author repertus sit, à quo originem traxisse dicerentur. De quibus e *Nicephorus*, & *f Leontius*.

e Lib. 15
histo. eccl. 15
& De sect
act. 5. 604

ADDAM MANICHÆVS. ann. Domini 273.

Addam, qui & *Addas*, & *Adimanthus* dicitur, Manetis hæresiarchæ discipulus fuit, ternos sectatores habentis, *Addam* scilicet, *Thomam* & *Hermam*: ex quibus *Addam* ad Syros, ad Indos autem *Thomam* præcones misit. Hic rationes & disputationes scripserat contra legem & Prophetas, quibus ostendere conabatur, Euangelicam & Apostolicam doctrinam illis esse contrariam. Quas B. Augustinus luculenter confutauit eo libro quem contra eundem *Adimanthum* conscripsit. Fuerunt circa annum Domini 273.

* *Hermam*
Legis &
Prophetarum
impugnatio

ADELPHIVS. ann. 368.

Adelphius Messalianorum hæreticorum (qui & *Euchyte*, id est, *Orantes*, siue *Euthusiaste*, hoc est, *afflati & diuini*, quemadmodum *Theodoret* interpretis in historia tripartita verit, nominantur) Dux fuit: de cuius hæresi in eorum nominibus, aliquantò post dicetur.

ADESSENARI II. sub Carolo V.

Alessenarii sunt ex Sacramentariorum nostri seculi factione. Quorum, inquit, *Staphylus*, quatuor discrepantes sectas reperiri: *Alii* enim contendunt, quod corpus Domini sit in pane: *Quidam*, quod circa panem: *Nonnulli* quod cum pane: *Alii*, quod sub pane.

Quatuor
Alessenari
orū sectæ

4 AD CATALOGVS HÆRETICORVM
ADIAPHORISTÆ. Sub eodem Imperatore.

Hi possunt etiam *Indifferentiales* indifferenter nuncupari: qui quæ natura sunt eiusmodi, vt ad salutem nihil esse arbitrentur, seruent vel non seruent: hoc est, qui Ecclesiæ & Conciliorum legitimas constitutiones & ceremonias indifferentes esse asserunt; quas siue obserues siue violes, nihil te peccare penitus. Ita namq; Lipsienses Theologantes & Wittenbergenses in suo Lipsico INTERIM.

AERIANI seu AERII. sub Constantino I.

g Hæresi 75
h Lib. de
hæret. cap.
53.

Sortiti sunt nomen hoc ab *Aërio* quodam Presbytero, qui cum videret se Episcopi dignitatem ad quam ambitiosè aspirabat, consequi non posse, ea de causa in *Arrianam* hæresin prolapsus est; propria quoque dogmata eidem addidisse dicitur; missas & orationes pro defunctis fieri respiciens, sicuti apud Philastrum, g Epiphanium, & h Augustinum legimus. Insuper & ieiunia improbabant, purgatorium negabant, Presbyteratum & Episcopatum eiusdem esse gradus & authoritatis adstruebant. Et licet escas abominarentur, ab ijs tamen eos nequaquam abstinuisse memorati authores referunt. Quin & nuptias etiam damnabant.

AETIANI. anno 356.

Aëtium fuit
aurifaber.

Aëtij &
Arrij eadē
doctrina, li-
cet Arriani
Aëtium ex-
ecrarentur.
i hæres 75.
Eius turpif-
simū dogma
quod & Lu-
thero fami-
liare.

Suidas breui periodo Aëtij, à quo Aëtiani dicti sunt, vitam complectens, fuit, inquit Aëtius natione Antiochenus, Eunomij magister, pauperibus & vilibus parentibus natus. Pater eius infælicior, cæteris ad militiam delectis, obiit, hoc admodum puero relicto. Qui extrema conflictatus inopia, in aurificinam se contulit, & summus artifex euasit. Cum autem eius ingenium maiora studia desideraret, disciplinas eruditas complexus, ad Paulinum se confert, recens Antiochiam Tyrum profectum, Constantino adhuc regnante. Hunc audires, vires impietatis suæ satis euidenter demonstrabat in quæstionibus, quæ cum aduersarijs agitabantur; neque iam à multis resisti ei poterat. Et post pauca: Etsi autem idem sentiebat quod Arrius, eiusque opinionem stabiliebat, ab *Arrianis* tamen discernebatur; utpote à quibus pro hæretico habebatur. De cuius morum & impiæ doctrinæ cloacâ i S. Epiphanius differens, dicit eum ausum fuisse affirmare, nullum fornicationi, vel cuiilibet carnis insanæ voluptati peccatum inesse, & perinde ac necessaria naturæ opera idem esse quod aurem scalpere, nares emungere, & reliqua naturæ excrementa egerere, quod probè admodum imitatus est *Lutherus*, qui in libro quem scripsit de vita coniugali, inter cætera ait, omninò necessarium esse omnibus rei venereæ ysum, non minus

minus quam edere, bibere, excreare. & cæt. Cæterum, quantumlibet propter horrendas Aëtii blasphemias Arriani eum execrari visi sint, & eã ob causam frequentes contra eum Synodos cogere, vna tamen ipsorum omnium erat in Filij Dei diuinitate neganda latens impietas. Affirmabant insuper cum Lutheranis nostris Aëtiani, nullum peccatum quantumlibet graue imputari in fide manentibus; solamque fidem, absque vlllo alio opere satis esse ad consequendam vitam æternam. Ipse verò Aëtius iactabat sibi cœlitus reuelata esse quæ Apostolos Deus celasset. Quem Constantinus Imperator, immani eius impietate perspecta, anno Domini 359. damnauit & in exilium relegauit.

Heretici inter se dissidentes.

AGAPETÆ. Anno 398.

Agapetarum hæresim vel schisma potius, ab *Agape* muliere Hispana, & *Elidio* marito eius exortum esse, S. Hieronymus scribens ad *Ctesiphontem*, author est. Qui licet ab escis nonnullis abstinuerint, ieiunia seruauerint, connubia vitauerint, & cæt. Hieronymus tamen prauum *Agapetarum* dogma non immeritò in Epistola ad Eustochium redarguit, adeoque & *B. Chrysostomus* tanquam honestati minus conueniens, Constantinopoli sustulit.

k Cap. 20

l Epist. 22.

cap. 15.

m Pallad. dial. de vita Chrysoſt.

AGARENI, circa ann. 650.

Agareni ab *Agar* Abrahæ ancilla vocantur, licet quidam sectæ nomen esse asserant. Falsa autem appellatione *Saraceni* dicuntur, qui non ex *Sara*, legitima eiusdem Abrahæ vxore, sed ex ancilla prognati sint. Hi porro sunt filij eorum, qui ex hac progenie nomen Christianum per Apostolorum prædicationem amplexi sunt, sed à *Mahomete* per *Sergium* quendam Pseudomonachum decepto, ita dementati, vt vera pietate relicta, huius mendacijs & imposturis inhæserint, sub *Martino* huius nominis I. Romano Antistite & *Constante* Imperatore. Vnde Alcoranum potius, quàm Christi Euangelium sequuntur, diuersis errorum portentis implicati. De quo aliquantò post latius in titulo MAHVME TANI.

AGINNENSES circa annum 694.

Aginnenses hæretici cum *Tatianis*, *Encratitis*, *Manichæis*, *Montanistis*, *Aëtianis* alijsque complusculis, escas nuptiasque ceu immundas execrabantur; qui in Synodo Gangrensi damnati sunt, de quibus inferius.

Eorum dogmata.

6 AG CATALOGVS HÆRETICORVM
AGNOITÆ. anno 535.

Tradit *Leontius* eo tempore quo *Theodosius* hæreticus, Patriarcha Alexandrinus, Constantinopoli degeret, circa annum nimirum Domini 535, exortam esse *Agnoitarum* hæresim, ab ignoratione sic dictam. Quod enim Dominis dixerit, nemini de hora iudicij constare, ne filio quidem, sed Patri duntaxat, quæsitum esse an Christus eam ignoraret vt homo, magnaq; inde orta altercatione, *Theodosium* negasse Christum ignorare, atque idcirco à suis contrarium asserentibus diuisum esse, & aduersus eoldem scripsisse. *n* *Damascenus* verò affirmat eos qui à *Theodosio* nuncupati sunt *Theodosiani*, postea à *Iacobo* propagatore *Jacobitas*, itemque alio nomine *Aegyptios* esse appellatos: *AGNOITAS* autem à *Themistio* quodam eiuldem sectæ Principe *Themistianos* dictos; hosque insuper Christum ignauitæ & timiditatis arguisse, & vnâ in eo naturam coniunctam asseruisse. Agit de his *Nicephorus* lib. 18, cap. 50. & *Damascenus* lib. 3, de hæresib.

in Lib 3. de
hæresib.
Theodosia-
ni.
Iacobita.
Aegyptii.
Themistia-
ni.

AGRIPPINIANI. ann. 240.

Ab *Agrippino* Carthaginensis vrbis Episcopo, schisma hoc exortum est; qui rebaptizandos censebat eos, qui ab Ecclesia Catholica deficientes ad hæreticos, ab ijs tandem sanâ mente recepta, ad eandem rediissent. Quæ præsumptio, vt inquit *p* *Vincentius* in libro aduersus prophanas hæresiarcharû nouationes, tantû mali inuexit, vt nō solùm hæreticis omnibus formam sacrilegij, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præbuerit erroris. Cui errori non solùm *Stephanus* Papa cum cæteris quibusdam collegis suis tunc restitit, verùm etiam *B. Augustinus* in opere contra *Donatistas* eundem refellit, potissimum libro tertio, sexto, & septimo.

p Cap. 9.

AIRANI. circa ann. 377.

De his agens *Prateolus*, dicit eos fuisse temporibus *Valentiniani*, *Gratiani*, & *Valentis* Imperatorum, vocatosque *Airanos*, seu *Arianistas*, à quodam *Aira* eorum Duce, qui Spiritus sancti consubstantialitatem cum *Polychronio*, *Telemacho*, *Fausto*, & alijs impugnabant; habuisseque illos multa communia cum *Arrianis*, *Macedonianis* & *Eudoxianis*.

Eorum hæ-
resis de Spi-
ritu sancto.

ALBANENSES. circa ann. 795.

De his agens *q* *B. Antonius*, dicit eos multos habuisse errores cum *Ba- iolensibus* & *Concordensibus* communes, emerferuntque *Leonis* tertij Pontif. & *Constantini* VI. Imperatoris temporibus; quorum nouendecim hæreses *Prateolus* ex ordine percenset, ex quibus hæ primariæ sunt. Duo in primis

q In summa
4. tit. II.
cap. 7.
Eorum hæ-
reses.

confi-

constituebant rerum principia cum Gnosticis; Deum videlicet bonum, & malum, id est, dæmonem; dicebantque Christum non pertulisse veras hominis pænalitates, neque illum Deum esse; negabantque insuper corporū resurrectionem, ac liberum arbitrium; infernum etiam ac purgatoriū inficiabantur, ac matrimonium detestabantur.

ALBIGENSES vel ALBIANI.

Anno 1176.

Hi exorti sunt in partibus Tolosanis, tempore Alexandri Tertij Pontificis; vocabantque se ipsos *Bonos homines*, etsi reuera pessimi essent: utpotè eò dementiæ progressi, ut cum vrbs Biterranensis à Catholicorum exercitu obsideretur & expugnaretur, in qua illi detenti erant, sacrum Evangelij codicem arripientes, illumque (pròh scelus) commingentes, de muro in Christianos coniicerent, & sagittas in eundem contorquentes, in hunc modum vociferarentur; *ecce lex vestra miseri*. Quorum hæresis in tantam potentiam euasit, ut breui temporis interuallo, mille propemodū ciuitates infecerit; adeò quidem, ut si gladijs fidelium compressa tempestiuè non fuisset, vniuersam potuisset Europam corrumpere. Hi negabant baptismum paruulis ad salutem prodesse: Sacramentum corporis ac sanguinis Christi blasphemabant, ipsius corpus non aliter in pane quàm in alijs rebus esse censentes. Ecclesias adire orationis causa, vel in eis orare, nihil prodesse dicebant; corporum resurrectionem cum *Saduceis* negabāt, quidquid beneficij defunctis à viuis impenditur, irridebant; infernum sicuti & purgatorium nihili faciebant. Quos licet Rogerius in Annalibus Anglicanis *Arrianos* vocet, fuerunt tamen *Manichæis* potiùs, quàm *Arrianis* affines; Contra quos destinauit Alexander Tertius Petrum Legatum Cardinalem S. Chrysogoni, indixitque in annum 1179. Generale Lateranense Concilium.

ALASCANI. sub Carolo V. Imperatore.

IOHANNES à Lasconatione Polonus, genere nobilis, eruditione vulgaris, voluit & ipse sibi nomen conciliare; vnde *Sacramentariis* adhærens, nouam verborum Cœnæ Domini expositionem commentus est. *Hoc, inquit, id est, non panis, sed tota hæc cœna actio, est corpus meum*. Imo Erasmus Alberus libro secundo contra Carolstadium, ait hunc *Iohannem Lascum* duodecim modis verba cœnæ detorquere, baptismumque planè reijcere, quatin ob rem cum esset *Antilutheranus*, tam exosus redditus est Lutheri affectis, uti ne hospitio quidem illum suscipere dignarentur. Nam

cum

8 AL CATALOGVS HÆRETICORVM

*Surius ad
ann. 1553.*

cum circa annum Domini millesimum quingentesimum quinquagesimū tertium ex Anglia, vbi tunc Maria Regina Catholica rerum potiebatur, duabus cum nauibus in Daniam se conferret, sperans se illic per hyemem latitaturum, Dani cane peius & angue Sacramentarios exosos habentes, hospitio eos excipere detrectarunt. *Lutherani* enim non ferunt *Sacramentarios*, vti nec *Sacramentarii Lutheranos*. Hinc vna cum complicibus ad maritimas Saxoniae vrbes *Laskus* se recipiens, istic quoque repulsam ab iisdem passus est. Tandem verò post longos viarum circuitus, in Phrisiae Orientalis oppido Embdano nidulum reperiens, venenata pectoris sui dogmata longè lateque effudit ac propagauit; quem vti obijisse memorant anno 1560. ita de eo videndus est *Lindanus* libro secundo ad fratres Catholicos Germaniae & Galliae.

ALMARICVS anno 1204.

Eius errores

Fuit hic natione Gallus, patria Carnotensis. Lutetiae Parisiorum doctorali laurea insignitus. Qui ingenio suo abusus, eodem illo tempore quo *Albigenses* ibidem errores suos sparsere, absurda quaedam dogmata effutire est aggressus; docens nimirum corpus Christi non aliter esse in pane Eucharistico, quàm in alio pane, & in qualibet alia re, transubstantiatione pernegans: tum etiam Deum sic locutum fuisse in Ouidio quàm in Augustino. Negabat proinde resurrectionem corporum: nec non & Paradisum, ipsamque adeò infernum. Aras sacras, imagines, Sanctorumque inuocationem irridebat, Cuius quidem viginti errores à nonnullis enumerantur. De quo *extra de summa Trinitate & fide Catholica* cap. finali. Reprobamus & condemnamus peruersissimum dogma impij *Almarici*; cuius mentem pater mendaciorum sic excæcauit, vt eius doctrina non tam hæretica, quàm insana sit censenda.

ALOGI sine ALOGIANI. ann. 196.

Christi diuinitatem negabant.

Hos initium habuisse temporibus Victoris Papæ ac Seueri Imperatoris author est Baronius; trahentes inde nomen quod ratione seu verbo carerent, hoc enim est *alogos*; Cuius sectæ fuit *Theodotius* quidam Byzantius hæresiarcha, vnde & *Theodotiani* postea appellati sunt: reijcientes non solùm Apocalypsin, verum etiam Euangelium S. Iohannis, & eum qui in ipso est ex supernis à Patre semper Deum VERBUM. De quibus agit Epiphanius hæresi quinquagesima secunda. Dicens *Theodotium* hunc fuisse quidem arte coriarium, verum multæ eruditionis ac doctrinæ.

A M.

AMBROSIANI, qui & Pneumatici.

Exorti sunt hi tempore Caroli V. Imperatoris, à quodam *Ambrosio* ita dicti; qui tantopere sui spiritus, vt *r Lindanus* ait, suggestiones & Dei reuelationes iactitabat, vt vtrumque testamentum reiecerit, vti contra Confessionem *Zvvinglii* habet *Eccius*: sunt autem sectæ Anabaptisticae. *r dialogo 2. Dubitantij*

AMBSDORFFIANI. sub Carolo V. an. 1542.

Ambsdorffiani sunt ex rigidorum, vt vocant, Confessionistarum factione, à *Nicolao ambsdorffio* ita nūcupati affirmāte bona opera homini esse ad salutem perniciosa. Edidit enim libellum, cui titulum indidit *bona opera esse ad salutem perniciosa*. Hunc quidem *ambsdorffium* Saxonix dux sub annum Domini 1542 obtrusit Numburgensibus antistitem: verum *Carolus Imperator*, eo amoto, *Iulium Pflugium* ante à Capitularibus Canonicis electum substituit.

ANABAPTISTÆ, eodem planè tempore.

Impia horum fanaticorum hominum secta, cum nostra Patrumque nostrorum memoria, non parum dilatata sit, sed in varias diuisa sectas mirè dissectas, hinc varia quoque non minus ridicula quam portentosa sibi nomina adscitit. Sunt enim inter illos *Muntzerici*, *Adamei*, *Hutita*, *Melchiorita*, *Mennonita*, *Frumentarii*, *Literarii*, *Copronymi*, *Adiaphori*, *Clancularii*, *Manifestarii*, *Scripturarii*, *Ollarii*, *Sanguinarij*, *Libertini*, et id genus complures alij, pro locorum hominumque quibus orti nominibus. De quibus diffusè satis suo in *Dubitantio* agit *r Lindanus*, & ex illo *Gabriel Prateolus*, nec non & *r Hofius Cardinalis*. Et quidem horum cum primis error erat, quod negarent paruulos esse baptizandos, haurientes id ex scriptis potissimum *Lutheri*: qui ad *Waldenses* scribens, inter alios illorum articulos reprehendebat & hunc, quod paruulos ad futuram fidem baptizarent, quam adulti consecuturi sint: *præstare enim inquit, prorsus omittere baptismum in paruulis, quam baptizare sine fide: quod sacramenta neque debeant, neque possint sine fide suscipi*. Quin & *v Melancthon Carolstadium* designat paruulorum baptismum improbasse, quemadmodum etiam *Alberus Erasmus* eum facit Anabaptistarum patrem. *Thomas* porro *Muntzerus*, & *Balthazar Pacimontanus*, sicuti & *David Georgius*, haudquaquam segnes se in hac producenda propagandaque secta parentes præstiterunt, quorum primus in bello rusticano captus & decollatus est; postremus verò *Basileæ* ex sepulchro extractus, atque vnà cum scriptis suis exustus, y ibidem sub patibulo tumulatus est. Habent autem Anabaptista dogmata complura perniciosa, è quibus

Errores.

hæc præcipua: uti negant prodobaptismum, ita iam adultos iteratò baptizant: volunt omnia esse communia, etiam vxores, dominationem spernunt, negant licere alijs inferre bellum, negantque Christum ex Virginis carne, aut humana substantia natum, sed ex substantia Patris cœlitus attulisse corpus &c. Est hominum genus arreptitium ac valde fraudulentum, adeoque suis in erroribus dementatum, ut hilares nonnunquam mortem oppetant, quas autem tragædias ac turpitudines *Monasterii* in Westphalia, *Amsterodami* in Hollandia alijsque in locis anno superioris sæculi trigesimo quarto & quinto, exercuerit, constat ex commentario *Surij*.

ANGELITÆ circa ann. 494.

2. lib. Ec-
clesiast.
hist. 18
cap. 49
Angelita-
rum here-
sis.

Angelita authore z *Nicephero*, à quodam *Alexandriæ* loco, *Angelii* nomen habente appellati sunt, in quo conuentus cogebant, docentes alium esse Patrem, alium Filium, & alium Spiritum Sanctum: non esse autem horum quemque per se ipsum natura, sed communem habere Deum siue Deitatem in eis existentem; atque de ea Deitate indiuisibili modo participantes, quemlibet esse Deum. Emerferunt autem tempore *Symmachi* Pontificis & *Anastasi* Imperatoris.

ANGELICI anno 260.

a Heres.
60
b Heres.
39.

Quoniam authore hi progressi sint, & quæ eorum dogmata exstiterint, testatur a *Epiphanius* haud se potuisse compertum habere: quippe quorum secta citius extincta fuerit, quam nomen eius cum authore latius diffamari quiuerit. *Augustinus* verò *Angelicos* dicit b in Angelorum cultum inclinatos fuisse.

ANOMIANI siue ANOMÆI ann. 360.

c anno 381

Dicti sunt hietiam *Aëtiani* & *Eunomiani*: quorum Duce *Eunomio* ea exstitit arrogantia & impudentia, ut præter alias impietates, Dei se naturam comprehendere blasphemarent, quos aliquot homilij aduersus eos peculiariter editis & inscriptis, egregiè conficit *Chrisostomus*, suntque damnati in c Oecumenico Constantinopolitano Concil.

ANTICHRISTIANI sub Carolo V. uti & olim.

d Cap. 4.

Tertullianus in d opusculo de præscriptione aduersus hæreticos, qui, inquit ANTICHRISTI interim & semper, nisi CHRISTO rebelles? Hoc siquidem nunc sunt hereses, non minus doctrinarum peruersitate Ecclesiam

CHRISTI

CHRISTI persequentes, quam tunc Antichristus persecutionum atrocitate persequetur. Hinc est quod *e* Iohannes dicebat suo tempore, Antichristos multos esse. Sicuti & de hæreticorum Antichristianismo sensisse nonnullis videtur apud *f* Clementem B. Petrus; cum vltimum par dissidentium ac concertantium facit Christum & Antichristum; Dum ait; Decem ergo paria huic mundo destinata sunt ab initio seculi. Cain & Abel, unum fuit par. Secundum, gigantum & Noe. Tertium, Pharaonis & Abraham. Quartum Philistinorum & Isaac. Quintum, Esau & Iacob. Sextum, Magoram & Legislatoris Moysis. Septimum, Tætatoris, & Filii hominis. Octauum Simonis Magi & Petri. Nonum, omnium gentium, & illius qui missus fuit seminare verbum inter gentes B. Paulum vult intelligi. Decimum Antichristi & Christi. ad hoc etiam facit locus quidam in epistola S. Ignatii ad Hieronem, in hæc verba. Si quis infalsauerit legem & Prophetas, quos *CHRISTVS* presens adimpleuit, sit tibi tanquam Antichristus Cæterum, varios hac tempestate nostra *ANTI-CHRISTIANOS* reperiri posse asserit *g* Lindanus libro, quem de vera certa que per *CHRISTIE SV* Euangelium salutis æternæ via edidit; quidam enim Christum aiunt, quod in cruce desperarit, damnatū, vti Anonymus quidam præmonstratensis familiæ monachus. Alij *CHRISTVM* negant verum illum Messiam fuisse, sed alium cum Iudæis exspectandum, quemadmodum *Bucero* tribuitur.

ANTIDICOMARIANITÆ, siue ANTIMARIANI;
qui fuere ut olim, sic & nunc

Non mirum, si varij varijs ætatibus reperti sint hæretici ac Hæresiarchæ, qui se sacratissimæ virgini Deiparæ opposuisse legantur; quando id primū eorundem parentem antiquum videlicet serpentē etiam ausum fuisse comperiamus; qui etsi *h* eius calcaneo insidiatus sit, contrito tamen *h* capite nequicquam laborauit. De quo, sicuti & de adhærentibus sibi hæreticis pulchrè hunc in modum *i* B. Bernardus: *MARIA* nimirum est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura. Cuius planè calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa: sola enim contriuit vniuersam hæreticam prauitatem. Alius non de substantia carnis sue Christum edidisse dogmatizabat. Alius paruulum non peperisse, sed reperisse sibilabat. Alius vel post partum viro cognitam blasphemabat. Alius Dei matrem audire non sustinens magnum illud nomen, theotocos, impiissime sugillabat. Sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, & beatam eam dicunt omnes generationes. Hæc ille non minus mellifluè quàm veridicè *k*. Epiphanius porro affirmat. Apollinarem hæreticum discipulos quosdam reliquisse, qui hanc hæresim in Arabia aduersus Dei geni-

tricem disseminabant, qua dicerent eam post natum CHRISTVM, Iosepho viro coniunctam esse. Quam quidem scelestissimam opinionem

Helvidiana Helvidius in Occidente pariter propagare studuit. At verò improbus ille *heresis* *Copronymus* Imperator præcipere est ausus, ne quis MARIÆ intercessionem imploraret; non enim opitulari, inquit, cuiquam potest, cum nihil alijs mulieribus dignitate præstiterit. Quam quidem sacrilegam improbitatem nostræ tempestatis ANTIMARIANI, non tam æ-

Lutherus in sermone de natiuit. Mariae.

quasse, quàm superasse videntur. Quorum antesignans ita ait. *I Sumus pares matri Dei, & aequè sancti (ô blasphemiam horrendam!) sicuti illa; nisi quod non possumus esse Dei matres, sicut illa fuit.* Nec multò secius discipulus

m ad cap. 2. Iohann.

eius *m Melanchton; Christus, inquit, matrem reiecit, ut aequet eam alijs hominibus, cum inquit, quid mihi tecum est mater?* Quid verò versutus ille

n. Calvin. in harmonia

Lucianus, an aliquid melius depromit, dum ait: *non magnoperè laborandum est, ut Mariam ab omni purgemus vitio.* Quos tamen sacrilego superare

Euangel. ad cap. 1. Luca

calamo contendit o Iohannes quidam Schenckius, dum asserit sacratissimam

o ad Euan- gel. de Chr. conceptione,

hanc Deiparam Virginem *non solum corruptam & vitiatam naturam habuisse, sed etiam in suis cogitationibus, verbis, vita, conuersatione damnabilem personam mansisse, mortis & inferni terroribus obnoxiam.* Hæc quidem illi mali-

p lib. 4. in Aristot. c. 10.

tiolose in hanc Dei matrem effutire non verentur; quando interim antiqui

S. 17. Eccl. 2 v. 31.

Patres & vitæ sanctimonia & miraculorum gloria illustres, longè aliter de eadem & scribunt & sentiunt. Nam B. Bernardus, quem p Calvinus ita loqui fatetur, vt veritas ipsa loqui videatur, locum illum Ecclesiastici enar-

q Epist. 174

rans: *in plenitudine Sanctorum detentio mea,* in hunc modum scribit. *Verè in plenitudine Sanctorum detentio Virginis MARIÆ: cui non defuit fides*

Præclarum B. Dionysij

Patriarcharum, Zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, sed nec ipsa puritas Angelorum. Et alio quodam in loco de ea-

Areopag. de D Virgine. testimoniū.

dem loquens; q Ego, inquit, puto, quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, qua ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem. Quod nemini alteri in natis quidem mu-

l. Heresi 78

lierum creditur esse donatum. Sed quid Bernardum refero, quando de Dionysio Arcopagita, qui B. Virginem in carne videre meruit, legitur quod ex Græcia in Iudæam ad Iohannem Euangelistam se contulerit; rogans vt ei præstantissimam illam fœminam ostendere dignaretur, ex qua vniuersorum principium nasci & prodire voluit. Quam cum oculis suis conspex-

isset, cum in tanta claritate, luce & gloria eam intuitum, vt præ admiratione deficiens, mox in terram corruerit; tandem verò ad se reuersum dixisse: *nisi ex ratione naturali & fide nouissem aliam esse Deitatem, non putassem præter hanc esse aliam.* Quis igitur (vt tandem verbis B r Epiphaniij holce-

Mariomastygas conueniam ac confundam) collecta sibi ipsa mentia, blasphemam quãdam opinionem impingere voluerit, & os tollere, linguamq; laxare, labia

labia distrahere ex cogitatione prava, imò pro hymnis & gloria contumelias excogitare, & in sanctam VIRGINEM debacchari, & vas honoratum non colere?

ANTILUTHERANI sub Carolo V. ann. 1524.

Lindanus in *s. Dubitantio* refert hos ad tertiam classem *Euangelicorum* nostri temporis: utpote qui Lutheri occasione ab Ecclesiæ Catholicæ doctrina desciscentes, dogmata consecrantur Lutheri contraria. Quorum famosissima est factio *Sacramentarium*, qui ab Andrea Carolstadio Archidiacono Wittenbergenfi originem ducentes, affirmant non esse præses in cæna corpus Domini, detorquendo verba Christi in hunc sensum: Corpus meum quod pro vobis datur, est hoc quod hic assidet mensæ. Cæterum hæc *Antilutheranorum* leu *Sacramentarium* factio, tam fuit statim sub eius exortum, dispersa ac dissecta, prorsus ut intra biennium in fenas aut septenas diuersas opiniones excreuerit. Quemadmodum ipsemet Lutherus conqueritur sermone super Sacramento Haganoræ anno Domini, 1527. Vocantur enim *Oecolampadiani*, *Martyriani*, *Buceriani*, *Farrollista Calvinista*, *Bezani* & *Boquini*. quin & *Marcionistas* inter illos reperisse licet, qui cum veteri hæretico *Marcione*, carnis resurrectionem inficiantur: qui & *Richerii*, à *Petro* quodam *Richerio* Carmelitanæ familiæ excucullato monacho, nuncupantur. &c. prout latius apud *Prateolum*.

l. Dial. 26

Sacramentarium factio.

ANTIDÆMONIACI sub eodem.

Antidæmoniacy sunt ex *Rigidorum Confessionistarum* familia: qui teste *Frederico Staphylo*, negant esse diabolum, & malos spiritus; nec vllas esse incantationes aut maleficia per dæmones concitata. Ita enim docent *Georgiani*, *Davidici*, & *Osiandrini*.

ANTIDIAPHORISTÆ sub eodem.

Pertinent & hi ad *Rigidorum* factionem *Confessionistarum*, eodem teste *Staphylo*, reljcientes antiquos Ecclesiæ ritus, omnemque Episcoporum iurisdictionem. Quemadmodum constare potest ex scriptis *Flacci Illyrici* contra *Wittenbergenses Adiaphoristas*.

ANTISVENCFELDIANI sub eodem.

Hocce hominum genus eiusdem omninò farinæ, omnem fidei Christianæ causam rationemque in vocali *Ministorum* seu *Concionatorum* suorum

suorum ministerio constituunt. Ita idem *Illyricus* in scriptis aliquot contra *Syvenfeldium* editis.

ANTICALVINIANI sub eodem.

Hi ad eandem classem pertinentes, etsi rectè asserant realem Domini corporis præsentiam in cœna Domini, falsò tamen transelementationem & adorationem negant; falsò quoque asserunt, extra usum non esse Sacramentum. Quemadmodum ex *Ioachimo Westphalo* in responsione contra *Caluinum*, alijsque diuersis hæreticorum scriptis constare potest.

ANTISTANCARIANI sub Carolo V.

Antistancariani sunt ex extrauagante *Confessionistarum* nostri temporis secta; qui vt *Stancari* opinionem refutarent, asserentem Christum esse iustificatorem iuxta solam naturam humanam, exclusa diuinitate; asseruerunt illi adeo Christum iuxta vtramque, hoc est & diuinam & humanam naturam, iustificatorem esse, vt non dubitent contendere, diuinam Christi naturam vnà cum humana in cruce mortuam esse. Ita namque *Musculum* sentire, editum ipsius de sententia Lutheri *Schediasma* testatur.

ANTINOMI, ann. 1538.

Antinomi, quasi legem impugnantes, vel legi diuinæ aduersantes dici possunt: vtpote qui vsque adeò Euangelium efferunt, vt affirment legem Dei prorsus inutilem, & neque ante neque post iustificationem necessariam esse: possuntque *rigidos* inter *Confessionistas* locum meritò sortiri; à *Ioanne a Islebio*, Lutheri ciue ac discipulo exorti. Qui quidem *ANTINOMI* anno superioris sæculi trigesimo octauo, magno se agmine effuderunt, & præcipuam Saxonix partem immundo contactu contaminauerunt. Quorum errores, horrenda, & blasphema mendacia *Synodus Mansfeldica* ita articulatim percenset.

Impia Antinomorum dogmata.

1. Lex non est digna, vt vocetur verbum Dei. 2. si meretrix es, si scortator, si adulter, vel quicumque alius peccator, tantum crede, & es in medio salutis. 3. Cum in medio peccati hæres, tantum crede, & es in medio salutis. 4. Decalogus ad curiam pertinet, non ad suggestum. 5. Quibuscumque cum Moyse res est, rectâ via tendunt ad diabolum, imò ad malam rem cum Moyse. 6. Non sunt homines præparandi ad Euangelium per prædicationem Legis; Deum autem hoc facere necessum est, cuius id opus est proprium. 7. In Euangelio non debet agi de violentia Legis, sed tantum de vio-

de vio-

de violentia filij. 8. Audire verbum, & sentire in corde, est proptia Evangelij consequentia. 9. Petrus non intellexit Christianam libertatem. 10. Dictum Petri: *certam facite vocationem vestram per bona opera*, est inutile. 2. Pet. 1. vers. 10.
 II. Quando cunque talis tibi incidit cogitatio, hoc vel illo modo rem geri in Ecclesia debere, vt homines sint boni, honesti, modesti, sancti, & casti; iam aberrasti ab Ecclesia. Sed valeant *Nugatores* cum nugis hisce suis, quarum iam abundè satis.

ANTHROPOMORPHITAE ann. 400.

Anthropomorphita, qui & *Vadiani*, exorti sunt in partibus Ægypti circa annum quadringentesimum, quando monachi, nonnulli Originistæ, quos Longos nuncupabant, à *Theophylo* Alexandrino, ex Nitriæ Ægypti monasterijs expulsi, Constantinopolim peruenerunt, magnas illic tragædias excitantes, ac dicentes, Deum humanis fuisse membris præditum, eò quod Lex & Prophetæ, adeoque & Scriptura penè tota, aures, nares, oculos, manus, pedes, aliaque corporis membra Deo attribuat, vnde & ab errore nomen quoque sortiti sunt; nam *ἄνθρωπος* Græcè, hominem significat. De quorum hæresi agens *t. Nicephorus*, dicit eam exortam esse ab *Audao* t. li. 11. hist. cap. 140 quodam natione Syro, qui sub Constantio ac Constante vixit, anno Christi. 341. vnde & *Audiana* hæresis, de qua post dicendum, profluxit. Quin & eadem quoque *Anthropomorphitarum* hæresis sub Henrico I. auctore, & Iohanne XI I. Pontifice circa annum 454. denuò pullulare Paduana in Prouincia cæpit; quam *Byacherus* Veronensis Episcopus quantocyus comprimere studuit.

ANTOSIANDRINI sub Carolo V.

Hos de *rigidorum* Secta esse *Confessionistarum* author est *Staphylus*, dicens eos quidem negare hominem ea iustitia, qua Deus ipse iustus est, essentialiter iustum fieri, sed illum imputatiuè, id est, vt *Illyricus* explicat, non re ipsa, sed verbo tantum iustum pronuntiarum. Dicuntur hi etiam *Osiandromastiges*. De quibus exstat *Joannis Functij* scriptum de origine *Osiandrina litis* contra *Staphylum*.

APELLITÆ. circa ann. 146.

Traxerunt hi nomen ab *Apelle*, Marcionis hæretici discipulo, qui & *Apelliani* nuncupati sunt; contra quos scribit *v. Epiphanius*. Et licet Marcion diuersos habuisse discipulos legatur, hunc tamen inter illos famosissimum

e. li. de pra- mum fuisse constat. Cuius haereses aliquot commemorat *Tertullianus*,
script. ca. 51. dicens eum post carnis lapsum à præceptore suo desciuisse, nouamque
7. cap. 6. sibi sectam cōfinxisse, idq; opera meretriculæ cuiusdam *Philumenes*, à dz-
 mone agitatae, quam tamen *Apelles* aiebat ad prædicendū futura diuinitus
 inspiratam. Nec id tacuit *Tertullianus*, qui y eodem illo opusculo hac de re
 scribens, hunc in modum ait. *Providerat iam tunc Spiritus Sanctus futurum*
in virgine quadam Philumene Angelum seductionis, transfigurantem se in An-
gelum lucis: cuius signis & prestygiis Apelles inductus, nouam heresim induxit.
 Hæc ille.

*Apellis erro-
res aliquot.*

1. Iohan. 4.

Dicebant autem *Apelliani*, Christum carnem suam non de matre, sed
 ex elementis accepisse, quam resurgens ex mortuis, mundo reddi-
 dit, & ita sine carne in cœlum ascendisse. asseriebant deinde duos esse
 Deos, vnum boni, alterum mali creatorem; quin & Prophetis mendaci-
 um impingebant, dicentes eos contradictoria scripsisse. Negabant quoq;
 cum *Saducais* carnis resurrectionem. Tantæ denique peruersitatis fuere,
 vt ex epistola B. Iohannis eraserint hæc verba, *Omni spiritus qui non confi-*
tetur IESVM CHRISTVM in carne venisse, ex Deo non est, ne scilicet erro-
 ris conuinci possent. Contra quos *Rhodon Asianus* genere, *Tatiani* hære-
 tici discipulus librum composuit: in quo non solum impietatem eorum
 refellit, verum etiam authores dissectionis accuratè recenset.

APHTHARTODOCITÆ circa ann. 563.

*e. li. 17. hist.
cap. 29.*

*a ad ann.
563. nu. 1.*

Viguit portentosa hæc hæresis sub Iustiniano I. Imperatore, qui quo-
 tidie cum hæreticis agens, hausit eorum venenum, & Christum carnem
 corruptioni minimè obnoxiam habuisse, cum *Aphthartodocitis* credidit:
 quemadmodum prolixè & *Nicephorus* commemorat, & ipse etiam *Baro-*
nius tomo septimo, huius hæreseos *Iustinianum* non immeritò infimulat.
Aphthartodocite porrò etiam *Incorruptibiles* seu *Phantasiastæ* nuncupaban-
 tur; qui quidem sic incorruptibilem & passionum penitus expertem
 CHRISTI carnem affirmabant, vt tamen si voluisset, eandem subijcere
 passionibus valuisset, quod Catholicæ Ecclesiæ doctrinæ repugnat.

APOCARITÆ circa ann. 279.

Secta hæc à *Manote* tempore *Euthychiani* Pontificis, & *Taciti* Romano-
 rum Imperatoris exorta est; variasque regiones & vrbes ita infecit, vt ne
 post annos quidem ducentos consopiri satis quiuerit. Hi enim cum *Gno-*
sticis aduersus Dominum & Ecclesiæ fidem conuenientes ac conspiran-
 tes, adstruebant animam hominis aut Dei esse substantiam, aut ex Dei
 substantia, quorum fit mentio c. de hæreticis, l. *Arriani*.

A P O L -

APOLLINARISTÆ circa ann. 370.

Fuere Laodiciæ in Syria sub Valentiniano & Valente Imperatore, duo *Apollinares*; pater scilicet & filius, qui etsi multa olim in Ecclesia præclara præstitissent, ab ea tamè desiscetes ad impia aliquot concinnanda dogmata prolapsi sunt; vtpote perfectam CHRISTI Incarnationem diminuentes, animam ab homine detrahentes. Fuit & ille *Apollinistarum* error quod antiquam *Millenariorum* hæresim reluscitare conarentur. CHRISTI quoque carnem de cælo allatam somniabant, ac per Virginem tanquam per canalem defluxisse, eamque Verbo ac Deitati coæqualem esse ac coessentialem & coæternam: Ipsum autem Verbum sic carnem factum esse, vt penitus in ipsam transmutatum esset, & à propria natura immutatum. Fuisse præterea *Apollinaris* de origine animarum, eandem cum *Tertulliano* sententiam^a S. Hieronymus testatur, eas nimirum ex traduce generari, atque instar corporum ex corporibus, ex animabus animas propagari &c. Contra quem *Damasus* Papa Romæ Concilium conuocauit anno 373. in qua ipsa hæc hæresis omnium calculo damnata est, vnà cum authore eius, huiusque discipulis *Vitale* & *Timotheo*, alijsque omnibus sectatoribus eius.

Apollinistarum errores.

^a Epist. 82. ad Oceano

Damnatur in Concilio Romano ann. 373.

APOSTOLICI, vel APOTACTICI. ann. 260.

Qui de hæreticis hisce scribunt, vtpote^b *Epiphanius* & ^c *Augustinus*, putant eos germen fuisse *Encratitarum* & *Catharorum*; *Apostolicos* se lenuncupantes ob exactum disciplinæ studium; *Apotacticos* autem, à renunciatione, eò quod coniugijs & bonorum possessionibus renunciarent. At non in hoc, inquit^d *Baronius*, eorum error consistebat, cum tales habeat Ecclesia Catholica & monachos & clericos plurimos: sed ideo isti habiti sunt hæretici, quòd ab Ecclesia se separantes, nullam spem salutis existimarent eos habere qui vterentur ijs rebus. Vnde ad suam roborandam impietate vtebantur actis *Andrea* & *Thoma*, ab Ecclesia reiectis & damnatis. Porro etiam B. Bernardi Clareuallensis ætate exortos fuisse eiusmodi hæreticos quosdam, homines nimirum rusticanos & idiotas, qui, quòd nullum à quo denominari possent, authorem haberent, se ipsos *Apostolicos* ridiculè nuncuparent, ipsemet super^e *Cantica* author est. Iactabant autem, se Apostolorum successores existere, seque solos corpus CHRISTI esse gloriabantur, potestatemque habere quotidie in mensa sua corpus Christi & sanguinem consecrandi, ad nutriendum se in corpus Christi & membra qui præter hoc etiam plura cum *Manichæis* communia habuere, vtpote secretum cum periurio, secundum illud.

^b Hæresi 61. ^c Lib. 4. de hæres. cap. 40.

^d ad ann. 260.

^e Serm. 66. in cantica.

Apostolicorum errores nonnulli manichæi etiam sapient.

Iura, periura, secretum prodere noli.
cum alijs ne tenuiter quidem iurare vllatenus acquiescerent. Itemq; quod

C

omnes

omnes qui de Ecclesia sunt, canes esse censerent & porcos. Quòd coniugium abhorrent, cum tamen impudicissimis sese luxurijs assiduò inquinarent; quòd pariter abstinerent à carnibus, & omnibus quæ ex carne generantur: quòd Testamentum vetus non reciperent, sed Euangelium duntaxat: quòd promiscuos & clandestinos conuentus agentes, mutuò sese omni spurcitiâ polluerent, cum tamen castitatis votum præferrent: ac denique, quòd, ne detegi possent, vel hæretici conuinci, cum Catholicis in Ecclesiam conuenirent, Presbyteros honorarent, munera offerrent, confessionem facerent, Sacramentis communicarent moribus extrinsecus præstarent, ieiunarent, ac manibus laborarent, quò vitam sustentarent. Quæ omnia ad Manichæorū doctrinam formamq; composita planè erant.

f Serm. 66.
super Cant.
In quo nostri
hæretici imi-
tentur
Apostolicos
hæreticos.

Anabaptis-
tarum non-
nulli dicti
Apostolici.

g Dial. 2.
pag. 169.

AD DIT tamen & alia nonnulla ibidem f Bernardus, in quibus nostræ tempestatis Nouatores ad amissim quasi APOSTOLICOS hosce hæreticos imitari videntur; vtpote, quòd Catholicos irriserint infantes baptizantes ac pro defunctis orantes, Sanctorumque suffragia implorantes, ac purgatorium esse credentes. Imo pertinaciter affirmabant, Pontifices Romanos esse peccatores: sicuti & Archiepiscopos, Episcopos, Presbyteros, ac per hoc nec dandis, nec recipiendis Sacramentis idoneos: quemadmodum etiam nunc Lutherani ac Calviniani dicunt ac faciunt; quos mirum est non potiùs Apostolicos sese nuncupare voluisse, quàm Euangelicos; sicuti & Anabaptistarum nonnulli speciosum hunc titulum sibi vendicarunt: qui quòd omnia reliquissent, liberos & negotia diuisissent, pecuniam contempserunt, calceos nudipedes abiecerunt, Apostolici omnino dici voluerunt, quemadmodum videre est in Lindani & Dubitantio, dicentis in morauia id genus hominum reperiri.

AQUARIJ circa ann. 174.

h lib de hæ-
res. cap. 4.
Hæres. 46.
k In summa
parte 3. q.
74. artic. 7.

B. h Augustinus vocat *Aquarios* hæreticos illos, qui aquam duntaxat in sacrificio Missæ offerebant, non autem vinum; quæ videtur fuisse hæresis *Encratitarum*. Nā Epiphanius de eorundem authore *Tatiano* scribens, inter cætera sic ait: *in mysteriis autem similiter usus est ad imitationem sanctæ Ecclesie, verum aqua solum est in iisdem mysteriis*. Contra hos agit D. k Thomas, disputans vtrum aqua sit de necessitate Sacramenti.

ARABICI circa ann. 207.

l lib. 6. histo.
cap. 26.
Arabicorū
errores.
m lib. de hæ-
res. cap. 83.
n lib. 5. hist.
cap. 23.

Hi hæretici ab Arabia vnde prodiere, nomen sortiti sunt teste l *Eusebio*. Cuius authorem quia ille non prodit, hinc certum non potuit ijs nomen imponi. De quibus agens D. m Augustinus, dicit eos docuisse animam simul cum corpore intermori, atque in nouissimo die vtrumque resurgere. Quos quidem n *Nicephorus* per Originem euictos, & ad sanio rem mentem reductos fuisse restatur.

ARM

ARMACANVS circa ann. 1360.

Armacanum natione Hibernicum, circa annum Domini 1360. floruisse *Prateolus* asserit, sub Innocentio nimirum VI. & Carolo IV. & contra Fran- *Eius errores*
ciscanos eloquentiæ suæ vires virusque exeruisse; dicentem ac docentem,
turpe esse Christianis sua sponte mendicos agere. Asserebat insuper, mino-
res Sacerdotes in absentia Episcopi exercere posse munus Episcopale: qua-
lia sunt, consecrationes altarium, olei vel chris-matis benedictio, ordinum
collatio, & id genus alia; quem errorem *Vyclefus* & *Lutherus* postea resus-
citarunt.

ARCHONTICI circa ann. 175.

Hi à principibus, quibus mundi creationem tribuunt, ita nuncupati re-
periuntur, abijcetes interim scripturam sacram, ac dicentes non oport-
tere esse diuina mysteria, quæ sunt inuisibilium signa; nec incorporabilia
per visibilia atque corporalia communicanda. Aiebant insuper, repositam
esse redemptionem perfectam in cognitione, vocabantque redemptio-
nem, vniuersorum cognitionem: quam ob rem etiam Baptismum prorsus
reijciebant, soliti post mortem defunctos unguere oleo & aqua, licet resur-
rectionem interim negarent.

ARMENI sub annum 685.

Iustiniano iuniore Imperante inuenti sunt in Armenia nonnulli, qui
Manichæi errore implicati, ibidem flammis exusti sunt, vti refert *Lucas Si-* *Armenorū*
culus vetus historicus. Et quidem *Armenorum* præterea hæc erat hæresis, vt *hæresis.*
patet ex *Guidone Carmelita*, quòd rebaptizarent eos, qui iam semel in Ec-
clesia Romana baptizati erant, dicentes non esse verum illud Baptisma.
Omnibus quoque Sacramentis virtutem conferendi gratiam adimebant.
Asserebant proinde Adamum & Euam carnali copula nunquam, si non
peccassent, coniungendos; sed alio modo genus humanum propagandum
fuisse: item pueros non egere baptismo ad deletionem peccati originalis,
nullam etiam animam ante diem iudicij extremi fore beatam. Tum quoq;
Eucharistiæ Sacramentum non posse confici in azymo pane, sed præcisè in
fermentato. Negabant proinde verum Christi corpus realiter in sacramen-
to Eucharistiæ sub panis, & Sanguinem sub vini speciebus contineri. Rur-
sus, sic vinum in calice apponebant, vt nullam penitus aquam (vt po-
te minùs necessariam) miscerent. Negabant matrimonium esse Sacra-
mentum, gratiamque conferre. Purgatorium non solùm inficiabantur,
sed & inferni pœnas esse perpetuas negabant, ad sacerdotium porro nul-
lum Iudæorum admittebant, nisi qui ex Sacerdotali genere prognatus es-
set. Quadragesimæ tempore, diebus Sabbathinis atque Dominicis caseo &

Canon 32.
33 46. &
100.

ouis vescebantur, carnesque more Judaico intra altare assabant, easque populo comedendas distribuebant. Quemadmodum ex canonibus Sextæ Synodi postea sancitis constare potest. Habebant & alios insuper errores, quos breuitati studentes missos facimus.

*ARMINIANI seu REMONSTRANTES sub Rudolpho II.
in Hollandia prognati circa ann. 1603.*

Dordracenū
conciliabulū
anno
1618 die 6.
Maij factū

Arminij
patria &
secta.

Proverb. 13.
10.

Arminiano-
rum de præ-
destinatione
& reprobatione
sententia.

Lib. de de-
sperata Cal-
uini causa
cap. 8. pag.
95.

Quemadmodum Africa semper aliquid monstri solet alere, ita & Batauia monstrorum ferax esse videtur; è qua non annorū duntaxat nostrorum memoria, sed præsentī hac etiā tempestate nostra, diuersa prodierunt hæresum portenta; utpote *David-Georgianorum*, *Anabaptistarum*, *Ruisvuyckanorum*, *Vorstianorum*, *Arminianorum*, *Gommaristarū*, &c. Quorum duo hi postremi nuper adeo Hollandiam Frisiamque turbarunt, ut necesse fuerit eorum causā Dordracenum nequicquam conciliabulum conuocare. Cæterum *Arminiano*, qui in eo damnati ac proscripti sunt, nomen suum traxere à *Iacobo Arminio*, patria Batauo, vel potius ultraiectino: quippe qui ditionis ultraiectinæ oppido, quod vulgò aquas veteres seu *Veteraquium* nuncupant, anno superioris sæculi sexagesimo natus, diuersa hæreticorum gymnasia studiorum causā adiit; utpote *Marpurgense*, *Leidense*, *Geneuense*, &c. ubi *Bezam* docentē audiens, non parum ab eo luis contraxit. Inde verò ad annos circiter quindecim *Amsterdamensem* cathedram *Predicans* occupauit, & *Leidano* in Lyceo anno huius sæculi tertio ab ipso *Gomaro* Doctor proclamatus est. Quem nō longè post (inter superbos enim iurgia semper exoriri testis est *Salomon*) acerbum passus est *Antagonistam*, ne dum capitalem hostem. Nam cum anno millesimo sexcētesimo quarto, die septimo *Februarij* theses *Lugduni Batauorū de materia Prædestinationis*, quibus propugnandis *Arminius* præerat, publicè disputarentur, ille Deum non absolute quosdam homines ex solo suo beneplacito, sed post lapsum iterum per fidem in Christum credentes, ad æternam beatitudinem ordinasse, defendit. Similiter de reprobatione, neminem absolute, sed ob infidelitatem reprobos à Deo esse præteritos, & æternis pœnis destinatos. Propter quod acerbum est, in *Arminium* *Leidensium* quorundam theologastorum, ceu in nouum quendam *Reformatore* (ita enim se *Euangelici* nominant) odium exortum: prorsus ut *Gommarus* hostiret contra, alijsque oppositis thesibus, *Arminii* sententiam hæreseos damnaret. Neque hic solum sterit res, sed & alios diuersos sibi reluctantes sensit, quemadmodum oculatus refert testis *D. Petrus Cudsemius*; modò quidem ad *Diuum Gereonem* in *Vbijs* *Canonicus*, ante annos verò viginti *Leidæ* in publica disputatione cum *Arminio* congregiēns, illicque de sublimi cathedra affirmantem eum audiens ius scilicet et conuocandi *Concilia*, iisque presidere, & post litigantium acta & propositio-

nes de quibuscunq; fidei articulis, sententiam ferre decisivam & definitivam. (cui omnibus fidelibus obtemperandum esset) semper obtinuisse & obtinere Imperatorum. Quam porrò de Caluino eiusq; scriptis, quæ tamē publicè profiteri solitus erat, in eadem illa disputatione idem ille sententiā protulerit, opere est prærium audire: ita enim ait: nullū volo audire ex verbis Caluini argumentum, nihil mihi cum illo negotii, agat ille pro se, atq; hæc discipulus de magistro, Calvinista de Caluino. quid verò interim Gōmarus de Arminio eiusq; doctrina sentiat, licet ad lōgum legere in nervoso illo ac erudito opusculo, cui titulus, *Henoticum dissecti Belgii*, cōtinens historicā narrationem de dissidio ministrorum Holland. pag. 27. vbi author dicit *Gommarum* in publico Ordinum confesso asseuerasse, tantū esse inter suam & *Arminii* sententiā discrimen vt, ipse cum *Arminij* sententia ante Christi tribunal comparere nō auderet, addidisseque, tantam inde orituram esse (verus autem hic fuit vates, sicuti postmodum anno 16. 7. Amsterodami cōrigit) *simultatem*, vt non pro- uincia solum & ciuitates, sed ipsi etiam ciues in se mutuo sint insurrecturi. Quid verò de libero arbitrio, de gratia inhærente, de iustificationis certitudine, atque hominum possibili perfectione senserit *Arminius*, ad longum habetur in præfato *Henotico* pag. 35. & sequentibus.

ARRIANI sub Syluestro Pontif. circa ann. 351.

Arrius, à quo secta hæc nomen trahit, fuit Alexandrinæ Ecclesiæ in Ægypto Presbyter, vt animo vafer, ita liberalium artium studijs simul ac Theologicæ rei cognitione sufficienter imbutus. Qui tempore Petri Martyris Episcopi Alexandrini, velut *Proteus* sub diuersis formis delitescens, ac modò Catholicis, modò schismaticis adhærescens, circa annum Domini 315. pectoris sui venena effundere cœpit, inuidiæ nimirum facibus inflammatus aduersus *Alexandrum*, p. cum vidit eum ad Episcopatum Alexandrinæ Ecclesiæ euectum, sibiq; prælatum. Quem quidem turbas excitare, ac clerum inficere incipientem, *Alexander* presbyteratus honore exuit, & vnà cum septem Presbyteris, duodecim Diaconis, & septingentis virginibus professis, quas ipse seduxerat (vt quidem apud q. Epiphaniū habetur) collecto aduersus eos Concilio centum ferme Episcoporum Ægypti & Libiæ, à catholicæ communionis participatione eiecit. Cuius tamen venenatis erroribus, quia à Christianis principibus non satis tempestiuè occursum est, hinc tam longè lateque proserpserunt, magnam vt Christiani orbis partem infecerint impleuerintq; & vt r. Vicentius Lirinensis ait, propè cunctis latini sermonis Episcopis, Episcopis partim vi, partim fraude deceptis, caligo quadam mentibus offunderetur. Quod non sine causa deplorat Hieron. dum inquit *Arrium* Alexandrina in vrbe paruam quidem scintilla-

*Arriana hæ-
resis in quo
consistebat
potissimum.
Concilium
Nicanum
contra Ar-
rium.*

*Epist. ad
Serap. &
orat. 1. con-
tra Arrian.*

*Lutherani
sunt noui
Arriani.*

*Lindan,
in Dubitã-
tio dial. 2,
pag. 189.*

lam fuisse, sed quoniam non statim oppressa est, totum orbem flammam eius depopulatam esse. Cuius quidem præcipuus error hic erat, quod diceret CHRISTVM non esse Deum, sed minorem Deo, utpote creaturam; & Spiritum Sanctum creaturæ creaturam. Carnem præterea solum à Maria CHRISTVM accepisse affirmabat, & non animam. Contra quem conuocatum est anno post natum Christum 325. magnum illud *Nicanum Concilium*, in quo Arrius cum Aseclis suis omnibus damnatus est; cuius libri Constantini Imperatoris iussu flammis exusti sunt, ipse verò in exilium relegatus, & tandem anno 336. Bizantiæ exitum vitæ Iudæ proditoris simillimū sortitus est Diuertens enim ad latrinas publicas, quæ pone forum Constantini erant, medius ibidem crepuit, effundens vnà cum excrementis viscera omnia, splen, & iecur. Quemadmodum t *Athanasius*, qui tempore isto vixit, & plurima ab *Arrianis* passus est, testatur.

Cæterum æuo hoc nostro multos etiam Arrianos non solum in Lituania & Polonia, verum & in Germania reperire licet; perperam nimirum, de sanctissima Trinitate sentientes. *Arrianismum* enim iam olim, ut diximus, damnatum, per Lutheri cacangelium fuisse renouatum, eius ipsiusmet discipuli profitentur. Cum enim flocci ipse faceret nomen homouios, & Trinitatis vox germanica non placeret, *Ludouicus Heizerus* S. S. Trinitatem abolere est aggressus, omnem penitus negans personarum distinctionem. Verum Arrium propius imitati sunt *Campanus* & *Seruetus*, atque etiam *Illyricus*: quem Arrianismi damnauit Academia wittenbergenf. *SVVencfeldius* porro apertè fatetur Christum Dei Filium vnigenitum creaturam esse, quemadmodum ait confessio Mansfeldens. Sic & *Smidelinus* contra Grynæum Calvinistam scribens, obijcit illi quod *spiritus Calvinisticus sit mendax, lubricus, diabolicus, sapiens Arrianismum, Mahometismum.* & c.

ARNALDISTÆ sub Innocentio II. an. 1134.

Tempore Bernardi claræuallensis Abbatis surrexit *Arnoldus* quidam, quem tamen alij *Arnoldum* siue *Arnolphum* nuncupant, clericus nimirum Brixienfis, & *Petri Abailardi* discipulus; homo naturæ quidem non hebetis, ut ait *Otto Frisingens.* plus tamen verborum profluo, quàm sententiarum pondere copiosus, singularitatis amator, nouitatis consecretator, qui à studio è Gallijs in Italiam reuertens, religiosum habitum, quò facilius decipere posset, induit; omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, clericorum ac Episcoporum derogator, Monachorum persecutor, laicus tandem adulans. Quem a Bernardus etiam vocat *inimicum crucis Christi, seminatore discordiæ, fabricatorem schismatum, turbatorem pacis, unitatis diuisorem: cuius dentes arma & sagitte, & lingua eius gladius acutus: b cui caput columba, cauda scorpionis est. quem Brixia enormit, Roma exhorruit, Francia repu-*

lit

lit, Germania abominatur. Dicebat autem Deum non esse authorem omnium bonorum, & aliquid esse præter Deum æternum: aliquid proinde esse, quod nec creator, nec creatura diceretur. Affirmabat insuper nec clericos proprietatem, nec Episcopos regalia, nec monachos possessiones habentes saluari posse; cunctaque hæc Principis esse, ab eiusque beneficentia in laicorum duntaxat vsum cedere oportere. Insuper & de Sacramento altaris & Baptismo paruulorum non sanè sapiebat. Cui idcirco in Concilio Lateranensi, cui mille circiter Episcopi interfuere, silentium impositum est. Unde ille ex vrbe fugiens, ad Transalpina se contulit, ibique in oppido Germaniæ, *Tarago* doctoris officium assumens, perniciosum dogma aliquot diebus seminavit. Quem tandem Fredericus Imperator I. ad cuius protectionem confugerat, Pontifici tradidit, deuenitque in manus Præfecti Urbis: cuius iussu ligno adactus, & igne combustus est, cineres verò in Tyberin proiecti, sicque perijt Orbis & Urbis perturbator anno 1155.

ARNOLDVS de villa noua anno 1286.

Arnoldus Villanouanus celebris medicinarum Doctor, vixit Barcinone, & plurimos in hac facultate libros edidit, prognatus à *Villa Noua*, quæ est in partibus *Catalonia*; sed cum rerum Theologicarum parum peritus esset, in varios incidit errorum Labyrinthos, docens naturam humanam à Deo Verbo assumptam, esse æqualem Deo in omnibus bonis suis: adeo vt tanta sit humanitas Christi, quanta est & eius Diuinitas. Aiebat proinde omnes claustrum incolentes extra charitatem esse, ideoque damnari: omnes quoque Theologos qui Philosophiam immiscuerunt suis operibus, non rectè hac in re (damnabat enim omnem prorsus Philosophiam) fecisse. Medicinam verò dicebat Deo opus gratius & acceptius esse, quàm ipsum facti altaris officium: in quo Sacerdos offerens, nihil Deo offerret, nec suam quidem propriam voluntatem. Præter hæc & id genus alia etiam effutire ausus est, Deum nunquam comminatum esse peccantibus damnationem perpetuam, sed ijs duntaxat, qui alijs malo exemplo offendiculo forent. Mundi porrò diem supremum dixit futilis hic vates futurum anno 1335. Verùm errores illius damnati sunt *Trachona* per *Ioannem Longium*, Dominicanæ familiæ Theologum, & *Ganfredum Crudillum*, Trachonen-sis Ecclesiæ Vicarium.

ARTEMON siue ARTEMAS anni 196.

Fuit hic vnus ex primis istis hæreticis, qui non ita longè post Apostolorum tempora Ecclesiam turbarunt, cuius meminit *Eusebius* potius quàm *Epiphanius*. Et quidem *Artemon* hic hæresiarcha Christi diuinitatem negans,

Hæreses.

De hoc Arnoldo agit Iohannes Mariana in histor. Hispan. lib. 14. c. 9. Eius errores.

c. lib. 5. histor. cap. 26. & 27.

gans, hominem tantum esse assererat, licet Prophetis aliquantò maiorem. Quin & eò impudentiæ processit, ut assereret tum Apostolos eandem de CHRISTO doctrinam quàm ipse prædicaret, ab ipso Domino accepisse & alios docuisse; tum omnes postea Doctores Ecclesiasticos ad *Victoris* usque Pontificis tempora, eidem adhæsisse: sed à *Zepherino* *Victoris* successore, sinceram doctrinam penitus depravatam fuisse. Quod impudens eius mendacium, doctissimi aliquot viri, qui eo tempore floruerunt, egregiè refellerunt.

ARTOTYRITÆ circa ann. 174.

d Lib. de
hæres.

e Hæresi. 49

Hi nomine exre ipsa eis imposito (nam teste d' Augustino ab oblatione nomen sortiuntur) panem duntaxat & caseum Deo offerebant; hac ratione ducti, quod à primis hominibus oblatio de fructibus terræ & ouium fœtura fuerit celebrata. e Quos quidem Epiphanius *Pepuzianis* adnumerat.

ASCODROGYTÆ ann. 173.

Matth. 9.
Ps. 17.

Fanaticum hoc genus hominum *Montani* Paracletos se plenum esse prædicans, insanis mentibus bacchantium instar agebatur. De quorum delicijs *Philastrius* agens, dicit eos utrem quidem, hoc est pellem hircinam, vino refertam & linteis opertam, in suam induxisse Ecclesiam; quam deinde velut supplicationes asturi circuirent, vesanis interim poculis indulgentes, & obcæcatis animis furentes: malè nimirum interpretati verba illa Saluatoris, quibus monebat *in utres novos vinum novum mittendum*; quos interim nonnulli *Astitas* nuncupant.

ASCODRYTÆ eodem illo tempore.

Fuerunt & qui *Ascodrytas* se nuncuparent, sacramenta diuina cum *Archonticis* abijcientes, ac dicentes non oportere esse diuina mysteria, quæ sunt inuisibilium indicia ac signa; nec incorporalia per visibilia & corporalia communicanda.

ASSURITANI circa ann. 358.

Hæresis eo
rum.

Hi ex numero *Donatistarum* extitère, & in Africa erupère, qui tempore B. Augustini in *Bagarensi* Concilio damnati sunt, adeoque sedibus exturbati: de quibus ipse sub finem libri tertij contra epistolam *Parmeniani* ita ait: *ecce Assurritani, ecce Prætextatus, ecce nomina eorum inter damnatos Bagarensi concilio regeſtis proconsularibus allegata &c.* Dicebant autem illi cum *Donato*, minorem Patre Filium, & minorem Filio Spiritum Sanctum: rebaptizabant item eos, qui ab Ecclesia ad eos deficiebant. Asserebant præterea, intra Ecclesiam bonos & malos non contineri, sed solos bonos ad eam pertinere.

ASTE

ASTERIVS Sophista, obiit an. 370.

Asterius Sophista genere Cappadox, ostentationis & quæstûs causa ex Philosopho factus est quidem Christianus, sed libris aliquot compositis, Arrianæ factionis defensorem se præstitit ac propagatorem. Scripsit enim, ut inquit *Hieron.* in epistolam ad Romanos, nec non & in Euangelia & Psalmos commentaria, aliaque nonnulla, quæ à suæ partis hominibus auidè leguntur. Hic cum ab ipso iam tempore Concilij Nicæni fidelibus vbiq; semper insultasset, ipsique Arrio sax ad inflammandas Ecclesias paratissima fuisset (utpote Episcopus) tandem *S. Iuliani Saba*, eximia sanctitatis monachi exufflatione extinctus est.

*In cata. l.
Scriptor*

ATHEISTÆ & Epicurei sub Carolo V.

Non solum *Diagoras, Lucianus*, & alij complures olim *Athei* audiebant, sed *Lutheri* ac *Caluini* tempore nonnullos scimus insignes *Diuini Numinis*, ac rerum omnium diuinarum contemptores, repertos esse. De quibus varijs in locis agit *Lindanus*; maximè verò in *Dubitantio* vbi indubitanter ita pronuntiat. *Si verum mihi dicere licet, veri Athei atque impii, qui nec CHRISTVM nec Deum, nec denique diabolum, nec coelum nec infernum esse profitentur, hoc tempore reperiuntur.* Quod quidem facillè fuerit ex ipsorum illorum scriptis comprobare. Nam *Lutherus* in prima illa disputatione, quam cum *Ecckio* anno 1519 Lipsiæ habuit, in hæc verba prudens sciensque prorupit; *hac causa nec propter Deum capta est, nec propter Deum finietur.* Qui quàm bonus fuerit *Epicureus*, quàmque in patinis proculisque strenuus, hisce verbis ipse fatetur, dum ait *Ego Martinus Lutherus vix ullam consolationem ex morte & resurrectione Christi capere possum: bonis autem corporalibus à Deo acceptis, ut edere panem & b. bere cereuisiam, optimè possum; & alibi nos Germani ingurgitamus nos potando ad paupertatem, mortem, ad infernum vsque.* Testimonium *Lutheri* de se, & suis verum est, nec inuitus ad stipulatur *Andreas Musculus*, i scribens apud *Lutheranos* omnem virtutem & honestatem, ita penitus extinctam esse, ut ne quidem apud *Ethnicos, Turcas, & alios infideles* consimiles reperiri queant. Nec longè secius *Ioannes Spangenberg*, qui dicit postquam homines *Papatum* abiēcisse se gloriantur, ita nunc porro *liberos esse velle & solutos ab Euangelio & præceptis Dei, ut deinceps rectum & iustum sit, quidquid unicuique visum fuerit.*

*Dial. 2. pag.
245.*

*Epicurei &
Athei qui
nam ex
nostri tem-
poris Evan-
gelicis.*

*Cochlæus in
actis Luthe-
ri.*

*g In colloq.
mensal tom.
1. cap. de
Christian.*

*h Ibid. cap.
de ebrietate*

*i Dominica
1. Aduentus*

*k In narra-
tione bene-
ficioꝝ Dei.*

Cæterum *Hedio* in epistola ad *Melanchtonem* conqueritur, emergentibus tot erroribus, ut si quis, inquit, numeret, ferè centum & viginti octo inueniat, istos suos syneuangelicos in *Atheismum* relabi. Istiusmodi autem *Atheistas* complures *Geneuæ* esse in *Ecclesia*, quam *Italicanam* vocant, vnum illud satis superque arguere posse *Lindanus* adserit, quòd cum *Caluinistæ*

*l In Dubi-
tant. Dialo
2. pag. 24. 7*

istic de abolendo semel Pontificatu Romano, purgatorio extinguendo alijsque Catholicæ Ecclesiæ dogmatibus delendis inter se consultarent, vnum præ cæteris in hæc verba erupisse: *quin imo dicamus animam vnà cum corpore extingui; sic purgatorium cum Missa & Romano Pontifice semel aboleuerimus.* Et hæc quidem ipsi *Athei* de se ipsis.

AVDÆANI anno Christi. 340.

Consecuti sunt hi nomen ab *Audæo* seu *Audio* quodam hæretico, qui *Arrij* tempore viuens, conatus fuit reuocare consuetudinem celebrandi Pascha luna decima quarta more Iudæorum, idque aduersus decretum *Nicana Synodi*. De quo quidem scribens *m Epiphanius*, fuit, inquit, *Audæus* è *Mesopotamia* oriundus, clarus in patria sua propter sinceritatem vitæ, & zeli erga Deum, & fidei. Qui sæpè conspicatus ea que in Ecclesiis sunt, in faciem *Episcoporum* & *Presbyterorum* se talibus opponebat, ac ipsos redarguebat. & c. Quæ commendationem *Audæi* potius sonare videntur, quàm vituperationem; ac si eam duntaxat ob causam ab Ecclesiæ Catholicæ gremio discessisset, quòd *Episcopos* liberiùs reprehendens, eorum indignationem incurrerit, ac tandem in lapsum incidere, quando *n Theodoretus* fatetur *Audæanos* suo tempore de vitæ probitate plurimum deuiasse: cum inquit: *pratexunt autem se fugere Ecclesiæ communionem propter foeneratores, & eos qui cum mulieribus cohabitant, quamuis multa etiam ab eis grauiora perpetrarentur.* Cæterum *Audæanorum*, hæresis hæc erat, quòd Deo membra corporalia attribuerent; vnde & *Anthropomorpha* dicti sunt & *Vadiani*. Quin & *Theodoretus* de sectæ huius authore agens, dicunt, inquit, *hunc Audæum* & *tenebras* & *aquam* & *ignem* dicere *ingenita*: qui autem sunt huius appellationis participes, hæc celant.

m Heresi 70

quis fuerit
Audæo de-
serenda Ec-
clesiæ præ-
textus.

n heretic.

fabul. lib 4.

Eius heresi.

AVGVSTINIANI sub *Carolo V.*

Non habent hi nomen à *B. Augustino Hipponensi Episcopo*, sed ab hæretico quodam eius nominis Bohemo, ex famosissima *Sacramentarium* factione oriundo. Qui præter alias, quas in Deum & Ecclesiam protulit blasphemias, nugabatur cælum necdum reueratum, sed hominibus vsque ad extremum iudicii diem occlusum fore Ita *o Lindanus*

o Dialog. 2.
Dubitantij.

AVXENTIVS ann. 360.

*p ad Soli-
tar.*

Successit hic *Dionysio* in Episcopatu *Mediolanensi*, ope *Arrianorum*, & maximè *Constantij Imperatoris*, licèt esset homo improbus; quemadmodum liberè fatetur *p Athanasius*, dum rem adeo luctuosam enarrans, conqueritur *Auxentium* hominem ne Romanæ quidem linguæ, sed hæreseos tantummodo peritum fuisse. Nec mirum, quando *Helvidii* hæretici magil-
ter

ter exstitit, Qui quod *Arrianum* dogma detestari recusavit, à Patribus Concilij *Ariminensis* hæreseos condemnatus est. Contra quem scripsere *Hilarius Pictaviens.*, *Ambros.* *Mediolanens.*, *Augustinus*, & alij.

B.

BACVLARES sub Carolo V,

Hi sunt sectæ *Anabaptistica*, alio nomine *Stepleri* nominati, qui gladium, telum, aut arma præter baculum portare nefas ducunt, homines, irrisione potius quàm enumeratione digni.

BAGNOLENSIS circa ann. 796.

Bagnolenses seu *Barolenses* hæreticos dicit Prateolus exortos esse Constantini VI. & Leonis III. Papæ temporibus, circa annum 796. qui teste B. & *Antonino* multis in erroribus *Albanensibus* adstipulabantur: licet inter reliquos quos Guido Carmelita eis impingit errores, vnus ille præcipuus fuerit, quòd adhærerent omnibus Christianis interdictum penitus esse iuramentum, adeo vt nusquam eis iurare liceat. r parte 4. summa titulo 21. cap. 7.

BALTHAZAR HVBMEIERS PACI. Montanus Anno 1534.

Fuit hic inter primos author horrendæ illius *Anabaptistica* sectæ, quæ anno Domini 1534. sub initiũ Ianuarij succrescere cœpit in Westphalia. Hic omittebat Baptismũ in paruulis, & eos non nisi actu iam credentes baptizandos adfirmabat. De quo hunc in modum præclarum illud *Poloniæ iubar* s. *Stanislaus Hofius*. Post Martinum Lutherum, Carolstadium, Zvinglium, & Oecolampadium, exortus est *Balthazarus*, cui fuit ingens cum Zvinglio certamen. Primus hic ætate nostra veterem *Donatistarum* errorem retulit, ac non prodesse paruulis Baptismum docuit, atque ideo rebaptizandos censuit. Et is quidem non à Zvinglio magis, quàm ab ipso quoque *Lutbero* in certis scripturarum locis dissensit; ac quod ipse, non quod illi vellent, hoc sentire Scripturam contendit. Nec protobaptismum duntaxat reiecit, sed & legitimum Sacrificium & Sacerdotium abrogandum docuit: realem CHRISTI præsentiam negavit; publicum item verbi ministerium prohibuit; Deum humanam ex MARIA naturam non suscepisse mordicus contendebat. *Chilistarum* errorem renouans. Dominationem insuper spreuit, nec legitimæ potestati subiectos homines esse voluit. Ex quo id consecutum, vt quocunque locorum impostoris huius secta perueniret, illic ingentes turbæ & seditiones excitatæ sint. Vnde Tiguri Heluetiorum, alijsque in locis aliquoties carceri mancipatus, palinodiam quidem

libro de traditionibus humanis.

Donatismus à Pacimontano ab Orco reuocatur.

Alij eius errores.

*De hoc la-
tius Arnol.
M. shouius
lib. 2. histor.
Anabap.
artic. 15.*

dem canere vilus est, sed maiore cum nequitia incremento: erat enim ve-
ingenio & eruditione præstans (utpote Theologiae Doctor promotus)
ita lubricus, & in hanc illamue partem pro fortunæ flatu variabilis. Tan-
dem verò post tot factas successivè simulatas recantationes, non secus ac
erro vagabundus ruri discurrebat, victum sibi cum vxore apud rusticos o-
stiatim quæritans: quò ad usque in Morauiam profectus, ibidemque turbas-
ciere conuictus, apprehensus est, & *Viennam* Austriae perductus; vbi post
diuturnum carcerem, meritas hæreseos suæ pœnas igne luit. Imperatoris
iussu, vxore eius iam ante aquis immersa.

B A R B A S Episcopus *Arrianus*. an. 506.

Fuit hic *Arriani* dogmatis acerrimus defensor. Quem cum *Deuterius*
Arrianorum Constantinopoli Episcopus, reprobata & corrupta Dominica
traditione baptizaret, aqua ex ipso mox baptisterio euanuit. *Barbas* verò
arrepata fuga miraculum hoc apud omnes propagatum iuit, vti refert *Theo-*
dorus Lector apud *Baron.* tom. 6. ad ann. 506. num. 14.

P A R B A R A Imperatrix circa ann. 1420.

Eius hereses Immensæ libidinis mulier non contenta in hoc flagitij genere vitam
transfigere, ridere solebat virgines, quæ vel pro Christi nomine martyrium
subirent, vel in corporis integritate perseuerarent: dicebat etiam animam
cum corpore simul interituram, parui faciens religionem Christianam, li-
cèt matrimonio iuncta esset *Sigismundo* Imperatori pientissimo, & *Her-*
manni Ciliæ comitis filia. Cum autem in luxu dies pænè ac noctes mulier
improba transegisset, peste infecta in Græcia exspirauit.

B A R D E S A N I S T Æ, circa ann. 190.

*Hereses
Bardesani.
(Heresi 36.*
*Tom. 2. ad
ann. 175. n.
19.* *Bardesanes* Syrus genere, patria Edessenus, vir quidem fuit admodum e-
ruditus, & de orthodoxa Ecclesia benè meritus, verùm in *Valentini* hære-
sim prolapsus, nonnulla de suo addidit, dicens ac docens humana omnia
fato adscribenda esse ac nullam corporis resurrectionem futuram. Cuius
lapsum dolens *Epiphanius* ait, illum tantæ fuisse antea existimationis, eru-
ditionis ac constantia, vt, licèt ab *Apollonio* Chalcedonio, magistro nimi-
rum *M. Aurelii* Imperatoris importunè sollicitatus esset fidem Christianã
Missam facere, eius tamen monitis reiectis, egregiam sinceræ fidei con-
fessionem instituerit. Vnde *Baronius* putat illis potiùs qui ab ipso *Brade-*
sanista nuncupati sunt, nonnullos de quibus insimulatur errores, adscri-
bendos, quàm ipsi *Bardesano*.

B A R L A

BARLAAMVS & ACYNDINVS circa ann. 1313.

Aduersus *Barlaamum* & *Acyndinum* dicit Prateolus nouum generale fuisse Concilium coactum circa annum Domini 1313. in quo illorum hæresis damnata sit. Censebant enim modò nullum discrimen esse in diuina natura, substantia, & effectu, sed idem esse nec diuersum; modò differentiam esse profitebantur, substantiam tamen increatam. Eius autem essentielles actiones & naturales sentiebant esse diuersas, non tamen increatas, sed creatas.

BASILIDIANI. ann. 120.

Traxerunt hi nomen à veteri illo Alexandrino *Basilide* qui quidem etsi acutissimi fuit ingenij homo, & viginti quatuor libros in Euangelium conscripsisse legatur, in absurdissimos tamen aliquot errores, & abominandas hæreses prolapsus est, tempore Hadriani Imperatoris; barbara nonnulla Angelorum nomina confingens, quò sectatores suos maiorem in admirationem traduceret. Docuit præterea idolothyta comedere, & in persecutione fidem eiurare, res esse indifferentes. Summum porrò Deum nomine *Abrahas*, cum trecentis sexaginta quinque æditionibus commentatus est. Quem idcirco ridet Tertullianus lib. 1. aduersus Marcionem, carmine ita scribens

Tantos esse Deos Basilides credere iussit,

Quantos & dies annus habet, tot denique mundos.

Cum Simone insuper *Mago* & *Menandro* carnis resurrectionem negauit. Christum à Iudæis non esse passum, sed *Simonem Grenensem* somniauit. Docuit proinde virginitatem, vti B. v. Hieronymus obijcit *Iouiniano*, quem in *Basilidem* quasi in *Euphorbum* transmutatum dicit, non esse apud Deum maioris meriti, quàm coniugium, sed pares esse nuptias virginitati. Insuper & *Clemens Alexandrinus* ait *Basilidem* ac *Basilidianos* docuisse, non omnia à Deo dimitti peccata, sed tantùm inuoluntaria, quæ per ignorantiam facta essent: itemque animam prius peccasse in alia vita, hic autem pati supplicium. Fidem quoque esse naturalem, & in homine habitare exercitum spirituum, qui essent passionibus, per quas vnusquisque mouetur: nec pugandum aduersus naturales insurgentes passionibus, sed eis esse assentiendum, ac proinde libidinibus inquinari licitum. *Epiphanius* quoque ait *Basilidem* in homine trecenta sexaginta quinque membra seu æones constituisse, vti superius attigimus, & vnicuique virtutum attribuisse vnum membrum; eoque demum arrogantia peruenisse, vti se ac suos solos homines esse diceret, cæteros omnes suos ac canes, ob idque non propalanda eis esse sua dogmata. Ausum præterea scribere Euangelium, adeoque suo ipsius nomine

b Homil. in
Luc.
c Lib. 3. dia-
log.
d Dial. 2.
pag. 203, in
prinç.

mine inscribere, author est ante *Ambrosium* & *Origines*. quod porro negaret carnis CHRISTI veritatem, ea falsa assumptione sacratissimam quoque Eucharistiã damnasse ex *S. Ignatio* ad *Smyrnenses* recitat *c Theodoretus*. CÆTERVM damnandam impostoris huius hæresim, nonnullos nostræ tempestatis Euangelicos ex inferis reuocasse ac redintegrasse suo in *d Dubitatio* hisce verbis testis est *Lindanus*; *Basilides* docuit Christum humanã naturam ex virgine nõ assumpsisse: sic hodie *Melchior Hoffman* ait in formula Ecclesiæ Augustanæ anno Domini 1556. Sic & *Menno* colloquio *Wisnariensi* contra *Micronium* idem defendit. Rursus CHRISTVM secundum animam habere substantiam æternam: sic *Seruetus* in dialogis, & *Postellus* in clauæ absconditorum.

BASSVS circa ann. 150.

Fuit hic *Corinthi*, *Ebionis* & *Valentini* hæreticorum discipulus pariter ac successor, paulò post Apostolorum tempora, nequitia magicæ cum primis peritus: qui *Philastrio* testante, in viginti quatuor literis & septem astris rerum omnium perfectionem, vitam denique & generationem singulorum hominum potius consistere, quàm in CHRISTI maiestate & potentia adstruebat, propterea quod ipse dixisset se esse alpha & omega, id est principium & finem.

BASILISCVS Imperator 470.

Fuit hic *Basiliscus* Græcorum Imperator hæreticus *Eutychanus*, frater videlicet *Verinæ* Augustæ. Qui non solùm dirè persecutus est Catholicos, verùm etiam procaciter *Chalcedonense* Concilium proscribere ausus fuit, nequicquam ei resistentibus Episcopis & alijs viris religiosis; licèt postea meritas sceleris sui pœnas à *Zenone* successore sustinuerit: nam hyemis tempore veste ciboque destitutus, vnà cum vxore ac liberis fame ac frigore miserrimè periit anno 477.

BATENBURGICI sub Carolo V.

Nomen hisce indidit *Johannes* quidam *Batenburgus*, homo vagus & gregarius quondam miles, pertinentque ad *Anabaptistarum* colluuiem licèt alijs interim seditiosiores. Quemadmodum constat ex libello quodam in vulgus sparso, cui titulus: *noia practica gerendi belli*, quo suos ad arma concitare studuit. Verùm hos alij vti parricidas detestantur, suæque negant esse Ecclesiæ, quòd suos isti ad sacrilegia templorumque deprædationes exhortentur

BEDRICVS circa ann. 1420.

Fuit hic patria *Stanicensis*, natione *Morauus*, bellorum gerendorum promotor ac fautor assiduus, & *Orebitarum* hæreticorum, sub annum *Sigismundi*

mundi Imperatoris decimum, Christi verò 1420, pullulantium, author nequissimus. Qui, vti ex *Aenea Sylvio* constat, spreta religione Christiana, calcatoque Pontificio iure, vxorem publicè duxit, eaque defuncta, alteram ex Polonia superduxit, ex qua filios nequitiae suae posteros propagauit, male de CHRISTI Incarnatione sentientes. Ecclesiam lacerantes, fidei orthodoxae dogmata nequiter corrumpentes, atque in eorundem Sacerdotes atrociter desæuientes; de quibus in secta *Orbitarum*.

e *De origine Bohemorum*, cap. 47.

Hæreses Berdrici.

BEGVARDI & BEGVINÆ circa annum 1314.

Beguardi qui & *fratercelli*, vel *Bisochi*, sunt quidam hæretici inferiorem germaniam olim incolentes, & more monastico tribus obstricti votis viuentes, sed certos interim nonnullos errores ac hæreses sequentes. *Begvinae* verò sunt mulierculæ, quæ etsi honestè ac religiosè in communi viuebant, nullum tamen castitatis votum ex professo edebant, ita vt ad matrimonium, si vellent, conuolare possent, imbutæ tamen interim hæreticæ prauitatis labe. Quæ exorta videtur sub *Iohanne* huius nominis Pontifice vigesimo secundo, & *Ludouico* Bauaro Imperatore. Dicebant autem hominem posse in præsentī vita finalem consequi beatitudinem iuxta omnem gradum perfectionis, quem habiturus est in cœlesti patria. Item omnem intellectualem naturam in se ipsa naturaliter esse beatam, & non Dei gratia. Docebant quoque mulierem deosculari, cum ad hoc natura non impellat nec inclinet, peccatum esse mortiferum: habere autem cum muliere copulam carnalem, peccatum non esse, cum id naturæ instinctu fiat. Quin & hominem in statu perfectionis & spiritu libertatis constitutum, nulli humanæ obedientiæ subiectum esse oportere: Addebant & illud, hominem scilicet non obligari ad ieiunia Ecclesiastica, nec orare illum Deum amplius oportere, qui ad perfectionis statum pertenerit. Tandem verò etiam improbabat, si quis in eleuatione sacratissimi corporis Christi in missæ sacrificio reuerenter assurgeret, eidemque venerationis indicium exhiberet. Quorum errores refutat *f. Aluarus Pelagius*, qui circa tempora illa vixit. Quando etiam Concilium *Viennense* celebratum sub *Clemente V.* circa annum 1313, eosdem damnat, & *Begvinarum* statum reprobat; hæreticarum scilicet istarum, non autem religiosarum illarum, quales etiamnum in *Brabantia* ac *Flandria* partibus complures reperiuntur, piè custeque simul intra vnius domicilij, quod *Beguinagium* vulgò nuncupant, conseptim viuentes: ita vt *g. Thomas Cantipratanus* dicat *Niuella* suo tempore habitasse ad duo millia deuotarum *Begvinarum*. Quas idcirco ab hæresi ac pontificia proscriptione excusat *Molanus* in *Natalibus S. S. Belgij*, ad diem sextum Ianuarij, vbi de venerabili *Gertrude Oestana*, *Delphensis* *Beguinagij* virgine agit.

Errores Beguardorum.

f. lib. 2 de planctu Eccles.

g. Lib. 2. Ap. cap. 25.

BELLIANI sub Carolo V.

Inter *semi Lutheranos* censentur hi, quos à *Bellio Montfortio* originem trahere *Beza* adserit, licet eorum errorem non attingat nisi fortè quòd hæreticos scripserit (hoc enim *Calvinus* inficiatur) occidendos non esse.

BERENGARIVS. vixit anno 1020.

Plurimas olim turbas in Ecclesia de re sacramentaria excitauit *Berengarius* circa annum Domini 1020. homo natione Gallus, Archidiaconus Ecclesiæ *D. Mauriti* Andegauensis: idque diuersis sub Pontificibus, nempe *Benedicto V. & IX. Johanne. XX. Gregor. VI.* à quibus damnatus reuocauit quidem bis terue errorè, sed citò relapsus est: donec tandem in *Synodo Romana* quæ habita est anno 1079 publicè hæresin reuocauit, veniam postulauit professus ibidem cum iuramento, se credere substantialem conuersionem panis & vini, in veram & viuificam carnem & Sanguinem Domini nostri *IESV* Christi, per consecrationem Sacerdotis. Et quidem eius palinodia totidem verbis in *Decretorum* volumine reperitur, utpote de *consecrat. distinct. cap. 2. Ego Berengarius & c.* Mortuus est autè nonagenarius circiter an. 1088. die Epiphaniæ, non sine ingenti animi dolore, quòd omnes, quos deprauârat, & hæresis suæ veneno infecerat, conuertere postliminio nequiuisset, ita ut gemebundus in hæc verba erumperet: *Hodie in die Apparitionis mee apparebit mihi Dominus meus IESVS Christus propter pœnitentiam ut spero ad gloriam; vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.* Et quidem licet ita *Berengarius* pœnitens obierit, reuixit tamen nuper in *Zyvinglio, Oecolampadio, Caluino, alijs.*

BEZANITÆ, ann. 1550.

Hi sequuntur sententiam ac doctrinam *Theodori Beza*, primarij videlicet *Caluini* discipuli, licet non in omnibus *Caluino* adstipulantis, utpote à quo sæpe numero dissentire conuincitur. Qualis verò aut quis fuerit hic *Beza* quia verecundum est homini religioso scribere, utar ea in re verbis ac testimonijs aliorum potiùs quàm meis, licet ille suo se penicillo tam accuratè depinxerit in epigrammatibus, ut facilè liceat ex vngue leonem, ex plumis auem agnoscere. Fuit autem natione Burgundus, & iurium Licentiatus, qui vendito Prioratu quem *Luteriam* inter & *Aureliam*) *Loniameam* Galli nuncupant) possidebat, alijsque sat opimis Ecclesiasticis beneficijs, *Caluini* se disciplina imbuendum tradidit, ac *Losanna, Basilea, Geneva* concionatorem agere cœpit. Verùm quia ob adulteria infandasque libidines (*Luteriæ* etenim factori cuidam vxorem nomine *Candidam* eripuit, & *Andobertum* iuuenem

iuuenem sibi turpiter sociavit, quemadmodum suis ipse versibus prodidit) sedem subinde mutare compullus est, & diuersas Franciæ Sabaudiaque ditiones concionando ac virus quaquà versus spargendo, peragrarè; ita vt anno superioris sæculi quinquagesimo sexto Palatinatum inuisens, *Ottone* Henricum Electorem, Lutheranae factioni fauentem, istuc conuenerit, eiq; fidei suæ confessionem fraudulentè obtulerit; in qua fatebatur verum, reale, ac substantiale corpus ac sanguinem Christi sub specie rerum visibilibus repræsentari & exhiberi, ac si Calvinistarum ac Lutheranorum vna eademque hac de re sententia foret. Quod cum *Tigurinos* pessimè haberet, ipsique hoc nomine *Bezam* diris deuouerent, ille conatus est persuadere ipsis dolum aliquando bonum esse, licereque nonnunquam aliud agere, aliud simulare. Hinc est quod *h* *Conradus Schlüsselburgius* Lutheranae scholæ discipulus conqueritur, *Bezam* diabolicis suis Calumnijs & Astutijs plurimorum piorum corda vulnerasse; cuius nomen deriuat à *Boza*, quod vulnerare Hebræis significat, vel à Germanico *Beist* bestiam furentem denotans. Et quidem *Beza Nesekium* se aliàs appellare solitus erat, à morfu serpentis, vt idem ille author interpretatur; quòd instar viperæ venenatissimæ virus suum contra veritatem cœlestem efflauerit. Cuius mores vitæque institutum accuratius adhuc percentens: *i constat*, inquit *Theodorum Bezam à pueritia imbibisse Vatum impudicitiam & impudentiam, totamque etatem explendis suis libidinibus & cupiditatibus, ac describendis suis amoribus, & ulciscendis suis riuilibus exercuisse: atque in meretricem, lanam & cinadum transformatum esse, & c.* quæ lubiungere pudet. Videndum tamen, an qui vitam instituit tam propudiosam, doctrinam possit habere meliorem ac saluti conformiorem. Negat in primis Deum esse omnipotentè, diserteque scribit *teste Geshusio in sua defensione contra Calvinum*, Deum non posse efficere vt corpus aliquod, manente substantia, sit absque loco, vel pluribus in locis. Negat etiam pro reprobis orandum. Tum quoque nulla peccata esse reprobis venialia, nulla electis mortalia *k* asserit. Per antiquos insuper ac sanctissimos Patres, vitæ integritate miraculorum virtute insignes; Sathanam ait fundamenta iecisse inuocationis Sanctorum & aliorum dogmatum, quæ perpetuò credidit Ecclesia. Scripturas denique Sacras (Vt cætera interim peruersa eius dogmata missa faciam) & malè vertendo adulterat, & sinistrè explicando deprauat. Cuius rei vnum vel alterum hic duntaxat locum nominare placet; illum imprimis qui est actor. cap. 2. Ps. 27. vbi Petrus alligans verba Davidis de Christo ad inferos descendente, *non derelinques animam meam in inferno*. *Beza* transtulit, *non derelinques cadauer meum in sepulchro*, ex anima faciens cadauer, ex inferno sepulchrum. Dein verò quod Petrus ait, *Christum his qui in carcere erant spiritum venientem predicasse*, ille non minus ineptè quam Præceptor eius Calvinus interpretatus est: Hic enim *m* dicit illud in carcere debuisse verti in specula, quasi animæ piorum fuerint

Confessio
Beza simulata, de qua
latius in
Commentariis
Surii ad
ann 1556.
h Lib. 2.
theolog.
Caluinist.
artic 1. uti
citatur tom.
1. Coccei.
par. 10. 87.
col. 1.

i Lib. 1. fol.
92.

Hæreses Beza. 1.

1.

2.

3.

k Commēt.
in 1 cap. 10.
han.

4.

5.

6.

11. Petr. 3.
19.

m. Lib. 2.
Instit. cap.
16 n. 9 & in
Psycho pan-
nychia.

n Lib. 4. de
Christi ani-
ma cap. 13.

o Clangore
2.

fuerint in continua expectatione passionis Christi. Addens præterea, posse etiam dici eas fuisse in carcere, quia veluti sub nube & ymbra eminus lucem prospiciebant, ita vt illa expectatio carcer meritò dici posset. Quà quidem explicationem dicit *Calvinus* talem esse vt planè confidat se bonis omnibus persuasurum. Sed quàm longè id absit, eius discipulus *Beza* eum primis testatur; qui multò secius hunc locum explicat. Si quidem per *spiritum* *Beza* intelligit diuinitatem; *Calvinus* efficaciam. Per *carcerem* *Beza* custodiam infernalem, *Calvinus* speculam cœlestem. *Beza* per *spiritus* in carcere animas damnatorum, *Calvinus* animas piorum. *Beza* vult hoc esse factum tempore Noe, *Calvinus* tempore mortis Christi, vel ergo (vt rectè cum *n* *Bellarmino* inferam) *Beza* non est vir bonus, vel *Calvinus* non persuasit omnibus bonis. Verùm non nos catholici duntaxat adulteratam *Beza* Bibliorum translationem & interpretationem meritò improbamus: verùm etiam ipsi aduersarij nostri hæretici (è quorum numero in primis est *Sebastianus Castalion*) vehementer in eam inuehuntur. De hoc enim ipse *Beza* conqueritur in præfatione biblicæ translationis suæ ad *Elisabetham* Angliæ reginam. Nec dissimulat id *o Huberus* quidam Lutheranus libro de tubæ ultimæ clangoribus, *Bezam* ipsum alloquens; atque acribus hisce verbis cum eo exostulans: *Scriptura corruptissima, & multis in locis sceleratissima tua o Beza, translationē partim in ipso textu, partim in adiectis glossis: quoties aculeator textus occurubat, quā vt primo tactu aggredi & confodere auderes, corrupisti & peruertisti.* Atque hæc de *Beza* satis; qui obiit Geneuæ an. 1605.

BIBLISTÆ sub Carolo V.

Reperti sunt inter *Novatores* nostros, qui asseuerarent nihil legendum recipiendumque, aut populo in Ecclesia proponendum, scholisue iuuentuti inculcandum, præter solum ac nudum Bibliorum contextum: interpretatione autem opus non esse, quòd omnes sumus (inquiunt) diuinitus à Deo edocti. Ita enim scribit *Melanchton* ad *Georg. Spalatin.* in præfat. in canones Apostolorum. Nullas item discendas Philosophiæ artes, cum *Paulus* inanem Philosophiam confectari veter. Deusque homini iam olim præceperit, vt in sudore vultus sui vescatur pane suo. Hinc est quod *Carolstadius* & *Melanchton* *Wittenbergensibus* scholasticis persuaserunt, vt combustis humaniorum literarum libris, sibi quisque conueniens aliquod mechanicum opificium assumeret, præeunte ipso *Carolstadio*, qui in proxima *Wittenbergensis* agri villa factus est agricola, *Melanchtone* autem pistoris officium sibi assumente.

BISACRAMENTALES eodem ano.

Hi cum bina duntaxat Sacramenta agnoscerent, *Bisacramentales* nuncupati sunt, vtpote *Calviniani* & *Flacciani*.

BISOCHI

BISOCHI circa annum 1314.

Bisochi sunt illi quos super *Beguardos* nuncupauimus, qui & *Fratricelli* dicebantur de quorum hæresi ibi dictum est.

BLASTVS sub M. Aurelio Imperatore

Blastus & *Florinus* Romanæ olim Ecclesiæ Presbyteri, ob impietatem ab *Eleuthero* Pontifice gradu depositi, *Valentino* hæresiarchæ circa annum Domini 180. adhærere cœperunt, licet *Florinus* aliquando B. Polycarpi discipulus exstitisset, quemadmodum S. Irenæus in epistola, quam ad illum scripsit, illi obijcit: conatus illum ad pristinae pietatis statum postliminio reuocare. Docebant namque malum esse à Deo, & Deum facere mala, tum quoque de Paschatis tempore Iudaizabant, volentes illud luna quarta decima celebrandum esse. Eorum hæresis.

BOHEMI sub diuersis Imperatoribus, utpote Venceslao, Sigismundo, Alberto, Vladislao.

Bohemia non vno fuit errore correpta, sed à diuersis diuersimodo infecta ac turbata. In ea enim exorta est *Husitarum* hæresis, pullulauit *Adamitarum* infania, debachati sunt *Thaboritarum* & *Orphanorum* exercitus; duo denique belli fulmina *Risca* & *Procopius* eandem ex arbitrio suo diripere; docentes sub vtraque specie plebeis necessariò communicandum & omnes Christianos ex æquo Sacerdotes esse. *Husite* porro negabant Sanctos ab hominibus honorandos & inuocandos. De quibus separatim suis locis. Bohemorum hæreses.

BOHOMILES sub Henrico IV. & Alexio Imperat. Constant.

Magnam sibi laudem *Alexius* Imperator acquisiuit, quod quendam sui temporis impijssimum Hæresiarcham *Basilium* nomine, professione medicum, habitu monachum, auctorem hæresis *Bogomilorum*, eamque postquam quinquaginta duobus annis per diuersas Orbis partes disseminasset, Constantinopolim aduehentem, non sine labore detexit, & flammis deuorandum tradidit. Trinitatem enim negauit, Deum humana forma præditum dixit, mundumque creatum ab Angelis malis, & Michaelem Archan- gelum fuisse incarnatum. Mosaicos proinde libros reijciens, septem duntaxat diuinæ scripturæ libros recepit: Sanctarum cultum imaginum, veluti idololatriam reprobauit, crucem despexit, Missæ sacrificium contempsit, præter Dominicam orationem reliquas omnes orationes ceu vaniloquia censuit; nullam denique esse aliam resurrectionem præter pœnitentiam & vitam Euangelicam impiè effutijt. Bogomilorum hæreses.

BONOSIANI circa ann. 531

Bonosiani uti refert *Isidorus*, Christum adoptivum, non autem naturalem & proprium dicebant; cuius doctrinam *Circumcelliones* sequuntur.

BORBORITÆ. circa ann. 68.

Borborita seu *Borboriani* propter nimiam illam quam in suis mysterijs rurpitudinem exercere dicebantur, quasi *canosi* appellantur, suntque lectæ Nicolaitarum siue *Gnosticorum*, quos & futurum iudicium negasse *Philostrophus* ait.

BOQUINI sub Carolo V.

Boquini sunt ex famosissima *Sacramentariae* factionis sorte; docentes CHRISTVM non esse pro omnibus, aut omnium peccatis crucifixum & mortuum, sed tantum pro fidelibus & pijs. Huius siquidem erroris *Heshusius* p *Lindano* testante, insimulat *Boquinum*.

p *In Dubi-
sant dial.*
2. pag. 154.

BRENTIANI eodem sub Imperatore 1540.

Brentius secta *Semilutheranus* ex illorum numero qui *Lutheri* placitis sua quædam nova, *Euangelij* prætextu assumunt, fuit. A *Brentio* autem *Brentiani* seu *Lutherosiandriani* dicti sunt, quod *Lutherum* *Osiandro* conciliare studuerunt, Is enim, ut q *Lindanus* ait in epistola ad ducem *Wittenbergensem* anno 1552 docet, cum *Luthero* contra *Osiandrum*, hominem in hac vita imputatiuè haberi iustum: & post hanc vitam cum *Osiandro* contra *Lutherum* affirmat, hominem oportere eadem iustitia qua *Deus* iustus est, re ipsa iustum fieri. Quem quidem in eo sectantur *Theologi Tubingenses*. Tum quoque cæteros inter errores, negat per *Baptismum* omne peccatum deleri, propterea quòd à *Baptismo* suscepto, remaneat in homine carnis concupiscentia, siue carnis rebellio. Quæ (ut ille & huius hæresis authores docent) verè peccatum est, quanquam non imputatur à *Deo*. Dicit etiam *Euangelium* legem non esse, iuxta propriam & veram legis rationem. Quin & sacerdotalis suæ oblitus dignitatis, quemadmodum r *Lindanus* illi obijcit sed non sacerdotalis suæ præbendæ (opulenta enim iam pridem perfruitus sua cum amafia illa *Stuigardensi* præpositura) æternum *Christi Iesu* sacerdotium sacrilegè oppugnare non est veritus. Editam autem confessionem suam sub nomine Ducis V *Wittenbergensis*, multis hinc inde mendaciorum næuis contaminavit. Scripsit etiam idem *Brentius* librum de maiestate *Christi* contra *Petrum Martyrem* & *Bullingerum*; cui *Bullingerus* acerbè admodum respondit, vocans illum *Arabium tibicinem*; & alio quodam

q *Ibid. pag.*
132.

*Brentiana
hæresis.*

r *In suo
Ruemardo
lib. 1. pag.*
154.

-*Bullingeri
de Brentio
testimonia.*

loco dicit illum ceu *aprum Calydonium* vineam domini interuertere, illiusque scripta virulentis edacissimi liuoris versibus redundare. & c.

BY CERANI eiusdem seculi cursu.

Trahunt hi nomen à *Martino Bucero*, patria *Argentinenfi*, Monacho *Apostata* Ordinis *Prædicatorum* qui non solum *Allatiam* (longo enim tempore *Argentinesium* *Prædicator* exstitit) sed & *Angliam* quoque prauo suo dogmate infecit. Neque hic malitia eius conqueuit, sed in *Coloniensem* etiam diæcesim anno 1543. irrumpens, *Hermannum à Veda* Archiepiscopum *Bonnæ* dementare modis omnibus conatus est; edens librum in sui defensionem non solum multis tetrīs erroribus, sed & fœdis mendacijs & atrocibus in *Catholicos* calumnijs scatentem. Quin & in ipsum quoque *Lutherum* iniurius fuisse videtur, cuius scripta cum simplici popello gratiosa esse conspiceret, cœpit ea vertere & euertere, adeoque *Zuinglianismō* suo deprauare & adulterare; ausus inluper suum dissimulare nomen, & pro *Martino Bucero* sese *Aretum Felinum*, cum suos in *Psalterium Galliarum* Regi commentarios dedicaret, inscribere. Insuper & spreto solemnī monasticæ religionis voto, ausus terno ad minus sacrilego sese matrimonio varijsque hæresum portentis, inuoluere. Nam in colloquio *Ratisbonensi* An. 1549. quod anno superioris seculi quadragesimo sexto *Catholicos* inter & *Protestantes* habitum est, *Maluenda* *Catholicorum* theologus, *Bucerum* disputando eò vsque ad egit vt in illo doctissimorum virorum confesſu affirmauerit, eum qui mortali peccato tenetur, fidem catholicam amittere; non credere Deum trinum & vnum esse neque Christum esse Filium Dei, neque humani generis redemptorem, neque natum neque crucifixum, nec rediuuum & c. Omnia præterea peccata incredulitatis esse, nullum imbecillitatis vel ignorantix, sed omnia ex malitia & contra conscientiam committi. Quàm autem parum à *Iudaismo* abfuerit, declarat eius hæresis, quia *Lindano* teste, negauit Christum verum Messiam esse, sed alium cum *Iudæis* expectandum; quin & filium quendam suum circumcidi curauit. De cuius morte diuersi diuersimodè referunt; alij enim à dæmone suffocatum, alij ab vxore in lecto interemptum memorant. Vnde elegans quidam nostri æui *Epigrammatarius* hunc in modum interrogat.

Quis stragulauit Bucerum? quisquis fuit,

Homo siue Dæmon, grande confecit scelus

Et aliquantò etiam clariùs per apostrophen ad ipsum *Bucerum*:

Cum sopitus adhuc claro iam mane iaceres,

Cumque foret tute ianua clausa domus

Mortuus oborto reperiris, Bucere collo,

Et versa occipitis sincipitisque vice.

In appen. Occubuit autem *Cantabrigia* in angliā anno 1551. die 27. Februarij; cuius of-
 fa deinde, & teste *Iohanne Careone* ibidem defossa & exusta sunt anno 1557.
 quòd indigna viderentur hominibus pijs, quæ sacro in loco quiescerent.

BVD DAS circa ann. 273.

Buddas qui & *Terebynthus*, *Manetis* hæresiarchæ præceptor fuit. Qui in
 græcis disciplinis *Empedoclis* hæresim secutus est; duo principia inter se cõ-
 traria esse docens, contemtionem scilicet & amicitiam, quatuorque libros
 composuit, quibus nomina indidit *Mysteriorum*, *Euangelii*, *Thesauri*, *Capitu-
 lorum*. à dæmone autem tortum interiisse, author est *Suidas*.

BVG AVRIVS circa ann.

Bugaurius cognomine de *Monte Falcone*, author fuit eorum qui in regio-
 ne *Cataloniensi* ausi sunt docere, nullum opus esse bonum, nisi ex puro ac
 sincero amore fiat, quacumque ex causa, etiam spe mercedis æternæ, uti est
 apud *Bernardum Lutzenburgium*, qui tamen non ponit quando vixerit.

BVLGARI ann. 845.

Bulgari sunt, qui alio nomine *Mysii* appellantur, suntque ad fidem
 CHRISTI conuersi anno 845. multisque annis sub obedientia Romanæ
 Ecclesiæ vixerunt, militantes fortiter contra Turcam. Verùm cum ob lo-
 corum confinia cum Imperatoribus Orientis communicarent, cœperunt
 tandem in Græcorum ritus, in quibus huc vsque perseuerant, degenerare.

C.

CACANGELICI ut olim, ita & nunc.

2. Corinth. *Cacangelicos* meritò illos dixerimus, quos *v* vas electionis *Pseudo-aposto-*
21, *los & operarios subdolos* nuncupat, transfigurantes se in Apostolos Christi, &
 Euangelium interim omnibus modis subvertere adlaborantes. Quemad-
 modum in *Lutheranis* potissimùm licet cernere, qui etsi pellem videantur
 habere ouinam, & Euangelio conformem velint vitam ducere, sunt tamen
 intrinsecus lupi rapaces, & moribus Euangelio contrarij. Quos probè de-
 pingens *Erasmus*, qui annis aliquot familiariter inter eos conuersatus est;
z circumspice inquit *populum istum Euangelicum* (ita enim nominari affectant
z In Episto- *cacangelici isti*) *& observa, num minus illic indulgeatur luxui, libidini & pecu-*
la ad Vul- *nia, quam faciunt ij quos detestamini*) *Catholici videlicet*) *Profer mihi quem*
turium Neo- *Euangrlum istud ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci libe-*
comum. *ralem,*

valem, ex maledico benedicum, ex impudico reddidit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt se ipsis deteriores, & c.

CALIANI circa ann. 145.

Exorti sunt hi à Gnosticis circa annum Antonini Pij quintum, Cain, Iudam, Ischariotham, aliosque eiusmodi nefandos laudantes, & peccata turpitudinesque necessarias ad salutem esse affirmâtes vtentes interim pleudo quodam Euangelio quod Iuda esse dicebant, & confingentes librum nomine Pauli Apostoli, quem *ascensum Pauli* vocabant. Blasphemabant interim legem, & Deum legis authorem, carnisque resurrectionem negabant.

CALICULARII sub Carolo V.

Calicularii sunt qui nostra hac tempestate calicis communionem ceu necessariam perurgent, putantes etiam plebeios homines sub vtraque specie obligatos, sacrâ synaxin sumere: cum id minimè necessarium sit: quemadmodum inter cæteros Orthodoxæ Ecclesiæ Scriptores pulchrè docet ^a *Becanus* in manuali controuersiarum huius temporis, moderno Imperatori Ferdinando nuper dedicato. ^{a Lib. 1. cap. 9.}

CALVINISTÆ circa ann. 1536.

Caluinistica sectæ author famosus fuit Iohannes quidam *Cauius* (id enim genuinum eius cognomen, licet ille *Caluinum* inde formarit) natus anno 1509. *Novioduni* in Picardia, parente *Gerardo Cauiino*, homine impio, & in Deum maximè blasphemus, vti formalibus habet verbis ^b *Hieronymus Bolseius*, medicus Lugdunensis, eius quondam familiaris, ideoque maiori fide dignus. Qui à patria sua ob vitæ improbitatem exulare compulsus (de pæderastiæ etenim scelere conuictus, flammis exurendus erat, ni *Noviodunensis* Episcopi intercessione, candentis ferri cauterio dorso eius impresso ignis exustionem redemisset) in Germaniam & Sabaudiam profugiens, nouæ Argentinensi Ecclesiæ aliquamdiu præfuit, sicuti & *Lausanensi* Heluetiorû, & *Geneuensi* Allobrogum. Quas quidem vrbes erroris sui tenebris miserandum in modum ita inuoluit, vt non facilè ad meliorem religionis frugè postliminio reditura videantur. Nam non vnâ duntaxat scabie contaminatæ squalent, quæ tanti veteratoris dogmatitanto iam tempore tam pertinaciter in hæserunt. ^{b In vita Caluini quam dedit Archiepiscopo Lugdunensi.}

Et Caluini quidem dogmata præcipua hæc fuere. 1. Deum scilicet authorem esse peccati. 2. Deum prædestinare homines ad æterna supplicia, sine vlla ipsorum culpa. 3. Deum non sincerè, sed simulatè agere cum hominibus. 4. Christum non esse mortuum pro omnibus. 5. Eum in cruce desperasse:

rasse, cum Patris opem implorans diceret; *Deus Deus meus ut quid dereliquisti me?* 6. Imaginem Christi crucifixi nullo modo in templis tolerandam esse. 7. Sanctos nunc cum CHRISTO in omnem æternitatem regnantes esse *larvas, bestias, carnifices*. 8. Baptismum non esse extremè ad salutem necessarium. 9. Peccatum originale per illum nequaquam tolli. 9. omnia iustorum opera nihil aliud esse, quàm sordes, inquinamenta, & peccata mortalia. 10. gratiam Dei non sufficere ad benè agendum. 11. omnes filios fidelium nasci sanctos ab utero materno 12. decalogi observationem minime necessariam esse, imo ne observari quidem posse. Negat denique homini liberum inesse arbitrium; sed omnia necessariò fieri, quid quod in pestilentissimis illis *Institutionum suarum* libris antiquarum ab Ecclesia ià dudum damnatarum hæresum camerinam, in vnam quasi cloacam congestisse videtur, ac de dogmatum peruersitate cum *Arrio, Manicheo, Donato, ac Nestorio* concertasse; illene ipsos, an ipsi illum superare possent. In Synodo etenim sua *Lausanensi* anno 1537. apud Heluetios habita, cum *Arrio* noluit confiteri (ait *Petrus Carolus* qui eidem interfuit) Christum esse Deum de Deo, neque ex substantia Patris, sed de Patre, imo à seipso semper habuisse ut esset. Sic quoque cum *Manicheis* liberum negat arbitrium, affirmatque aquæ baptismum necessarium non esse. *Donatistas* autem impietate longè superat, qui etsi sacra & Sacramenta Catholicorum profanabant, altaria tamen illorum lignea, ut testis est *c Optatus Milevitanus*, deicere ausi non erant, sed tantum propter inunctionem, qua in consecratione ab Episcopo sacro Chrismate delibuta erant, deradebant. *Calvinus* autem suis cum assiduis ea penitus aufert, & ignibus consecrat. Tum quoque cum *Nestorio* negans diuinitatem carnis CHRISTI, duas in eo naturas distinctas constituit. Verùm his interim missis, non desunt qui *Calvinum* Iudaizantem ac Mahumitizantem introducunt. Nam sicuti *Agidius Hunnius* celebris apud Lutheranos author edidit anno 1593. librum cui titulum indidit *Calvinus Iudaizans*, in quo docet inter ætera, à *Calvino* longissimam latissimamque viam ad *Arrianam* hæresim stratam, imo *plenis catarractis & imbribus effusam*; ita *Guilelmus* quocumque *Reginaldus*, qui longo tempore in Calvinistarum castris militavit, probat accurratè libro quarto *Calvinisturcismi* Calvinismum & Mahumetismum, si non in vnum quasi corpus & Personam coalescere, esse saltem (ut loquitur *f Euangelicus* quidam Germanus) *duas caligas unius panni, duosque fratres vel sorores, ex eodem patre ac matre progenitos*: quia nullum ouum ouo similis, quàm est *Mahumetismus Calvinismo*, quando & hunc & illum ad manifestum diuini numinis despectum facere compertissimum est. Cum interim ille se suaque superbißimè iactans, *Stigmaticus* videlicet *Doctor* hunc in modum loqui audet. *g De nobis* (de se sibi creditur ipsi) *quò minus dicam quod res habet, impedit verecundia* (homine scilicet plus impudentiæ ac philantia quàm verecundia habente) *Vanissimè tamen*

Institutiones Calvini quales.

Calvinus Arrianizans.

Manichizans.

Donatizans imo illis peior esse convincitur.

c Lib 6. contra Parmenian.

Nestorizans Iudaizans.

d pag. 60.

Mahumetizans

c Lib. 4. cap 21. & Lib.

1. cap. 19.

& Ioann.

Scuz in prefat. & cap.

48.

g sub finem antidoti ses-

4. Synodi

Tr. dent.

libe

verissimè tamè libet profiteri nos intell. Scrip. plus lucis attulisse, quàm omès qui ab ex-
ortu Papatu inter eos Doctores extiterunt. Quos omnes lapsos & crasse hallu-
cinatos esse, falsasque complures sententias protulisse, liberè profiteri tan-
tæ verecundiæ vir non veretur, dum quodam in loco sic ait: *h parum autem
me mouent, quæ in Veterum scriptis (de satisfactione autem loquitur) pas-
sim occurrunt. Video omnes ferè, quorum libri exstant, hac in parte lapsos esse.*

SED an credi debet ideo rem ita se habere, quia à Caluino dicitur. Certè
qui hominem de conuersatione ac scriptione propius norunt, aliter de eo
& scribunt & sentiunt. Quos inter est *i Castalion*, qui refert se à Caluino,
cui diu amicissimè conuixerat, varijs de causis discessisse; scribens librum *Lib. de pre-
destinat.*
& loco eius Sathanam, omnium scelerum authorem, collocasse: hunc mo-
dò esse Caluini & Calvinistarum Deum, & idcirco *Caluinistas esse superbos,
immites sanguinarios, Calumniatores, hypocritas & c.* Cæterum quemadmo-
dum *Caluinista* varijs in locis varia sibi adsciscunt nomina (in Anglia ete-
nim vocantur *Puritani*, in Gallia *Hugenote*; in Hollandia, *Gensei*, in Bohemia, *Diuersa
Caluni-
starum no-
mina.*
Picardite, in Heluetia *Sacramentarij* seu *Zuingliani*) ita etiam diuersitate
dogmatum & scismatum à se ipsis diuisi sunt ac discordes. Sunt etenim in-
ter illos, *Trinitarij, Samosatani, Anglocaluinista, Puritani, Antipuritani, Piscatori-
ani, Arminiani, Gommariani, Vorstiani, Libertini, & nescio qui non.* Nam *Diuersa se-
cta ac do-
ctrina.*
dum vnusquisque eorum sibi de doctrina religionis iudicium arrogat,
dum arbitrato suo Scripturas explicat, dum nihil in eis difficile, ni-
hil obscurum esse persuasum habet, dum præter eas nihil recipi, Traditio-
nes autem Patrum prorsus reijci debere pronuntiat, dum denique Ecclesi-
am neque videri neque cognosci posse autumat, hinc à se ipsis desciscen-
tes, obdurant se contra manifestam veritatem; non tam de suis religioni-
bus quas prauè asserunt benè meriti, quàm de se malè: qui cum in antiqua,
Catholica & Apostolica Ecclesia, in qua eorum plerique baptizati sunt, ha-
beant iter rectum ac tutum deuios ambiguosque sequuntur anfractus: pla-
num deserunt. vt per præcipitium labantur; lucem relinquunt, vt in tene-
bris cæci debilesque volutentur. Nam quis vnquam tam absurda, tam im-
pia, tam horrenda de Deo dogmata protulerit, quàm *Calvinus*? Inter eos
siquidem qui malè olim de Deo senserunt, alij dixerunt otiosum esse, vt *Luciani no-
men pirana-
gramma*
Epicurus alij impotentem, vt *Lucianus*, qui anagrammaticè *Calvinus* dici-
tur; alij auctorem mali, vt *Cerdonista, Marcionista Manichæi*: alij miserum,
& se affligentem, vt *Talmudista*. At omnium pessimè *Calvinus*; quemadmo-
dum per inductionem eruditè probat *k Becanus* in tractatu de authore
peccati. Nam *Caluini* Deus cum omnium scelerum ac flagitiorum, quæ in *cap. 16.*
mundo fiunt, sit author ac prædestinator, tantùm abest vt aliquo dolore
ac hominum commiseratione tangatur, vt potius sibi laudi ducat, quod
hoc modo potentiam suam & seueritatem in vindicandis sceleribus possit

manifestare, ac mundo patefacere. Quod non solum in eo culpant *Catholici*, verum etiam illi qui *Calvini* scripta longo temporis usu triuerunt, atque in eius quæ docendo quæ concionando castris, meruerunt.

quæ ratio-
nes moue-
runt *Armi-
nium* à ne-
fanda *Cal-
uini* doctri-
næ descisse-
re.

Videatur
Becanus lib.
de titulis
*Caluinista-
rum* tit. 7.
in princ.

Hem pag. 11.
Henotici.

Iacobus enim *Arminius*, celebris quondam *Caluinianæ* doctrinæ *Lugduni* *Batauorum* professor, in declaratione sententiæ suæ ad ordines *Hollandiæ*, disertè fatetur doctrinam *Calvini* (potissimum verò de prædestinatione) varijs de causis sibi non probari: 1. quia non est fundamentum salutis. 2. nullam *Euangelij* partem in se comprehendit. 3. In nullo antiquo *Concilio*, siue generali siue particulari est approbata. 4. Nec ab vllis antiquis *Patribus*. Non congruit cum harmonia confessionum *Ecclesiarum* reformatarum. 6. Nec cum confessione *Belgica*, aut catechismo *Heidelbergensi*. 7. Pugnat cum sapientia, iustitia, & bonitate *Dei*. 8. Cum libertate hominis. 9. Cum actu creationis. 10. Cum natura & titulis vitæ æternæ. 11. Cum natura & titulis mortis æternæ. 12. Cum natura peccati. 13. Cum natura gratiæ. 14. Iniuriam *Deo* facit, & ignominiam *Christo*. 15. Obest saluti hominum multis modis. 16. ac tandem desperationem ingenerat. Et hæc *Caluinistæ* de *Calvini* dogmate sententia.

SED quid, an non *Lutherani* quoque palam fatentur, doctrinam *Caluinistarum* esse impiam, blasphemam, hereticam? Certè liber ille *Theologorum Vittenbergensium*, qui paucis ante annis *Tubingæ* est editus, clarè id demonstrat. Hinc est quod *Franciscus Stancarus* contra *Caluinum* scribens, monentique quemlibet à lectione librorum *Calvini* abstinere, hunc in modum ait, *Cave, Christiane lector, & maxime vos Ministri omnes, à libris Caluinicane; & presertim in articulo de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, de Sacramento baptismatis, & Prædestinatione. Continent enim doctrinam impiam, & blasphemias Arrianas, ut in Caluinum Spiritus Serueti combusti secundum Platonicos remigrasse videatur.* Hæc quidem *Stancarus* de euitandis *Calvini* libris: qui tamen ut plausibilius in hominum animos influerent, ipse *Calvinus* suas *Institutiones* primùm in lucem proferens, mutauit nomen suum; vocans se *Alcuinum*, sicuti & nonnunquam *Carolus de Happe* vel *Hippe*. De cuius hæresibus ac blasphemijs, seu potius *atheismis* ac *Turcismis*, si quis plura cupiat, legat doctissimos illos *Francisci Feuardenij*, *Caluinistica theomagia*, *Guilielmi Reginaldi Angli*, *Caluinoturcismi* libros, quos hic notasse satis est.

Calvini
mors.

1 *Henricus*
Bolsecus in
vita *Calui-
ni* cap. 22.

CALVINI autem vitæ exitum si quis nosse velit 1 *Bolsecum* adeat. 16. enim refert eum in morte desperasse, & maledixisse diei, quo librorum scriptioni manus admouere cœperat; unde demonibus invocatis (sunt enim hæc ipsissima auctoris verba) iurans, execrans & blasphemans, miserè exspirauit: Cuius illi testimonium perhibuere qui decumbenti ad extremum usque halitum ministrarunt. Imo hoc etiam, quod diem atque horam detestatus sit & execratus, quam unquam studijs vel scriptionibus impendisset, ertè ipse *Beza*, qui mori-

rienti

rienti forfitan adfuit, inficias ire non audet, quin horrendis excruciatuſ morbis, iſſque diuerſis potiffimum verò pediculari, hinc ereptuſ ſit, idque anno ſuperioris æui ſexageſimo quarto, die verò 27. Maij. Cui de ſola nu- *Epithaphiũ.*
daque fide gloriante bonorumque omnium ſtudia reprobanti, liber hoſce
epitaphij loco verſiculos, ex eleganti quodam noſtri æui Poeta deſumptos,
accinere.

Caluus eſ abſque comis operum, Calvine, bonorum.

Qui nudam Chriſti viſ ſatis eſſe fidem:

Sed quia caluitium natura turpe videtur,

Illud hypocratico crine, Sophiſta, tegiſ.

Caluitium, Calvine tuum, iam iamque patebit,

Decentiet falſas aura ſuperna comas.

Et aliuſ quidam in horribilem Calvini mortem ſic:

Horrida mors, Calvine, tua eſt; ſed pœna ſecuta,

Ah decuplo magis eſt horrida tartarea.

Quam cupereſ nullos codices ſcripſiſſe nocenteſ.

Optio ſed ſera eſt, ſeria pœna tibi eſt.

CALVINO-PAPISTÆ.

Quid hoc, inquam, monſtri eſt, an *Papiſtis* quidquam commune cum *Calviniſtis*, vel hiſ cum illiſ? Ita ſanè non Africa quidem ſed Anglia mon-
ſtroſum hunc partum nobiſ edidit: vbi paucis ante annis grauiſ orta eſt
lucta *Puritanos* inter & alioſ nonnulloſ *Calviniſequaſ*: quos ipſi contempti-
bili nomine *Anglo-Papiſtaſ* nuncupant; quaſi pluſ habeant rerum ac cæ-
remoniarum Pontificiarum, quàm reformatum *Calvini* Euangelium tole-
rare valeat vel debeat, vnde eoſ valere iubent, ſuoque conſortio indignoſ
iudicant. Nam cantum, veſteſ ſaciaſ, Matutinaſ & Veſpertinaſ preceſ quo-
tidie more & melodia Catholicorum uſurpant, peragunt. Habēt & Archie-
piſcopoſ ſuoſ & Epicoſ: itēque Decanoſ & Archidiaconoſ, cæteroſque
graduoſ Eccleſiaſticaſ, vnà cum redditibuſ à pijs maioribuſ assignatiſ; hic-
que ab alijs *Calviniſtaſ molleſ* audiunt; quamuiſ in perſequendiſ interim Ca-
tholicis alijs (*Puritanis* ſcilicet, de quibuſ ſuo titulo ac loco dicendum) haud *Molleſ Cal-*
quaquam inferioreſ ſint. Quorum moreſ ac cæremoniarum rituoſ ocula- *uiniſta.*
tuſ deſcribit teſtiſ D. Petruſ Cudſemiſ in *deſperata Calvini cauſa* cap. nono.

CALVINOTURCISTÆ noſtro hoc inſœlici æuo;

Haud ita pridem eſt, quod in Batauia paſſim atque aliis quibuſdam in
lociſ viſi ſint *Calviniſtaſ arũ* nonnulli, ſemilunulæ argenteæ teſſeram ex pileiſ
dependentem, eiſmodi cum inſcriptione geſtaſſe, *lieber Türckſ dau*
Waffſ; inſinuanteſ per hoc, ſe & mentis affectu & religioniſ cultu Turciſ
Mahumetanis adhæreſcere malle, quàm Pontificiſ; vtpote quando Cal-

m Lib. 3.
cap. 21. pag.
502.

n in fine
pag. 749.

o Lib. 4.
cap. 6 pag.
793. in prin.

p In recog-
nit propheti-
ca & apost
in fine. Item
in Bellingeri
coronide an.
564.

u-
nismum ad *Mahumetismum* propius, quàm ad *Papismum* (vt vocant) ac-
cedere existimant. Quemadmodum Michæas ille in Anglia olim *Caluini-
starum* Prædicans, postmodum verò *Mahumetica* sectæ professor, & eruditè
& neruosè apud *Guilielmum Reginaldum* in Caluinoturcismo id ipsum probat
potissimùm verò libro tertio & quarto: vbi de Sanctissima Trinitate de
Deipara Virgine, de inuocatione Sanctorum eorundemque reliquijs, de in-
uisendis locis sacris, atque id genus alijs pietatis exercitijs tam acuratè dis-
ferit, prorsus vt euincat atque ad oculum ostendat *Turcas* etsi gentem na-
tione barbaram, multò tamen religiosius honorificentiusque de hisce sen-
tire, quàm eiusmodi inter Christianos natos ac educatos *Caluinistas*. Qui
quàm malè de S S. Trinitate sentiant, constare potest ex doctrina *Petrè
Richerij*, olim vti Carmeliticæ familiæ monacho, ita postmodum Caluinii
discipulo; à quo in Antarteticam Galliam reformationis Euangelicæ gratià
missus, è precibus publicis Nicæni concilii symbolum reiecit & è Psalmis
Dauidicis vsitatam appendicem in honorem S S. Trinitatis recitari ac de-
cantari solitam, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, vti Papisticam, missam
esse faciendam docuit. Monitus autem à *Nicolao Villagnone*, illic tunc re-
rum potiente, vt *CHRISTVM* inuocaret, prorsus reculauit, adiecitque
hereticum esse si quis diceret Christum necessario orandum, quale quid *Mahume-
tes* nunquam dixisse legitur: de quo idem *m Michaas* dicit, quòd *CHRISTO*
se commendauerit, eique reuerenter detulerit; sicuti & sacratissimam eius
matrem Deiparam Virginem *Mahumetani* plus honorare soliti sunt, quàm
Caluinista nostri; quemadmodum luculenter probat sub initium capitis de-
cimi tertii. Libro porro quarto cap. quinto n constanter asserit *Turcas* so-
litos colere & inuocare *Eliam*, *Moysem*, *Georgium*, & alios nonnullos San-
ctos, quos *Calvinus* laruas esse ait, & non tam magnis præditos auribus vt
nostras possint in terris preces audire & intelligere. Quin & alio o quo-
dam in loco Michæas fatetur S. Catharinam, *Georgium*, *MARIAM* vir-
gine m, non minus apud Græcæ Ecclesiæ Christianos, quàm Romanæ, non
minus *Mahumetanos*, *Persas*, quam *Turcas*, apud Africanos & Asianos,
non minus in Oriente, quàm Occidente in precio haberi; adeo vt *Caluino-
turcista*; in die iudicii de scurrilitate ac blasphemia iudicaturi sint ac damna-
turi. Et vt caput hoc p *Brentii* verbis concludam, scribit ille: *Zuingliano-
ris mdo gmata esse diabolica, & impietatis plena, redundare illorum omnia depra-
nationibus, strophis & calumnijs. Ad quæ omnia mala curanda, predicat breui fu-
urum, vt per illos rediscatur in Ecclesiam heresis Nestorii, & nihil denique mane-
tat reliquum de articulis religionis Euangelicæ, sed inducatur in Ecclesiam Ethni-
cismus, Talmudismus, & Mahumetismus,*

CAMPITÆ. ann. 32 I.

CAMPITÆ seu *Campates* sunt de *Donatistarum* numero, qui Romæ
Montenses

Montenses quondam nuncupabantur, eò, quòd ab vrbe exclusi, in quadam montium vicinorum spelunca conuenticula celebrarent, & *Campita*, quòd in campis suos colligerent. Quorù D. meminit qd. *Hieronimus*. Dicebāt autem in Ecclesia bonos & malos non contineri, led bonos duntaxat. Asserebant etiam in martyrum numerum, non solùm censendos illos qui ab alijs interempti essent, verùm etiam qui sibi ipsis necem intulissent. Quin & penes se solummodo Ecclesiam esse nugabantur.

q aduersus
Luciferia
nos infine.

CAMPANISTÆ sub Carolo V.

Campanistas vocat confessio Mansfeldensis à quodã Ioh. Cãpano, Menãpio, qui aliam adfert verborum cœnæ Domini expositionem, quàm *Carolstadiani*, *Zuuingliani*, *Oecolampadiani* aut *Caluinista*. Qui quidẽ in Cliuia carceri aliquamdiu mancipatus, Prophetico spiritu nequicquam persuasum sibi habebat, se breui è carcere liberatum iri; quod ni fieret, suarum opinionum detestationem ac recantationem, sanctè adpromittebat. Habuit autẽ horrendos aliquot de S S. Trinitate errores, hacque in parte cum *Serueto* aliquatenus sentiens, solum Deum Patrem, & neminem alium adorandum sacrilegè contendebat.

CAMPENSIS. circa annum 370.

De bis scribens B. *Hieronimus* ad r Damasum Pontificem, conqueritur, quòd vnà cum Antiocheno Episcopo molestias sibi facessuerint, volentes eum in suam pertrahere sententiam, ac perurgentes vt tres hypostasies cum *Arrianis* profiteretur. Sic enim in fine epistolæ illius ait. *Campenses cum Tarsensibus hereticis copulati, nihil aliud ambiunt, quàm vt autoritate communionis vestrae fulti, tres hypostasies cum antiquo sensu prædicent.*

r Epist. 57.

CAROLSTADIANI sub Carolo V. circa ann. 1530.

Andreas Carolstadius Luthero olim familiaris, videns mutatæ per illum religionis negotium bellè succedere, voluit & ipse nomen sibi celebre apud posteros parare, vnde acriter in imaginum cultum, & Missæ sacrificium inuehi cœpit, ipsumque *Sacramenti* nomen improbare, ac libera voce proclamare / non placet, inquit, vox ista: neque enim Deus in sacris literis vsquam imperauit, vt eiusmodi voce vteremur. Fuit autem vti natione Germanus, ita vehementia cæteris istius tempestatis hæreticis concitator. Primùm quidem Archidiaconus *Vittenbergensis*, sed postmodum ex Sacerdote laicus effectus. Qui anno Domini 1524. Basileæ cum *Oecolampadio* & *Zuuinglio* editis in lucem libellis damnatam *Berengarij* hæresim ab Orco reuocauit, & Luthero absente, non solùm Missam *Wittenbergæ*, sed & alia quædam suo pro arbitrio abrogauit, indeque magnam sibi apud *Lutherum* indignatio-

f In tractatu de imaginib. & Sacrament.

Carolstadij patria mores, actiones hæreses.

videatur
Arnoldi
Mefhouij
histor. Ana-
bapt. lib. 1.
num 17.

Epistola ad
Freder. My-
conium,

nationem conciliauit, habuitque sat negotij vt eum placatum sibi redderet *Wittenberga* porro mala cum gratia discedens (nam & à ciuibus non minùs quàm à pueris ludibrio passim habebatur) *Kembergam* in vicinum oppidū discessit, vbi mutato habitu, mutauit & vitæ genus; factus ex Theologiæ Doctore, ruricula, ex Sacerdote laicus, ex togato ac palliato, peronatus ac bardocucullatus, terram vomere proscindēs, ligna ex nemore allata venui exponens; imo & vinum adustum (vt vocant) placentulas, ligulas, atque id genus alias quisquilias. Verùm cum eiusmodi occupatio ac negotiatio displiceret, ditone *Wittenbergensi* posthabita, *Tigurum* Heluetiorum se contulit, ac *Zuuinglio* familiarem sese reddidit. Postmodum verò *Basilea* concionatorem agere cœpit. & *Zuuinglianæ* Ecclesiæ præesse: vbi & vitam eum miserè finiuisse *Alberus Erasmus* testatur. Ait enim *Carolstadio* concionanti dæmonem viri, sed solito longioris, specie apparuisse, domum eius adiisse, deque ipso nominatim filium domi repertum percunctatum fuisse, atque iussisse patri diceret, *se post triduum reuersurum*. Cuius quasi citatione post triduum subitis exanimatus terroribus, diris malæ conscientiæ aculeis damnatus, ad tartara fuerit abreptus. Quem vt olim incusarat *Lutherus* de rusticorum excitato tumultu, ita *Melanchton* vocat illum *hominem ferum, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu, quem nullum unquam humanitatis indicium præ se ferre viderit; tantum abest, vt in eo manifestatio aliqua Spiritus Sancti animaduersa sit.*

CARPOCRATIANI sub Hadriano Imp. anno 120.

Lib 4. hi-
stor. cap 7.
Eius absur-
dissima ac
sordidiff. hæ-
reses.

Lucæ 12.
vers. 58.

Lib 1. cap
24.

Lib. de
Prescript.
cap. 84.

Carpocras vel vt alij volunt *Carpocrates*, Alexandrinus fuit patria, nec solùm fæx omnium hæreticorum, sed & fæx totius incontinentiæ, vt ex *Irenæo* tradit *v Eusebius*. Nam vt in nonnullis consensit *Basilidi*, sic & alia multò deteriora commentus est. Mundum quidem, vt ille, ab Angelis factum dixit: *IESVM* verò redemptorem ex *Iosepho* natum vti cæteros homines, probitate duntaxat alijs præstitisse, sed se suosque similes ei esse, & ex his nonnullos eo fortiores. Artes insuper magicas operari consueuerant *Carpocratiani*, & dæmones alligatos habere, gloriantes se ea arte illos habere subiectos. Omne delictum non solùm apud eos non veritum, sed imperatum; vique adeo vt perpetua animarum transmigratione fore plectendos dicerent, qui suæ quęcunque cupienti concupiscentiæ aduersaretur; *Scripturæ* etiam præceptum ad hoc adducentes: postquam autem omnia quæ mundi & concupiscentiæ sunt opera praua expleissent, tunc liberè profecturos ad illum Deum, qui est supra Angelos, mundi fabricatores. Adeo denique horrenda de huiusmodi lectæ hominibus se accepisse *a B. Irenæo* tradit, vt non induci posset ad ea credenda. Addit porro *b Tertullianus* *Carpocratem* tum Christi tum cæterorū mortalium carnis resurrectionem negasse

negasse. In velamen autem oblcœnitatum luarum perpulchrum sibi nomen indiderant, vt *Gnostici* dicerentur, quasi præstantiori, quàm alij homines, eruditione, & rerum diuinarum cognitione præditi; cum interim turpissimi essent, no solum in promiscuis vtendis vxoribus, verùm etiam synaxeos vsu plus quam Sathanico; quemadmodum sub titulo *Gnosticorum* suo loco dicitur. Casparus Suuencfeldius, vide *Suuencfeldiani*.

*Carpocrati-
ani etiam
Gnostici
dicti, &
vnde.*

CATAPHRYGAE exorti anno Domini 173.

Prouincia Phrygiæ huic hæreticorum factioni nomen potius dedit, quàm certus ac definitus aliquis author; quod *Montanus* & *Apelles*, & ipsius *Montani* Prophetissa, *Prisca* nimirum & *Maximilla* inde originem duxerint, circa *Marci Antinoni* Imperatoris tempora. De quibus agens c *Tertul-
ianus*, vocat eos hæreticos *secundum Phrygas*, quod est græcè *φρυγῶν* vtpote *secundum Phrygas*, quod est græcè *φρυγῶν* vtpote quando in Phrygia maximè commorabantur, ipsumque postmodum *Tertullianum* huic *Montanorum* sectæ pertinaciter adhæsisse constat. De quibus suo etiam loco agendum. *c Lib. de
prescrip-
cap. 5.*

CATHARI exorti circa ann. 254.

Voluerunt hi præclarum aliquod & admiratione comprimis dignum sibi nomen adsciscere, vt *καθάρων* id est mundos seipso nuncuparent, quasi qui cum mundo ac terrena concretione commune nihil haberent cum alioquin *mundani* potius, quàm mundi nuncupandi forent. Quorū author est *Nonatianus* Presbyter Romanus, quem constat secundas non admisisse nuptias, & hoc ipsum ex secta *Montani*: abnegasse quoque baptismum, & quæ præcedunt baptismum, fidem scilicet & confessionem: hocque *Baronius* putat esse, quod e *Theodoreto* affirmat, baptizatos in Ecclesia Catholica, iterum à *Nonatiano* baptizari consueuisse. Rursum verò *Nonatiani* sectatorem quendam negasse Petrum apostolum fuisse baptizatum f *S. Augustinus* affirmat. g Qui etiam in illos inuehitur, quòd negarent Ecclesiæ datas esse absoluendi clauis; adeoque symboli Apostolici articulum, quo remissionem peccatorum confitemur, proscriberent. Qui & ideo quòd se nunquam lapsos gloriarentur, noluerunt vllum eum lapsis commercium habere, candidis vestibibus incedere soliti. Quin & *Albigenses* postea etiam se *Catharos* dici gestierunt, & *Manichæi Catharistas*. *d ad ann.
254.
e hereticor.
fabul. lib. 3.
f Epist 108.
g De agone
Christi cap.
31.*

CAELESTINI sub Innocent. I. circa ann. 411.

CAELSTIVS vnde hi nomen deduxere, fuit primarius *Pelagij* hæretici discipulus, & quasi armiger; quo cum damnatus est in Concilio tam *Carthaginensi*, quam *Milenitano*. Quorum hæreses aliquot percensens *B Hiero-*

B. Hieronymus inquit, *istiusmodi homines tollūt orationē; & per liberū arbitriū non homines propria voluntatis, sed Dei potentia factos se esse iactant, qui nullius ope indigent. Vnus discipulorum enim (Cælestius videlicet) imo iā magister, & totius ductor exercitus, & contra Apostolum vas perditionis, per solacismorum, & non ut sui iactant, syllogismorum spineta discurrens, philosophatur & disputat &c. Sophisticis etenim nitebatur cauillationibus probare, nullum hominem peccare, si vellet: omnes esse iustos, si vellent; hominem denique ad perfectionis statum peruenire posse, si vellet. Tantumque suo cum Magistro Pelagio libero arbitrio tribuebat, vt diceret absque gratia Christi, hominem diuina omnia præcepta adimplere, suisque meritis vitam adipisci æternam posse. Cuius sedecim argumenta ita refellit i Augustinus, vt k Hieronymus eidem gratuletur, quòd eius potissimum opera Cælestiana hæc heresis profligata sit; licet & Paulinus Diaconus anno 412. eundem quoque Cælestium Carthagine oppugnauerit. Qui postmodum Romæ in basilica S. Clementis visus est palinodiam canere anno 417. sed cæterorum more hæreticorum, subdolè scilicet ac vafre. Fallere etenim conatus Zosimam Papam, damnari ab eo vti metuit, ita & meruit.*

CERDONIANI sub Antonino Pio ann. 146.

Hi nomē trahūt à *Cerdone*, Marcionis discipulo, de quo agit l Tertull. & Epip. tāquam de vetustissimis hæreticis: cuius quidem *Cerdonis* absurda admodū hæresis fuit, quod duo introduxerit initia, id est duos Deos, vnum bonum, alterum sæuum; bonum, superiorem, sæuum, mundi creatorem. Prophetas insuper & legem repudiauerit; Deo creatori renunciauerit: superioris verò Dei filium Christum non quidem in substantia carnis, sed in phantasmate venisse asseruerit, nec omnino natum vel passum, sed quasi natum ac passum. Resurrectionem porro animæ tantummodo probauerit, corporis autem negauerit, Solū *Luce* Euangelium, nec tamen totum receperit, *Pauli* Epistolas neque omnes neque totas admiserit: *Acta Apostolorum* & *Apocalypsin* Iohannis quasi falsa reiecerit. Venit autem Romam anno *Hygini* Pontificis secundo, qui est Christi 155. vbi vnà cum *Valentino* hæresiarcha visus est se insinuare in Catholicorum amicitiam, quasi qui idem cum ijs sentiret, & si quid ante erroris contraxisset iam dudum deponere paratus fuisset, sed detectus ac reprobatus vterque suis cum fabulis est.

CERINTHIANI circa ann. 40.

Cerintus siue *Cherintus* (vtrumque enim apud authores reperitur) post *Simonem* magum, hæresiarchatum putatur extitisse primus; qui & *Petro* Apostolo & *Iohanni* molestias facessiuisse apud n Baronium legitur: imo & ipsi quoque o Barnabæ & *Paulo* Apostolo: quando Antiochiæ ingenti excitato

citato tumultu assererebant nonnulli gentiles ad Christum accedentes, nisi circumciderentur secundum Legem Moysis, saluari non posse: è quorum numero *Cerinthum* vnum exstitisse, q̄ Epiphanius adserit. Docebat autem Christum à mortuis non surrexisse, nullam omninò mortuorum resurrectionem futuram; diuidens proinde Iesum à Christo, Iesum passum ac resuscitatum nugabatur. Christum autem impassibilem remansisse, & tempore passionis à Iesu recessisse; sicque fiebat, vt diuidens Iesum à Christo, sanctissimam Virginem faceret matrem Iesu, non autem Christi. Interim verò Iudam, Christi proditorem magno honore afficiebat, beatos verò Christi martyres, nullo. Quid autem B. Iohannes Apostolus iuxta ac Evangelista de ipso senserit, patet ex eo, quod cum *Cerinthus* Ephesi die quodam in balneis lauandi gratia ageret, & ille eò fortè eandem ob causam venisset, viso homine, illico re infecta pedem retraxerit ac discesserit; dicens, *vereri se ne balnea in quibus veritatis hostis commoraretur, considerent*, posteris exemplum dare volens, quanto studio ac zelo hæreticæ prauitatis homines, quorum sermo vt cancer serpit, deuitandi sint ac detestandi.

q̄ hæresi 28.

Eius hæresi
ses.Irenæus lib.
3. cap. 3.

CHAZINZARII circa ann. 535.

De hac hæresi eiusque authore hunc in modum scribit r̄ Nicephorus: *Iacobus* à quo nunc *Iacobitarum* hæresis denominata celebratur, Syrus genere fuit, obscurus prorsus, & nulla gloria vir, qui etiam *ZANZALVS* propter summam tenuitatem est cognominatus. Hic Eutychetis & Diocori, Cnaphæique præterea Petri atque Seueri dogmate recepto, magno opere id apud Syros propagare studuit. *Ac rursus*: s̄ *Iacobus* Armeniorum sectæ dux fuit. Ea sanè hæresis multiplex est, & vt quispiam dicat, hæresum omnium confluens sentina. Nam cum *Arrio* aberrant in eo quod Deum verbum naturam mutationi obnoxiam habentem, carnem anima carentem assumpsisse dicunt. Cum *Apollinari* autem, quod corpus Domini mentem non habere, eique diuinam naturam sufficere, mentisque vim operatricem perficere dicunt: atque hæreticis multis laudatis, deprauatas ipsorum opiniones sibi ipsis arrogat &c. Hæc *Nicephorus*, cum interim *Prateolus* commemorans huius *Iacobi* errores, putat illum aliquantò tardius vixisse, vrpote circa ann. Domini 640. quod meritò refellit t̄ *Baronius*.

r̄ Lib. 18.

cap 52. Huius
sectæ au-
thor Iaco-

bus.

lib. 18. 53.

Eius hæresi
est quasi
omnium
hæresum
sentina.r̄ Tom. 7. ad
ann 535.
num. 83.

CHILIASTÆ primò quidem circa ann. 97. exorti. postmodum verò à diuersis aucti ac propagati.

Cerinthus hæresiarcha de quo paulò ante dictum, delirabat sibi per Angelos reuelatum esse, post resurrectionem carnis humanæ regnum CHRISTI terrestre futurum, & mille annis apud Hierusalem homines cupiditatum voluptatumque blanditijs vacaturos: qua in re paulatim plures ha-

7 cap. 20.
vers. 4.

Chiliasarū
error, quan-
do in hære-
sim transse-
rit.

buit asseclas, huiusque sententiæ defensores ac propagatores, quibus CHI-
LIASARVM nomen idcirco adhæsit; inducti in errorem, quod Iohannes in
apocalypsi, dicat Fideles regnuros cum CHRISTO mille annis, idque
nimis liberaliter intelligentes. Qui quidem error magnos etiam viros te-
nuit. Nam vltimis Traiani temporibus circa annum Christi 118. authore
Papia Episcopo Hierosolymitano, magni nominis & celebritatis viro Mil-
lenariorum error valdè confirmatus fuit, cui etiam adhæsere B. Iustinus &
Irenæus martyr Senerus Sulpitius, Lactantius, alii. Qui tamen error primis istis
temporibus non eò vsque progressus est, vt in hæresim transiret, nisi post-
quam in Apollinari, qui eum pertinacius propugnauit, à Damaso Pontifice
damnatus est circa annum 373. cum interim Origenis tempore rursus re-
suscitatus est sub annum Domini 411. cautè aduersus Chiliasas proceden-
dum fuit, ne in contrarium Origenistarum errorem lapsus contingeret.

CHRISTOPHORVS Schaplerus sub Carolo V. an. 1525.

De hoc nomine scribens Iohannes Corion lib. 4. chronicorum hunc in
modum ait; Eodem hoc anno 1525. in Germania horribiles, & ante nun-
quam auditi motus à seruis rusticis in Allatia (sicuti etiamnum in superiore
Austria post evolutum annum centesimum, rustici magnas Frederico Imperatori
II. tragœdias excitare magno suo infortunio cœperunt, licet brevi tempore consopita
sint) Sueuia, Francia, & Thuringia excitabantur. Qui motus magna vi & ar-
mis Principum ita sunt repressi, vt intra menses fermè tres, supra centena
rusticorum millia in conflictu conciderint, non aliter atque pecora truci-
dati. Christophorus porro Schaplerus, duodecim articulos conscripserat de li-
bertate Christiana, inter quos præcipuus erat, tributa non esse pendenda magi-
stratui. Ex qua doctrina sicuti & ex plerisque Lutheri libris, spe libertatis
acquirendæ, maxima rusticorum pars accensa, arma aduersus legitimum
magistratum illegitimè induit.

CIRCUITORES seu CIRCVMCELLIONES circa ann.
Christi 321.

y Tractatu
13. in Iohan.

4. Lib. 3.

Sub Donato hæresiarcha, ipsoque docente, forsitan & cohortante, ob-
orti sunt in Africa Circumcelliones, sic dicti (inquit y Augustinus) quòd cir-
cum cellas vagarentur, quos tamen à Donato Agnosticos, & eorum Præ-
fectos, Duces sanctorum, specioso videlicet adumbratæ pietatis titulo, no-
minatos esse, a Optatus Mileuitanus, qui ista ferè ætate vixit, testatur. Hi igitur
circumagantes per nundinas, villas, vicosque, iactabant se publicæ iustitiæ
vindices; eoque prætextu & seruos ad pileum vocabant, & oppressos ære
alieno, à creditoribus liberabant. Quorum immania scelera aduersus Ca-
tholicos

holicos perpetrata, insanumque furorē mart yrij adipiscendi, B. *Augustinus* subinde commemorat. Qui anno Domini 348 armata vi *Constantis* Imperatoris Legatis *Paulo* videlicet & *Macario*, resistentes, malè accepti sunt; iisque id sceleribus aliquantò post effecerunt, vt capitale in eos supplicium ab *Honorio* Imperatore decerneretur.

CLANCVLARIJ sub Carolo V.

Hi *Anabaptistica* sunt sectæ, existimantque sibi licere si de ea interrogentur, inficias ire; satis abundè putantes, si ipsimet clam quid sentiant, cognitum habeant; nec id fore opus palam edicere. Et hi nonnunquam magnis degunt in vrbibus *Hollandiæ* ac *Zelandiæ*, domi se suosque docentes, aut in hortis conuenientes, vnde & *Hortenses* etiam audiunt.

CLAVDIVS Taurinens, Episcopus circa an. 800.

De hoc *Claudio* refert *Prateolus*, quòd fuerit *Anglus* natione, *Iohanni Vvicleffo* eiusdemè ferè & hærësis & nationis cõuus: dux videlicet & magister eorum, qui crucem dominicam nullo pacto adorandam contendebant; tum quoque baptismum esse nullum, si fronte ipsius baptizati signum crucis non infingeretur.

CLEOBIANI aate Apostolorum,

B. *Ignatius* de his scribens ait b *Fugite ipsius nequissimi diaboli nepotes* b ad *Trall. Theodotum* & *Cleobulum* (ab hoc enim *Simonis* discipulo nomen traxerunt) qui generant fructum mortiferum; de quo si quis gustauerit, moritur aeterna morte.

COLLVTIANI sub initium Pontificatus B. Sylvestri circa ann. 315

Iis ferè temporibus quibus *Arrius* prodijt *Colluthus* æquè Presbyter Alexandrinus, & vnus ex Ecclesijs eiusdem ciuitatis Præpositus, surrexit. Qui etsi non esset Episcopus, cœpit tamen ordinare Presbyteros, & docere hærësim, affirmans Deum non esse malorum creatorem. Qui damnatus fuit in Concilio Alexandrino anno 319. Coniunxerant se autem *Colluthiani*, quod c *Athanasius* læpè deplorat, *Arrianis* & *Meletianis* aduersus Catholicos; quatenus coniunctis viribus eos opprimerent.

Colluthus
Presbyter,
non autem
Episcopus
fuit.

c *Apolog 2.*

COLARBASIANI tempore Soteris Papæ circa ann. 175.

Author huius sectæ *Colarbasus* apud *Philostratum Bassus* reperitur dictus quem d *Epiphanius* primò de hærësi *Valentini* sensisse cum *Marco* affirmat d *Hærësi 35* postmodum verò ab eo diuisum, deteriora deliria coagmentasse. Ambos

autem

e Lib. de
Prascript.
cap. 50.

¶ lib. de he.
res.

autem tradit e *Tertullianus*, nouam hæresim ex Græcorum alphabeto concinnasse, quod negarent veritatem sine illis literis posse inueniri, sed totam plenitudinem & perfectionem veritatis in ijs esse dispositam, ob idque Christum *Alpha & Omega* sacris in literis pronunciatum esse *Quin* & teste *Augustino*, omnium hominum vitam & generationem ex septem sideribus constare nugabantur. Item *CHRISTVM* non fuisse verum hominem, nec verè sed putatiuè passum.

COLLYRIDIANI circa ann. 395.

Collyridiani inde nomen sibi acquisierunt, quod præ finita quadam anni die *collyridem* siue placentam *Deiparæ* *Virgini* in sacrificium offerrent, sacra ipsa per mulieres peragentes: quam interim affirmabant humanæ naturæ prorsus expertem, ac diuinæ duntaxat participem fuisse, quam quidem hæresim circa annum Domini 395, in Arabia & superioris *Scythiæ* partibus emeruisse *Prateolus* asserit.

CONCORDENSES sunt ferè iidem illi, quos **ALBANESES** nuncupari superius diximus.

CONDORMIENTES sub Carolo V.

Hi sunt de secta *Anabaptistarum*, qui authore *Staphylo*, præ nimio noui *Euangelij* amore iubent, vt viri ac fæminæ, iunenes ac virgines, vno in loco ac cubiculo viuant ac dormiant. Quemadmodum quondam in *Burgundia* & in *Bohemia* deinceps *Grubenheimeri* faciebant: qui extinctis luminaribus, *srescite & multiplicamini* ingeminabant.

CONFESSIONISTÆ sub eodem.

g In Dubi-
tant. dialo
go. 2.

Melanchthon
& à suis
à seipso ar-
guitur Con-
fessionis Au-
gustanae to-
ries immu-
tata.

h Fol. 402.

Hi verò *Lutherani* sunt, ex prima nimirum *Euangelicorum* classe. De quibus *g Lindanus* agens, dicit eos in varias esse factiones diuisos. Cum interim *Lutherani* illi, qui *Carolo* quarto *Confessionem* suam anno superioris seculi trigesimo *Augustæ* *Vindelicorum* obtulerunt, *Confessionistæ* inde dici gaudeant. Cuius quidem *Confessionis* confarcinator primarius fuit *Melanchthon*, qui toties eandem crambem recoxit, inutilauit, deprauauit, vt etiam à suis hoc nomine quam pessimè audiat. Nam *Saxonici Theologi* in colloquio *Altenburgensè* satis acerbè in *Melanchthone* inuehentes, dum fasciculum illum librorum, quem *corpus doctrinae* appellant, erroris ac temerariæ immutationis arguunt, h conqueruntur priora exemplaria non habere veram ac germanam *Confessionem Augustanam*. Substituta est enim, inquit, alia quadam, quæ neque scripta neque exhibitæ est *Augustæ*, neque à *statibus Augustanæ Confessionis* unquam approbata. Posteriora verò exemplaria confundunt ipsa collatione prepostera veram cum falsa. Non enim habuit author potestatem

testatorem

restatem corrigendi, quod alii suum fecerant subscriptione & exhibitione. Præterea Philippus adeo subinde eam mutare ausus est Confessionem, ut tandem Sacramentariis fenestram aperuerit, qua in eam irrepserunt. Et hæc Saxonici; Philippus autem epistola secunda ad Lutherum sic. *In apologia (Augustanæ scilicet confessionis) quotidie multa mutamus. Subinde etiam mutanda sunt, & ad occasiones accommodanda.*

CONONITÆ circa ann. 584.

Cononitas dicit Prateolus à *Conone* quodam Alexandrino Episcopo cognominatos fuisse. Cuius meminit *Nicephorus*, asserens docuisse, humana corpora non secundum materiam, sed tantum iuxta formam interire, eaq; denuò reformari, præstabiliorem speciem materiâ ipsa recipiente. Meminit & *Cononis* huius *k Baronius*, sed ad annum 535, non ut Prateolus 584. i lib. 18. h^{is} stor^{ic}ap. 47
k Tom. 7.
ann. 535.
num. 77.

*CONRADVS Vorstius, vide Vorstiani
CONSTANTIVS Imperator, circa ann 340.*

Fuit hic Filius *Constantini Magni*, & frater *Constantis*; qui in *Arrianam* hæresim prolapsus, quosdam in Deo gradus existere opinatus est. De cuius impietate, fraude, ac tyrannide multa reperiuntur in insigni libro, quæ *Hilarius Pictavorum Antistes* in eum scripsit. Quem *I. B. Hieronymus Arrianorum Regem* haud immeritò nuncupans, malè interiisse adserit, sic enim ait, *m Constantius Arriana fautor hæreseos, dum contra inimicum paratur, & concitus fertur ad pugnam, in Moyse viculo moriens, magno dolore hosti reliquit imperium.* Idque anno Domini 361. i in vita S.
Hilarion
Eremita
m In Epitaphio Nepes.

CONSTANTIVS V. Imperator circa ann. 740.

Constantinus quintus Imperator Constantinopolitanus, *Leonis Tertij* filius, *Copronymus* cognomèto, non solum patris impietatè in abolendis Sanctorum imaginibus secutus est, verum etiam grauiore scelere eorundem reliquias aut contemptui habuit, aut flammis sustulit. Lasciua insuper luxuria, & demonum inuocationibus, alijsque flagitijs summopere deditus fuit. In Deiparam verò Virginem blasphemus, eius loco (horrendum dictu) Venerem colens, & victimas humanas eidem offerens, ut inquit *Suidas*. Verum diuinæ vltionis vindictam haudquaquam euasit. Nam elephantia morbo correptus, horrendo cum vlulatu exclamauit, se igni inextinguibili traditum esse, sicque tot blasphemijs consceleratam animam exhalauit, atque Orco mancipauit.

CONSTANTINVS VI. circa ann. 790.

Constantinus Sextus huius nominis Imperator, *Leonis IV.* filius fuit, Imperioque

perioque præfectus est cum *Irena* matre anno 780. cum adhuc puer esset. Verùm quia *leonomachia* hæresi se contaminavit, hinc secundam Nicænam Synodum, in qua definitum erat, *ut qui imagines sacras abolendas dicerent, perpetuo anathemate notarentur*, suscipere reculavit, qui & ipse infœlicem vitæ exitum est fortitus.

CONTABDITÆ al. *Cantobaddita* circa ann. 535.

Hi primùm *Severite* nuncupati sunt, sed postmodum à loco quodam, *Contobaddita* sunt dicti, *Item Angelite, & Damianiste*. Hi alium dicunt esse Patrem, alium Spiritum Sanctum: non habere autem horum quemquam per se ipsum naturam, sed communem Deum, seu deitatem in eis existentem: atque de ea deitate, inuisibili modo participantem, quemlibet esse Deum. Vnam autem subsistentiam opinantur esse, Patrem, & Filium, & Sp. Sanctum: communem verò ipsum Deum, subsistentiam & naturam. Quæ admodum de illis scribit *n Nicephorus*. Gignebantur autem potissimùm hæc monstra in *Ægypto*.

n lib. 18. hystor. cap. 49.

COPRONYMIANI vide paulò ante *Constantin. V. Imperat.*

COPTI etiamnum *Indiam* incolentes.

De *Coptis* obiter agens *Bernardus Lutzenburgius*, dicit illos quidem Christianos, sed interim tamen hæreticos in *India* passim degentes, & suis in *Ecclesijs* fabuloso quodam codice, quem *secreta Petri* appellant, vrentes, atque in missis suis *Euangelium Nicodemi* legentes.

COSMIANI circa ann. 350

Cosmiani à *Cosmo* quodam hæretico nomen sortiti sunt, qui *Marcellianis* (de quibus postmodum dicemus) assentientes, in secunda vniuersali *Constantinopolitana* Synodo, de Christo malè senserunt; negantes ipsum & Dominum & Deum, & mediatorem, & imaginem Dei ante secula esse.

CRESCONIVS circa ann. 358.

Fuit hic ex *Donatistarum* factione, qui filium Patre minorem, & Filio Sp. Sanctum, impiè adseribat. Contra quem *B. Augustinus* quatuor libros conscripsit, in quibus præter cætera eum reprehendit, quod *Petilianum* negantem *CHRISTVM* esse Christianorum originem, radicem, & caput, mordicus defenderet.

CRISPINVS circa ann. 400.

Fuit & hic factionis *Donatisticae* in *Calamensi* ciuitate ac regione *Episcop.*

copus contra quem idem quoque B. *Augustinus* disputans victoriæ palmam reportauit.

D.

D A D O E S circa annum 367.

Fuit hic *Dadoes* vnus ex *Massalianorum* hæreticorum Ducibus, dicens nullam vtilitatem baptizatis ex baptisate prouenire, sed solam studiosam orationem dæmonem inhabitantem profligare. Cuius equidem hæretici meminuit o *Nicephorus*.

D A V I D - G E O R G I A N I anno 1530.

o lib. 21. h
stor. cap. 140

David-Georgius celebris *Anabaptistica* factiõnis assertor ac promotor natus est Gandavi in Flandria anno 1501. matre Delphansi, patre verò *Georgio* Amisfortio, quod est *Ultraiectinæ* ditiois oppidum; homine histrionicam agente, natus est. Qui patrem probè imitatus, præstigiæ suarum illecebris ita homines à primæua ætate dementare cœpit, vt tertium se *Davidem*, imò *Mesiam* ipsum de prædicans, muliercularum sese familiaritati facile insinuaret; prorsus vt se fœlices dictarent, si maritali thoro relicto, ex promisso ipsius, quod nugabatur semine, concipere possent. Qui quidem etsi opifex esset, ac vitrearum concinnadarum fenestrarum peritus, linguæ tamen lubricitate, ac grata morum gesticulatione, ita se nouerat in aliorum amicitiam insinuare, vt pro magno potiùs quàm mago (qualis reuera fuisse putatur) haberetur. Vnde *Basileam* anno 1544. celebri cum comitatu veniens, gratiose quæ magistratui se insinuans, benignè aliquamdiu istic habitus est, pestiferæ suæ sectæ interim dogmata hinc inde profeminans. Erat homini corpus quadratum, barba flaua, oculi glauci & micantes, sermo grauis & sedatus, totius corporis motus, status, incessus decens, & ad omnem, vt videbatur, probitatem compositus. Vnde & post mortem, quam ibidem obiit anno 1556 octauo Calend. honorificè quidem in æde *Diui Leonardi* sepultus est; sed vbi eius impostura proprijs eam prodentibus discipulis, magistratui aliquanto post obitum innotuit, prolata est talis in eum sententia, vt eius scripta omnia flammis exurerentur, cineres & quidquid ossium superesset sepulchro extaherentur, & per carnificem extra urbem iuxta supplicij locum cremarentur. Et hic quidem condignus fuit pleudo huius Prophetæ vitæ exitus. Hæreses autem eius tali ferè modo à *Prateolo* enumerantur.

Surino ad
ann. 1556.

1. Dei se nepotem nuncupabat, & quod cum feris & auibus quacunque lingua colloquebatur, victum ab ijs accipiens.

2. Asserebat cœlum omninò esse vacuum, se autem ad id missum, vt filios regni cœlestis hæredes adoptaret.

Impia Da-
uidis Geor-
gij dogmata

3. Mor-

3. Mortuorum resurrectionem, extremum iudicium, tum bonos tum malos spiritus, vitamque æternam cum *Saduceis* pernegebat.

4. Matrimonium quoque cum *Bohemis* & *Adamitis* improbat, volens mulieres omnes communes esse.

5. Asserebat stultum esse, si quis putaret peccatum esse abiurare Christum coram hominibus, atque ideo stolidos vocitabat *Apostolos* & *Martyres*, quod eam ob causam se interfici permisissent.

6. Dicebat item cum *Epicureis*, non animum, sed solam carnem, peccatum contrahere.

7. Quodque animæ eorum quos infideles nuncupamus, æquè saluabuntur atque fidelium; & Apostolorum corpora æquè damnabuntur atque infidelium.

8. Se quoque prædicabat tertium *Davidem*, qui super terram regnare deberet. Se etenim dilectum Dei esse filium, non ex carne sed spiritu natum, in quem Spiritus plenè effusus sit. Atque id genus alia nugamenta.

DAVID DINANTIUS circa ann. 1204.

Dinantium celebre satis oppidum, Leodico duodecim circiter leucis disiunctum, hæretico huic *Davidi* patria exstitit; cuius hæresis hæc fuit, quod doceret Deum esse materiam primam, non considerans, impossibile esse, Deum aliquo modo in compositionem alicuius rei venire. Habebat insuper & alios errores cum *Almarico*, de quo supra dictum est, communes. *Davidis* autem libri, teste *Cesario* Heisterbacensi monacho, qui vixit eodem fere seculo utpote anno 1220. perpetuò damnati sunt & exusti.

DEMONIACI sub Carolo V, Imp.

Demoniaci sunt *Anabaptistica* sectæ: quorum alij dæmones saluandos cum *Origenistis* opinantur; alij verò *Cacodæmonem* colunt, & ne quid diuini cultus missum videantur facere, uti nos Catholici Deum nonies inuocamus, ita ipsi, teste *Hosio* Cardinale, diabolum per diem decies inuocant.

DEISTAE anno 1564.

Ex *Lutherana* secta ante annos admodum sexaginta exortum est in Polonia quoddam hominum genus, qui se *Deistas* nuncupabant; noui scilicet *Arriani* seu *Trinitarii*, & aliquanto post in Galliam penetrantes, apud *Lugdunum* execrandas suas hæreses disseminauerunt. Quorum Ducem sese profitebatur quidam *Gregorius Pauli* Cracouiensis Minister; docens, Tres quidem esse Patrem, filium, & Spiritum Sanctum, sed non tres personas. Item vnã esse naturam seu Deitatem, communem tribus illis, sed non esse

vnam

vnam essentiam. Tum quoque vnum esse Deum, sed tantum Patrem dici vnicum & verum Deum, filium verò & Spiritum Sanctum, non dici vnicum illum Deum; contra quos librum edidit *Iohannes VVigandus*.

DESIDERIVS Longobardus circa ann. 1250.

Vixisse hic legitur temporibus D. *Thome Aquinatis*, qui se illi in eo opposuit, o quod diceret voluntariam paupertatem non solum inutilem, verum etiam noxiam: illicitum esse adseuerans, omnia pro CHRISTO misa facere; nisi quis talem religionem ingrediatur, quæ possessiones ac proventus sufficientes habeat, vel manuum suarum labore victum sibi acquirere valeat.

DESIDERIVS ERASMVVS circa an. 20.

Diu multumque ambiguus hæsi, essemne *Erasmum* huic Scismaticorum ac hæreticorum Catalogo inferturus, maximè quando in *Lutherum* calammum stringens, eius hæreses detestatus est, & nonnulla Ecclesiæ utilia posteris literarum monumenta reliquit; natus nimirum ac educatus Catholicè *Roterodami* Batauorum anno 1465, septimo Kalend. Nouemb parente, vt aiunt, Presbytero Gandauo. Quem vtique constat virum fuisse Græcè iuxta ac Latinè apprimè eruditum; vtpote qui plerasque Christiani orbis Academias, magna tamen celebritate, quâ scribendo quâ docendo obiuit: licet minus circumspèctus in nonnullis fuerit, calammum exerens liberius, quàm periculoso illo tempore expediebat: quod & postmodum re ipsa comperiens, detestatus fuisse dicitur. De quo nostri æui scriptor insignis, verè non minus quam sincerè ait, postquam Theologum agere cœpit, ingenio solum, nimium sibi sumpsisse ac tribuisse; dumque in tractandis lacris literis veterumpue Parrum scriptis, seuerum se nimis Aristarchum præbuisset, nominis sui authoritatem vehementer Labefactasse. Quemadmodum iam ante & q *Pighius* & r *Canisius* etiam animaduertentur familiaria illius colloquia, iuuenili ætate scripta ac dicata, meritissimè improbâtes. Quorum sicuti & aliorum nonnullorum Scriptorum eius censuram egit Vniuersitas Pariensis an 1526 liberè professa, in illis contineri nonnulla erronea, scandalosa & impia. Nimis tamen in illum vehementer inuehi videtur. *Marianus Victorius* vocans illum *somnium hæreticorum pessimum*, item *insulsissimum Batauum* &c. quod non parum displicuit *Iohanni Molano* Louaniensi Theologo, in censura quam præfixit operibus B Hieron. Et quidem diffiteri non licet, quin *Erasmus* nasuta sua græci in Latinum noui Testamenti versione & monstrosis aliquot in Scriptura excogitatis glossis nonnulla *Luthero* dissidiarum ac turbarum argumenta subministraverit, vt prouerbio ferè locus inde sit datus, *vbi Erasmus innuit, ibi Lutherus irruit*, &c. quæ videre

o cap. 2. lib. 3.
contra religion. impug-
nantes.

p. *Aubertus*
Miræus in
Elogijs Bel-
gicis.

q lib. 2. de
Eccles. Hieron.
rarch. c. 8.
r lib. 5. *Ma-*
ria. cap. 10.

s *Schol. 10.*
in Epist. B.
Hieron. 30
q. alibi.

Lector poterit in insigni opere Mariano *Petri Canisii* totoferè cap. decim libri quinti. Obijt autem Basileæ an. 1536. quinto idus Iulij, homo iam septuagenarius, honorificè ibidem in æde cathedrali memorabili cum epitaphio tumulatus.

DICARTITAE circa ann. 279.

Hi cum *Gnosticis* in vnum conspirantes, dicebant animam hominis esse aut Dei substantiam, aut ex Dei substantia, habebantque nonnulla *Manichæorum* commentis similia.

DIMÆRITAE circa ann 377.

Hi non perfectam *CHRISTI* incarnationem cofitebantur quorum aliqui coëssentiale corpus Deitati dicere ausi fuerunt, quidam verò animam ipsum accepisse negabant. Nonnulli autem propter dictum hoc *Iohan. Verbum caro factum est*, negabant à creata carne, hoc est *Maria* ipsum carnem accepisse, & contentiosè solum *Verbum* carnem factum esse nugabantur.

DIMOPHILVS Episcop. Constantin. circa an. 370.

Al. Demophilus.

Subrogatus fuit hic *Dimophilus* in sede Constantinopol. in locum *Endo-*
t *Lib. 3. cap. xij* an. 3700. qui adhærens *Arriano* dogmati, in Concilio *Ariminensi* hæreteos
11. damnatus est, obijtque anno 386. De quo agunt t *Socrates* & v *Sozomenus*.
v *Lib. 6. cap.*

33.

DIOSCORVS Alexandrin. Episc. circa an. 453.

Dioscorus à quo *Dioscoriani*, electus quidem fuit antistes Alexandrinus an. 444. & *Cyrillo* suffectus, sed superinducta hætenus admirandæ sanctitatis larua.

y *Synod. Calcedon. act. 3.*

Cum speciem præ se ferens humilitatis atque modestiæ, immensam tamen intus superbiam & arrogantiam occultaret. Vt pote quem *Origenistam* fuisse & *Arrianum*, imo homicidam insuper & incendiarium, vitæque turpissimum, libelli aduersus eum y *Synodo Calcedonensi* oblatis, declararunt. Damnatus porrò legitur in Concilio *Constantinop.* sub Legatis Apostolicæ Sedis an. 450. relatus autem *Gangram* Paphlagoniæ ciuitatem, ibidemque infœliciter mortuus anno 452. hæreticus nimirum enormiter sacrilegus, qui sacræ Incarnationis mysterium abolere præsumperat.

DISCALCEATI ante tempora *B. Augustini*.

a *Exod. 3.*

Mordicus hi adseuerabant, non licere homini calceamenta gestare, ideo quod

quod Moyſi à Deo præceptum fuiſſet, vt ſolueret calceamentum pedum ſuorum, & Chriſtus ipſe apoſtoliſ prohibuiſſet, nec peram, virgam calcea-^{b Matt. 10.} mentaue circumferrent, genuinum horum Scripturæ verborum ſenſum non intelligentes.

DONATISTÆ circa ann. 306.

Cum *Cacilianus* olim ex Diacono Carthaginenſi electus eſſet ibidem in Episcopum, ægrè id admodum tulerunt *Botrus* & *Caleſius*, qui eundem Episcopatum ambiabant. Vnde adhibita *Lucilla* factioſiſſima & pecunioſiſſima ^{Origo ſchiſ-} quadam fæmina, ſeſſionem à *Caciliano* fecerunt, ac tetrum ſchiſma anno ^{matis Do-} 306. conſlarunt; quod anno tandem 321 in hæreſim manifeſtam erupit. ^{natistarum,} Quod etſi à præfatis præcipuè conſlatum eſſet, conſtat tamen à nullo illo- ^{quod poſtea} rum nomen accepitſe, ſed qui ei adhæſerunt, dictos eſſe DONATISTAS: ^{in hæreſim} nempe vt ex *B. Auguſtino* conſtat, à *Casus nigris* in Numidia, qui primus ^{erupit.} inſtigante *Lucilla*, *Cæciliano* adhuc Diacono, apud Carthaginem ſchiſma ^{vnde no-} fecit: & poſtquam *Cacilianus* factus eſt Episcopus, iunctis ſibi alijs ſuæ fa- ^{men traxe-} ctionis Episcopis, aduerſus eum ordinavit *Maiorinum* quendam. At eru- ^{rint.} belcentes *Donatiſta* denominari ab iſto *Donato*, quem conſtaret à *Melchiade* ^{c Lib. 1. Re-} Papa eſſe damnatum; potius ab alio *Donato*, qui *Maiorino* in ſchiſmate ſuc- ^{tract. cap. 21} ceſſit, nomen ſe accepitſe iactarunt. Quem pro magno habebant, ac veluti omni labe puriſſimū, defendebant; quæque eloquætia ſua valdè illam hæreſim confirmatſe, *B. Auguſtinus* tradit: qui in eadem refutanda ſedulū ſe præſtitit. Cæterum aliquantò poſt, vt pote circa ann. 394. diſſenſiones inter ^{Sunt inter} eos exortæ ſunt, ita vt eorū nonnulli *Primianiſta*, alij verò *Maxianiſta* nuncuparentur: qui tanto inter ſe ardore (vti inter luperbos ſemper ſunt iurgia) ^{ſe diuſi &} conflictati ſunt, vt & ad iudicia publica ſe mutuò traherent, & cædibus incendijsque ea occasione omnia replerent. Quin imo *B. Auguſtinus* *Donatistarum* hæreſim in multa minutiffima fruſta ſuo tempore concifaſſe, ^{diſcordes.} oculatus teſtis eſt. Quorum hæc præcipua dogmata erant: quòd dicerent in primis, Eccleſiam ex ſolis iuſtis conſtare; vnde deducebant Eccleſiam viſibilem periſſe de orbe terrarum, & in ſola Africa remanſiſſe. Eccleſias proinde Catholicorum ſpoliabant, ſacros calices vendebant, ſacram Euchariftiam canibus (pròh ſcelus) obijciebant, ſacro Chriſmate calceos inungebant, Catholicos crudeliſſimè enecabant: monachos & ^{Eadem hæc} Episcopos, quos *Phariſæos* nuncupabant, odio habebant, & in primis *Pontificem Romanum*, cuius Sedem cathedram peſtilentiæ appellabant. In quo- ^{Donatiſta-} rum flagitia non ſolum Eccleſiaſticus ac ciuilis magiſtratus, verum etiam ^{rum flagitia} *Deus* ipſe ſeuerè nonnunquam animaduertere viſus eſt. Nam dum quo- ^{Caluiſta} dam tempore ſacram euchariftiam canibus obiectarent, ipſi ab iſdem, teſte ^{noſtri tem-} *Optato Mileuitano*, diſcerpti ſunt ac dilaniati. Eò quoque veſaniæ proruperunt ^{poris probè} vt mortem ſibi violentam inferrent, & inferri ſinerent, quatenus martyrij ^{imitati ſunt} *Donatiſta* nomine ^{c Lib 2. con-} ^{tra Parmen}

nomine insigniri possent; reijcientes interim baptismum; & rebaptizantes eos, qui à malis & impuris Sacerdotibus (hos etenim Sacramenta ritè conferre posse inficiabantur) baptizati erant. Qui non solùm in Synodo Romana à Melchiade Papa ann. 313. damnati sunt, verùm etiam Arelatensi an. 314, & diuersis vicibus ab Imperatorib. in exilium acti, pœnis mulctati, capitalis denique supplicij comminatione coerciti.

DOROTHEVS circa ann. 398.

g Lib. 19.
hist. cap. 13.

Tempore Theodosii, Imperij consortis à Gratiano cooptati, Dorotheus quidam Arriane factionis apud Constantinopolim præfectus fuit, ac Marino cuidam Thraci substitutus: qui ad centesimum & vigesimum ætatis annum, vt testis est f. Nicephorus, perueniens, sectam hanc Arrianam pertinacitè tertutatus esse legitur.

DOSITHEANI circa ann. 350.

g Lib. hare-
ti. fabul. in
Sim.

h contra
Luciferian.

Mutuati sunt hi nomen à Dositheo quodam Iudæo genere, quos g Theodoretus inter Simonis Magi discipulos connumerat. Qui quidem Dositheus ab Ægesippo inter primos pseudochristos & pseudoapostolos, Ecclesiæ pacem & vnitatem scindentes, refertur. De quo & h. B. Hieronymus commemorat, quod cum esset Samaritanorum Princeps, ausus sit Prophetas repudiare, & dicere secundum carnem solùm esse viuendum in Lege Domini.

k Feriari
lib. 4.

Baronius porro refert in annalium suorum apparatu tempore Christi apud Iudæos fuisse Essenos, Samaritas, Gortheos, Dositheos. De quorū postremis ita ait: quartum genus erat DOSITHEORVM qui resurrectionem quidem mortuorum profitebantur superstitione tamen nonnulla ad nouum vitæ genus instituendum accommodantes, ab animatis abstinabant; &, quod k Origenes, adeo superstitione sabbathum colebant, vt quouisque eorum habitu, loco, situ, Sabbathi die inuentus fuisset, sine stans sedensue, intus vel foris, eodem loco eademque positione, ea die vsque ad vesperam permaneret: licet Pammelius duos diuersos fuisse Dositheos existimet, vnde hi & isti, de quibus Theodoretus agit, cognominati sint, vti videre licet in eius Scholijs ad librum Tertulliani de Præscript. cap. 54. num. 296.

DVLCINISTAE circa ann. 1309.

Tempore Henrici septimi Cæsaris Germanorum, exstitit in Tridentinis montibus Dulcinus, veterum iuxta ac nouorum errorum inuentor ac reintegrator pestilentissimus. Quem tam pudendæ ac effrenis libidinis fuisse l. Bernardus Lutzenburgius adserit, vt ad sex millia vtriusque sexus sub charitatis specie cohabitare docuerit, & blandiloquentia quadam impule-

rit: qui alpes incolentes, in omne libidinis flagitium prolaberentur: adeo vt hæc pestis duorum aut trium annorum spatio miserandum in modum proserpens, edomari aut extirpari vix potuerit. Contra quos tandem bellum à *Clemente* huius nominis quinto inductum est, illique partim inedia & frigore, partim armis oppressi: capto interim *Dulcino* cum *Margareta* vxore sua: qui prius membratim concisi, ad postremum exusti sunt, & in cineres redacti.

DVRANDVS de Waldach. circa ann. 1117.

Hic in partibus Aragoniæ cum quodam suæ farinae consorte, tempore *Paschalis 11* Pontificis, hæreses quædam instituens, inter cætera aiebat, matrimonium nihil esse aliud, quàm occultum meretricium. Cuius hæreses damnatæ istic fuere per Episcopum Gerundensem, & *Arnoldum* Rirgenssem, hæreticæ fidei Inquisitorem, præsentem Aragonum Rege *Iacobo*; illi autem vti impœnitentes ignibus traditi, & incinerati.

E.

EBIONITAE circa ann. Christi. 74.

Post excidium Hierosolymitanum emerfit è *Cocaba*, vico *Basanitides* regionis Hæresiarcha scelestissimus *EBION*, qui ad conciliandam sibi maiorem fidem, ideo eo nomine nuncupari voluit, quòd volens libensque pauper effectus esset; iactans se fuisse vnum ex illis, qui rerum suarum pretium ad pedes Apostolorum deposuissent. Et quidem *EBION* quidquid fuit horrendum & abominabile in singulis sectis *Samaritanorum*, *Iudeorum Nazæarorum*, *Cherintianorū*, *Carpocratianorū*, assumēs, omne turpitudinis & impietatis prodigium luperasse videtur; prædicans non solum in Asia, verum & Romæ *B. Paulo* molestias faciens, & *B. Iohannem* ad Euangelium suum literis commendandum, teste *m Hieronymo* adigens: plurima quidem communia habens cum *Cherintho*, non tamen omnia. Siquidē *Ebion* mundum à Deo creatum, *Cherinthus* verò ab Angelis esse factum adstruebat. *E-*didit autem *Ebion* non solum adulterina Apostolorum acta, in quibus vnà cum impietate multa mendacia coagmentauit; verum etiam *Circuitus B. Petri* per *Clementem* scriptos, ad hæresium suarum confirmationem deprauauit, ausus iusuper imponere *B. Petro*, quòd se quotidie in aquam purificationis gratià mergeret, & ab animatis & carnibus omninò abstineret: quæ videlicet *Ebionite* obseruabant. Quin & virginitatem non admittebant, & ad sanguinem Christi in eucharistia conficiendum, aqua duntaxat utebantur, à Deo item dicebant duos fuisse ad rerum dominium ordinatos, *Christum*

Cur dici vo-
luerit Ebi-
on.

Vnpe hæresi
suam con-
flauerit.

m De Script
Eccles. in
Iohanne.

scripsit pse-
uda Aposto-
olorum
acta.

Ebionita-
rum hærese

n Epist. ad
Philadelf.

p Lib. de
Christo cap.
15.

q Dial. 2.
pag. 202.

* Al. Ecebo-
lius.

In colenda
religione
velut Prote-
us quidam
fuit.

r Lib. 10.
hist. cap. 23.

videlicet & *Diabolum*; illumque accepisse in sortem futurum seculum, huic verò mundum fuisse concreditum. Porro illum velut vnum ex Angelis, sed ex cæteris maiorem esse creatum, & quod pertinet ad carnem assumptam ex viri semine procreatum; eundemque Adam primò se induisse, ac postea exuisse. Quod autem *Ebion* adseruerit *CHRISTVM* Mariæ filium purum hominem extitisse, apertis hisce verbis n *Ignatius* testatur; qui dicit *IESVM purum esse hominem, serpens est, mentis inops, cognomine Ebion*. Quod idem *Transylvanos* etiam nostro sæculo docuisse author est p *Bellarminus*, & *Anabaptistam* quendam *Adamum Pastoris*, vti est apud q *Lindanum* in *Dubitantio*.

QVOD autem spectat ad politiam; *Ebionai*, sicut & *Nazarei*, æquè Legem cum Euangelio tradebant esse seruandam; vtebanturque *Matthæi* Euangelio, sed decurtato, sicuti & cæteris diuinis Scripturis. Cogi insuper omnes voluit *Ebion* vxorem ducere, etiam impuberes, liberum relinquens, quot quisque veller vxores accipere. Contra quem diuersi scripsère, vtpote *Ignatius*, *Clemens Romanus*, *Epiphanius*, alij.

* *ECEOLVS* Sophista circa an. 365.

Fuit hic Rhetor magni nominis, & *Iuliani* apostatæ præceptor: qui pro Principum religione fidem mutans, cum sub *Constantio* Christianum simulasset, sub *Iuliano* gentilitatem coluit: idemque rursus eo mortuo, ad Christianos rediens & ante portam Ecclesiæ quasi pœnitens se pronum abijciens clamabat, *me quasi sal. infatuatum pedibus conculcate*, vti est apud r *Nisephorum*.

BIVLANTES sub *Carolo V*.

Licuit hosce in Belgio videre, quando sartor ille *Ioannes* pseudo Monasteriensium rex rerum istic potiebatur, & diuersa *Anabaptistarum* colluies, diuersis in locis exurgebat: docentes nihil posse Deo, deuotius ac ceptiusque esse, quàm continuo se eiulatu dedere.

ELCESÆI, siue *ELCHESAITÆ* circa ann. 74.

Elxai pseudopropheta ludæus, *Ebionis* tēpore viuens & *Ossenorū* antiquæ heresis Princeps existēs, multa cū *Ebione* in dogmatib⁹ cōmunia habuit insuper imaginaria quædā, velut ex reuelatione introducēs, aduersāsq; virginitati, ad nuptias passim suos cogebat. Adseribat quoque peccatū non esse, in persecutione fidē abinrare, dūmodo corde reniteretur. Prohibebat insuper orare ad Orientem, & faciem ex omnibus partibus Hierosolymam versus conuerrere docebat. *CHRISTVM* nomine tantūm confitebatur, ac creaturam duntaxat esse dicebat, semper apparentem primò in Adam, inde in Christo

Hac ferè
Baron. ex
Epiphani. ad
an. 105.

Christo: eundemque describebat quandam esse virtutem, habentem mensuras milliariorum nonaginta sex in longitudinem, quatuor autem & viginti in latitudinem, crassitudinem similiter emerens, & pedes, & reliqua fabulamenta &c. reiiciens vniuersam propemodum Scripturam sacram.

ELEVSIVS *Cyricenus* *Epis. circa ann. 358.*

Fuit hic vnus ex Principibus *Semi-Arrianorum*, qui se *Arrianis* primò quidē opposuit, postmodum verò ab illis descessens *Macedonianorum* Primas effectus est; idque inde accidisse *f. Baronius* narrat, quòd cum *Macedonius* *Constantinopolitanus* *Episcopus* in suburbij *Constantinopolis* agens, haud diu post è vita excessisset, *Eleusius* post obitum *Constantij* Imperatoris *Cyrici* præualens, ibidem eius sectam in tantum propagauerit, vt eandem *Cyricenam* urbem, & *Anastafus* *Nicænus* *Episcopus*, ciuitatem *Macedonianorum* appellet, cum falsa quædam signa & præstigias *Episcopi* cuiusdam *Macedoniani* recenset. Cæterum sub *Iuliano* *Apostata* *Eleusius* carceri, mancipatus fuit, eò quòd *Gentilium* fana vastasset, ipsosque *Gentiles* ad ritus patrios contempnendos induxisset, verum inde liberatus, & ad *Oecumenicum* *Constantinopolitanum* *Concilium* anno 381. cum alijs nonnullis *Macedoniane* factionis *Episcopis* vocatus, cum subscribere *Catholicæ* fidei detrectaret, damnatus est, cum *asceclis* suis, sicuti & postmodum in alio concilio, ibidem quoque anno 383. sub *Theodosio* celebrato.

ad an. 360

Quæ. 23.

Incarceratus.

a Iuliano.

Damnatus in Concil. Constant.

ELYMAS *Magus ann. 46.*

Hic fuit idem ille, qui *Paulo* & *Barnaba* apud *Paphum* prædicante, & *Proconsulem* *Paulum* ad *Christi* fidem conuertere cupiente, in facie eidem restitisse, in *actis apostolorum* legitur; homo natione *Iudæus*, factione *magus*. Nec debuit *Paulo* cum quo certaret deesse *Magus*, quādo nec *Petro* alter ille *Simon* pepercit. Potro *Elymas* cæcitate ad tempus percussus, ac visui *Apostolorum* beneficio postliminio restitutus, tantum abfuit vt aliquando resipuerit, vt magis magisque in *Euangelicam* doctrinam insaniens, librum quemadmodum v *Dionysius areopagita* testatur, aduersus *Pauli* prædicationem & *Christi* fidem conscripserit.

Actor. 3. vers. 1.

v De diuinis nomin. sap. 8.

ELPIDIVS *circa ann. 400.*

Elpidius natione *Hispanus*, *Agapetarum* hæresis cum vxore sua *Agape*, de qua superius dictum, author, ætate *D. Hieronymi* existit: qui eandem hæresim varijs in locis & potissimum eo in libro quem aduersus *Pelagianos* ad *Ctesiphontem* scripsit.

ENCR A

ENCRAITICÆ anno 174.

Tatianus
Roma olim
catholicè
docuit &
scripsit.

Cur à fide
defecerit.

Eius here-
ses.

z Lib. 3.
Syrus.

a Hæres. 47.

b Cap. de
hæres. c. 25.

c Lib. 4. de
fide cath.

Exorta est perniciofa *Encratitarum* hæresis à *Tatiano* M. Aurelij Impē-
ratoris duodecimo, discipulo nimirum B. *Iustini* martyris, natione Syro.
Qui ex philosopho *Platonico* Christianus factus, summâ olim cum existi-
matione *Romæ* docens, quamdiu *Iustinus* vixit (hunc etenim non vt ma-
gistrum duntaxat, sed vt parentem verebatur) constans in fide permansit,
At verò cum in Orientem profectus est, doctrinæ supercilio elatus à fide
defecit, & in errores *Valentiniani* delapsus, eisdem *Antiochia*, & in *Cilicia* ac
Pisidia docuit, suilque impijs dogmatibus asseruit, *Adamum* salutem mini-
mè esse consecutum: & *Marcionis* ac *Saturnini* continentiam insuper am-
plexatus, nuptias detestatus est, easque nihil à scortatione differre docuit,
ideoque author ponitur *Encratitarum*, id est, qui se *continentes* nuncupabant.
Hic & vini vsum suis prohibuit, & carniū esum execratus est. Addit insu-
per B. z *Clemens*, à *Tatiano* esse dictum, alterius Dei esse Legem, alterius E-
uangelium. Elaboravit etiam quoddam opus, quod *διὰ τῆς ἀρεῆς* appellauit,
in quo nequiter omnia illa missa fecit, quæcunque de CHRISTI genealo-
gia, ac carne humana ab eo suscepta, essent ab Euangelistis tradita; quippe
qui eam cum *Marcione* negatum irer. *Tatianos* porro cum *Encratitis* coniu-
git a *Epiphanius*; adeo vt appareat vnus monstri ex diuersis actibus duo
fuisse nomina, vt etiam b *Augustinus* docet. Quos quidem *Encratitas* vehe-
menter postmodum ann. 381. exagitasse *Theodosium* magnum Imperato-
rem ex c *Codice Theodosiano* manifestum est eos infamia notatos intestabi-
les reddens.

ENERGICI sub Carolo V.

Energici
quid doce-
ant.

Hi sunt nostri temporis *Sacramentaria* factionis; qui authore *Staphylō*
docent, non ipsum corpus, sed virtutem corporis esse in cœna Domini.
Quemadmodum *Calvinus* passim docet, & maximè in admonitione sua vl-
tima contra *Ioachimū Vestphalum*.

ENTHUSIAETICÆ circa ann. 360.

d Lib 7. cap
21.

Anabapti-
sta um En-
thusiasta.

De *enthusiastis* agens historia *Impartita*, dicit *Syrus* quendam fuisse ge-
nere & lingua, *Audeum* nomine, qui nouorum dogmatum fabricator, *An-
deanorum* hæresim excogitauit, quæ alias *Euchaitarum* vocatur, quod ora-
tionibus assiduè vacandum, præscriberet, nec non *Messalianorum* de quibus
suo loco dicitur. Cum interim etiam superiore seculo, dum *Anabaptista* sua
prædicarent phantasmata, inter illos *Enthusiasta* seu *Ecstatici* quoque reper-
ti sunt: qui tanquam verè fanatici, suo afflato spiritu, quasi orantes ac mente
in Deum absorpti immutabant vultum, frontem corrugabant, gestus hor-
ribiles

ribiles præ se ferebant, ac veluti morbo comitiali correpti, atque in terram prolapsi, trunci ad instar obrigescebant, somniantes hæc & illa cælitus sibi inspirata ac reuelata esse.

EPICUREI anno ante natum Christum 360.

Anno mundi ter millesimo septingentesimo duodecimo Olympiadis verò 109, anno tertio, natum esse *Epicurum*, voluptatis patrociniò infamem colligi potest ex *Diogene Laertio*, eius sectatore, referente id ex *Apollodoro* in *Chronicis*; nascitur inquit, centesima nona Olympiadis anno tertio sub *Sosigene* Principe, septem annis post obitum *Platonis*: qui quidem fuit ante natum Christum 341. Ætatis autem anno trigésimo secundo *Mytilene* *Lampsaci* scholam quinquennio restituit, suoque de nomine sectam instituit. De quo hunc in modum e christianæ eloquentiæ *Cicero*, à primis illis sapientibus, à *Socrate* usque ad *Platonem* pro confesso & indubitato habitum est (diuina scilicet prouidentia effectum mundum) donec vnus multis post seculis extitit delirius *Epicurus*, qui auderet negare id, quod est euidentissimū; studio scilicet inueniendi noua, ut nomine suo constitueret disciplinā. Et quia nihil noui potuit reperire, ut tamen dissentire a cæteris videretur, vetera voluit euertere. Quippe qui s̄ *Tullio* authore, eum solū beatum esse contendebat, qui præsentibus voluptatibus frueretur, consideretque se fruiturum aut in omni, aut in magna parte vitæ, dolore non interueniente: aut si interueniret, si summus foret, futurum breuem, si productior, plus habiturum iucunditatis quàm mali. Hæc cogitantem fore beatum, præsertim si antè perceptis bonis contentus, nec mortem nec Deos extimesceret: cognitionem *Logices* spreuit mundos innumeros esse asseruit; cuius tamen disciplinam multò celebriorem semper fuisse *Lactantius* adserit, quàm cæterorum: non quia veri aliquid adferret, sed quia multos ad populare nomen voluptatis inuitaret. Nemo enim non in vitia pronus est, inquit: propterea ut ad se multitudinem pertraheret, apposita singulis quibusque moribus loquebatur. Desidiosum vetabat literas discere, auarum populari largitione liberabat, ignauum prohibebat accedere ad *Remp* &c. In quo præclaros profecto reperit disciplinæ suæ asseclas *Lutherum* & *Caluinum*; qui vt plebi suas obtruderent fabulas & commenta, ieiunia sustulerunt, pœnitentiæ sacramentum reiecerunt, diuinorum cultum abrogarunt, cæremoniarum vsum profligarunt, & cuique libertatem carnis indulserunt, adeoque & regnum cœlorum, modò fidem operibus inanem haberent, promiserunt. Veneri interim ac *Cereri* strenuè litantes: obiit autem *Epicurus* ætate septuagenarius ante Christum an. 270.

e Lactant.

lib. 2. cap. 9.

Epicurus

studio inue-

niendi noua

de suo nomi-

ne sectam

instituit.

Negauit di-

uina prou-

identia mun-

dum regi.

f Lib. 3.

Tuscul. qua-

stion.

Deos non

extimescen-

dos docuit.

g Lib. 3 in

princip. cap.

17.

ERASMVVS Roterodamus; vide supra Desiderius.

ESSÆI siue Esseni, ante Christi exortum.

h. lib. 18.
antiq. cap.
2. & lib. 2.
de bell. Iud.
cap. 7.

i Epist. 17.

Triplices
Essæi.

k. Hæres. 29
l. Lib. 2. de
monach. c. 5.

Apud Iudæos magno olim in pretio fuere triplicis sectæ homines, vtpote Pharisei, Sadducei & Essæi. Quorum hi describuntur à *h. Iosepho, Philone, & Philistrio*. Quin & à *Hieronymus* eorundem ad *Eustochium* de monachis Christianorum loquens, hisce verbis meminit; *tales*, inquit *Philo, Platonice sermonis imitator, tales Iosephus, Græcus Linius, in secunda Iudæica captiuitatis historia, Essenos refert*. Sciendum tamen, tria fuisse genera eiusdem ferè nominis: *Essenos* nimirum, *Samaritanos*, de quibus *Epiphanius* hæresi decima *Essenos* item *Iudæos*: de quibus apud eundem hæresi decima nona, quos tamen ipse *Offenos* vocat; *Essenos* denique *Christianos*, ex Iudæis conuersos, quos *k. Epiphanius* *Essæos* vel *Iessæos* nominat. Et quidem probabile esse dicit *l. Bellarminus*, *Iosephum* confudisse *Iessæos* nostros cum *Essenis* suis præsertim quando eo tempore Christiani pro Iudæis haberi sint soliti. Interim verò de *Essenis* scribens *Philastrius*, dicit eos monachorum vitam æmulantes, ab escis delicatis abstinuisse, vestimentorum cultum parui fecisse, possessiones bonorum reiecisse, lectioni autem & piorum operum exercitationi studuisse, locis nimirum separatis ac solitarijs, Christum autem, vnicum Dei filium, non expectasse, nec in Lege aut Prophetis Deum agnouisse, sed velut iusti alicuius hominis aduentum præstolatos eum esse.

EVANGELICI, patrum nostrorum memoria.

Caluinista
duplex de
causa seipos
Euangelicos
nuncu
pant.

Fauorabili planè titulo *Euangelicos* se vocant hæretici illi, qui libertatis amantes, *Euangelii* nomine singulas quasque actiones suas palliare conantur: ac si præter Dei verbum, qualicumque modo à se explicatum atque in prauum sensum detortum, nihil admittendum aliud sit. Quos pulchrè ac lepide admodum excipit nostri huius seculi insignis, atque in rebus leuiusmodi eruendis vir industrius, *Martinus Becanus*, magnus Societatis *IESV* Theologus, qui *Caluinistas* condignis honorum titulis exornans, primò *Euangelicos* (hunc etenim titulum ipsimet, sibi tribuunt) illos duplici de causa nuncupat: primò, quia reiecta Traditione, solo *Euangelio* contenti sunt, secundò, quia firmiter apprehendunt promissiones *Euangelii*. In vtroque aiunt se differre à Catholicis. Nam hi præter *Euangelium* admittunt etiam Traditionem, neque promissiones *Euangelii* firmiter apprehendunt vti *Caluinista*, sed dubiè. Quin & à Catholicis morum quoque honestate ac fidei sinceritate plurimum discrepare tam *Caluianos* quàm *Lutheranos Euangelicos*, illi ipsimet literarum suarum monumentis aperte produnt.

Nam *Philippus Nicolai, Tilmannus Hehusius, Conradus Schlussenburgius*

muld

multi alij Lutherani, præsertim Giesenses & Tubingenses palam scriptis suis restati sunt, Calvinistas esse hæreticos, & illorū doctrinā non tam esse Evangelicā quàm sacrilegam, execrandam abominandā & diabolicā. Similiter etiam Calvinista tantum abest vt Lutheranos pro Evangelicis habere dignati sint, quod Calvinus respondens Ioachimo Vvestphalo, insigniter Lutheranis, à quo accusabatur, quòd clarissimam Evangelij veritatem contra conscientiam inficiasset, Lutheranos vocat homines diabolicos. Et in admonitione tertia ad eundem: Lutherani, inquit, sunt homines vertiginosi, Cyclopes, superba factio Gygarum, phrenetici, bestia, prodigiosi, & improbi calūniatores. Eheu quàm parum hæc conueniunt cum titulo Evangelico? Sed Erasmus quoque, quem illi magni faciunt dicere Iohannem accepimus, duo esse potissimum quæ quærunt Evangelici, censum videlicet & vxorem, cætera abundè præstare illis Evangelium, libertatem scilicet viuendi pro voto.

Lutherani habent Calvinistas non tam pro Evangelicis, quàm hæreticis & diabolicis.

Sic & Calvinista Lutheranos.

EVCHITÆ sunt etiam Enthusiastæ, de quibus paulò ante.

EVDOXIVS circa ann. 330.

Fuit quidem hic in primis B. Luciani martyris discipulus, verùm in persecutione Diocletiani sacrificans idolis, adiunxit se postea Arrio Hæresiarchæ, doloseque inuasit sedem Antiochenam anno 356. cum esset antea Germanicia Syriæ vrbis Episcopus. Qui quod Casarij martyris in Arabisso minoris Armeniæ filius esset, ea abusus est gloria ad hæresim Aetianam illustrandam, qua Filium Patri substantialem omninò dissimilem adleruit. Cum tamen scribat Theodoretus, eum præter impietatem, Sybariticam etiam mollitiem ac delicias consecutum fuisse, ideoque Aetium cum discipulo suo Eunomio, tanquam eiusdem doctrinæ ac vitæ homini, ei libentissimè in hæsisse, ipsumque Eudoxium ambitiosè obtinuisse, vt eorundem hæresis sectatores non Aetiani, sed Eudoxiani appellarentur. Qui quidem Eudoxius damnatus est à Semi-Arrianis in Concilio Seleuciensi anno 359. Et postea à Sede Antiochena in Constantinopolitanam translatus eoque dignitatis & honoris anno 366. euectus, quod Valentem Augustum baptizare meruerit, à quo iuramentum exegit de propugnatione Arriana hæresis; obiitque quadriennio post, vtpote anno 370. homo Arrianorum omnium scelestissimus.

Eius hæresis.

m lib. 2. cap. 27. & 19.

Eudoxij mollities & impietas.

Eudoxiana hæresis.

EVNOMIANI circa ann. 350.

Paris omninò impietatis videtur hic Eunomius (vnde hæc hæresis originem traxit) fuisse cum Eudoxio, natione Cappadox, discipulus verò & scriba Aetij Hæresiarchæ: de quo Rufinus asserit, quod fuerit corpore & animo leprosus, & interius exteriusque morbo regio corruptus. Qui magno Catholicorum damno vitam longius propagans (siquidem anno decimo quarto

m lib. 1. c. 27.

Hæreses Euno-
mij

o Lib. 4. hæ-
res. fab.

p Orat. 3. de
Theol.

Augustin.
de hæres. c.
54.

q Adversus
Vigilant.

r Hæresi. 75.

Eunomia-
ni unde di-
cti Troglod-
ite.

quarto *Theodosii* Imperatoris adhuc superstes in *Cappadocia* agebat) vene-
rata sua dogmata longè lateque sparsisse legitur. Homo si quis alius, im-
menso tumore mentis elatus: quem o *Theodoretus* ait ausum esse dicere,
nihil se ex rebus diuinis ignorare, sed ipsam etiam diuinam substantiam ex-
actè nouisse; eamque de Deo habere cognitionem, quam de se ipso haberet
ipse Deus. Sed & pariter alios omnes execrandæ illius sectæ participes, a-
pertè asserere solitos, se ita Deum nosse, vt ipse se ipsum. Quorum in super
horrendam blasphemiam prodens p. *Nazianzenus*, ait eos asseruisse Filium
Dei æquiuocè duntaxat Deum dici, ac nominis solius participem esse: per-
inde videlicet ac animal pictum, animal nomine tenus dicere consueuimus.
Augustin. Iactabat præterea (vide Lector quam probè nostræ tempestatis hæretici,
de hæres. c. 54. improbum hunc Hæresiarcham imitentur) fidem quam ipse prædicabat,
sufficere ad salutem; etiamsi grauiataque enormia quis crimina perpetraret,
atque in eisdem assiduè perseueraret: itemque, quod addit q. *Hieronimus*,
Sanctorum Martyrum reliquias & miracula, eisdemque adhiberi solitum
religiosum cultum, damnabilem esse. Docuisse pariter *Anabaptismum*, cum
scilicet rebaptizaret eos, qui in nomine sanctissimæ Trinitatis baptizati es-
sent, r. *Epiphanius* contestatur. Quin & adeo infensum fuisse sanctissimæ
Trinitatis hostem s. *Theodoretus* affirmat, vt quælibet etiam signa quibus
illa repræsentaretur, amouerit; nempe trinam in baptismo fieri consuetam
immersionem. Et quidem vti doctrina talis exstitit, sic & morum quoque
conuersatione consimilis fuit, asserens absque peccato licere se carnis libi-
dinibus quomodocunque contaminare. Vnde etiam legibus Catholico-
rum Imperatorum damnatus fuit, quòd secreta conuenticula instituerit:
quam ob causam, inquit *Theodoretus*, accidit, vt iidem *Eunominiani* dicti fue-
rint *Troglodite*. Vocatus porro à *Theodosio* magno ad Concilium *Constan-*
tinop. an. 383. reuens vniuersi Ecclesiæ, damnatus est cum suis; prohibiti por-
ro sunt clandestini illorum conuentus à *Gratiano* anno 378. à *Theodosio* verò
381. & 384. Quin & ab ipso quoque *Theodosio* iuniore diuersis pœnarum
supplicijs adiudicati sunt, anno 410.

EVPSYGHIANI circa ann. 370.

Ab *Eunomio* prodijt *Eupsyghius*, qui postea friuolam quandam ob cau-
sam missum illum faciens (vni familiare est penè omnibus hæreticis à ma-
gistris desciscere, & propriam sibi sectam nominis acquirendi gratià con-
stituire) *Eupsyghianam* hæresim commentus est sub *Valentiniano* Impera-
stor. cap. 30. tore: de quo hunc in modum s. *Nicephorus*: *Sectatores Eunomii in diuersas*
post eius obitum discessere sectas. Nam non multo post *Eupsyghius* quidam nomine
in vrbe Constantinopolitana propter frigidam quandam questionem ab *Eunomi-*
anis, seu vnctus sua ipse quoque hæresis author exiit. Quum namque questio orta es-

set, an Filius extremam horam norit, & plurimi Evangelica dicta proferentes, ne ipsum quidem horam eam scire dicerent, Euppsychius sententia sua in scriptum relata, confirmavit Filium non expertem eius cognitionis esse, qui à Patre omnia locupletissime acceperit. Hæc Niceph.

Quæstio an
Christus ex-
tremam ho-
ram nouerit

EVSEBIANI circa ann 335.

Eusebius Nicomediensis Episcopus fuisse quidē legitur vir insignis varijsq; artium disciplinis apprimè instructus, sed natura fastuosus adeoq; & factiosus ut Meletianis consociatus, magnas non solum B. Athanasio, verum etiam alijs Orthodoxis Episcopis tragedias apud Imperatorē excitauerit; vrgens illorū in exilium relegationem, cum esset ipse Arrianae factionis & hostili prorsus in Athanasium animo. Cæterū Eusebiani vocati Romā à Iulio Pontifice anno 340 ut si quid iustæ querelæ contra Catholicos Ecclesiarum præfules haberent, ibidem legitimo in Concilio proponerent, friuolis quibusdam allegatis causis, subtraxerunt se fraudulenter omnia agentes, & varias fidei formulas inter se concinnantes, Nicena ex diametro repugnantes. Qui licet Filium imaginem esse substantiæ siue essentiæ Patris profiterentur, nihilominus eo sensu quo ea ipsi accipiebant, hæresim confouisse satis demonstrat Athanasius, qui eos intus & in cute nouerat. Nec tamen istud ipsum de imagine substantiæ Patris diu retinuisse, sed postea Isauriæ ab eadem formula sustulisse, idem v. Athanasius affirmat. Denique quod sit hæreticis peculiariter insitum, ut semper instabiles sua ipsorum inconstantia arguantur, cum tres diuersas inter se formulas Antiochia per tēpora Encæniorum edidissent, ne tum quidem arbitrati satis perfectè fidem suam conscriptam esse, aliud scripturæ genus de fide post menses aliquot confecerunt, eamque Constanti Augusto per legatos in Galliam ad eum missos, obtruserunt.

t Decret.
Syn.
Nican. con-
tra Arrian.
v Id. de Sy-
nod.
Hæretico-
rum in mu-
tandis fidei
dogmatibus
inconstan-
tia.

EVSEBIUS Archienmichus, eodem planè tempore.

Dum Eusebius Nicomediensis in Arriana propaganda hæresi peruigilem se ostenderet, contigit & alium quendam eius nominis Eusebium, qui cæteris in palatio Imperiali Eunuchis præerat, à Presbytero quodam Arriano eadem penitus lue inficialiosque Palatinos inficere. Qui cum esset vafer ac perfidæ frontis homo, missus est à Constantio Arriano Imperatore Romā ad Liberium Papam, ut muneribus blanditijsq; eum contra Athanasium incitaret. Sed re infecta mæstus confususque discessit, quo adusque sub Iuliano apostata (Deo illi per talem tam facinorolum Imperatorem, condignas sce-
lerum pœnas remetiente) capite plecti meruit. Homo nimirum in Deum impius, in pontificem Liberium contumeliosus, in alios passim Episcopos iniuriosus, Præfectus Constantij cubiculi, ab ima sorte ad vsque iubendum Imperatori penè elatus.

ann. 341.

an. 361.

EUSTATHIVS Sebastiens. sub Siluest. Pontif.

Eius hære-
ses.

z. Adan. 319

Anno post natum Christum trecentesimo nono decimo celebrata reperitur Gangeris ciuitate Paphlagoniæ Synodus aduersus quosdam errores cuiusdam *Eustathij*, adeo fauentis monachismo, vt reliquos Christianorum ordines despectui habuerit, vt prætextu quodam sanctitatis, Dei Ecclesiam pessum dederit, ac tantum non demolitus fuisset, nisi citò citius Apostolica securis infaustos pullulantes palmites, per Osum Legatum (is enim ad præsidendum huic Synodo à Pontifice destinatus erat) succidisset. Quisnã autem fuerit *Eustathius* prauorum eiusmodi dogmatum architectus, haud certò sciri posse z. Baronius autumat; licet non desint qui adlerant fuisse Episcopum Sebastæ in minori Asia, nixi authoritate Socratis ac Sozomeni, Baronio interim existimante pro *Eustathio*, *Eustathium* fuisse scribendum.

EUTYCHIANI damnati in Concilio Chalcedon. ann. 451.

Quid moue-
rit Eutyche-
tem ad
suam intro-
ducendam
hæresim.Quanam
illa fuerit.Damnatur
in Concilio
Constant.
anno 451.a Lib. 3. de
Christi in-
car. cap. 2.

biblia. c. 3.

Eutyches vel Euty chius qui hæresi huic nomen dedit, Archimandritæ Constantinopolitanus fuit eo tempore, quo Leo Pontifex verè Magnus Ecclesiæ clauum tenuit. Hic sub annum Domini 448. inconsideratò Nestorianæ hæresis odio incensus, aliam induxit, vt non tantum duas esse in CHRISTO Personas, omninò ex Catholici fidei præscripto negaret, sed etiam nec duas in eo Naturas vellet asserere. Cuius quidem erroris sui cum priuatim ab Eusebio *Dorilæ* in Phrygia Episcopo nequidquam admonitus esset, ideoque ad Concilium Episcoporum triginta duorum quod Constantinopoli tunc fortè in causa *Florentij* Episcopi Sardis Metropolis Lydiæ habebatur, delatus, sententiam suam sine vllis verborum inuolucris iussus esset edicere (moras etenim necebat, & diuerticula quærebat ægritudinis prætextu) tandem asserit se confiteri ex duabus Naturis CHRISTVM fuisse ante adunationem, post verò adunationem vnã duntaxat Naturam agnoscere. Qui idcirco ibidem communi Patrum decreto damnatus est ac Presbyteratu, monasterijque sui administratione priuatus; & qui cū eo communicaret, excommunicationi subiecti. Et quidè de *Eutychetis* hæresi a Bellarminus contra nostræ tempestatis hæreticos, eamque latius explicans, dicit diuersa in eius hæresi consideranda esse: tum quòd affirmauerit vnã factã esse naturã ex diuinitate & carne per conuersionem diuinitatis in carnem; tum quòd dixerit diuinitatem *Verbi* natam, passam, mortuam fuisse & CHRISTI carnem non esse eiusdem naturæ cum nostra, neque *Verbum* in veram carnem esse conuersam, sed in carnem quandam apparentem & phantasticam, ita vt potius *Verbum* simulauerit se hominem, & natum & mortuum esse, quàm reuera fuerit. Contra quem ex professo disputat b. *Bellarminus*, eumque accuratè refellit.

DICEBAT etiam *Euthyches* corpus nostrum post resurrectionis gloriam, futurum impalpabile & inuisibile, imò futurum aerem, & vento subtilius. Verùm ipse cum omnibus erroribus suis & asseclis, non semel duntaxat aut iterum in synodis aliquot *Constantinopolitanis*, sed etiam in magna illa atque *Oecumenica Chalcedonensi Synodo* à plus quàm sexcentis Patribus damnatus est. Cuius impium dogma ab orco reuocare adserit *Lindanus* c Dial. 2^a *Mennonem*, Anabaptistarum coryphæum, *Adamum Pastoris*, & *Casparem Schuenckfeldium*, vti constare potest ex *Georgii Cassandri* commentarijs de duabus in Christo naturis. Ann 451^d
Dubitant.

EVZOIVS circa ann. 335.

Fuerat hic olim *Alexandrine Ecclesie* Diaconus, verùm cum *Arrio* eiusque factioni adhæreret, *Alexander* Episcopus eum ab officio amouit; licèt postea ab *Arrianis* in locum expulsi Orthodoxi Episcopi *Meletii* obtrusus sit *Antiochenis* anno 360. sub *Constantio* Imperatore. Post cuius obitum fuit & alius quidam *Euzoius*, itidem *Arrianus*, qui eadem illa tempestate viuens, subrogatus est anno 366. ab *Arrianis* in locum demortui *Acacii* Episcopi *Casariensis*: quem *Theodosius* Imperator postmodum è Sede sua eiecit.

EVDO seu *Eum* sub *Eueg. III.* ann. 1148.

Antequam huic literæ finem imponamus, occurrit stolidus quidam hæreticus, vti non satis sani cerebri, ita raræ cum primis impudentiæ nomine *Eudo*, natione *Brito*, cognomine de *Stella*: non infimi quidem generis, sed planè illiteratus & idiota, dæmonumque ludificatione ita dementatus, vt cum sermone Gallico diceretur *Eon*, te esse crederet *EVM*, qui in Ecclesiasticis exorcismis dicitur *uenturus iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem*: persuasum sibi habens, se esse Dominatorem & Iudicem viuorum iuxta ac mortuorum. Eratque per diabolicas præstigias tam potens ad inescandum plebeiorum hominum animos ingens vt eum multitudo sequeretur, regali propemodum modo incedentem ac vescentem. Qui à *Rhemensi* Archiprælule apprehensus, atque in Concilium quod anno 1148. istic ab *Eugenio* Papâ celebratum est, perductus, multas ineptias effutiuit, nec longè post obiit. Populus verò stolidus qui eum sequebatur, dilapsus est. Discipuli autem eius, quorum nonnullos *Sapientia* alios autem *Scientia* nomine insignierat, resipiscere ab insania nolentes, curiæ traditos vorax flamma consumpsit, vti ad longum narrat *d. Vilhelmus Neubrigensis*, eius seculi scriptor. d Lib. 1. cap. 19.

FARELLISTAE sub Carolo V.

Sortiti sunt hi nomen à *Vilhelmo* quodam *Farello*, qui *Geneuam* & circumvicina loca suo ita infecit toxico, vt *Basileenses* eum tanquam hominem insigniter seditiosum, in exilium relegauerint. Quippe qui præter *Sacramentarium* etiam *Samosatenismum* renouare studuit; Spiritum Sanctum affirmans motum in rebus creatum, vt *Lindanus* de illo testatur. Verùm captata per illum gloria, facile per discipulos *Calvinum*, *Seruetum*, *Viretum*, aliosque *Antichristi* martyres disparuit.

FAVSTVS Manichæus circa ann. 400.

Raræ quidem eruditionis hic fuisse legitur, ita vt libros quàm plurimos in propugnationem fidei Orthodoxæ conscripserit, natione *Afer*; quem *Manichæi* sectæ adhærescentem, *B. Augustinus* eruditis aliquot libris confutauit. Docuit enim cum Præceptore suo *Manichæo*, animam hominis aut Dei esse substantiam, aut ex Dei substantia consistere. Legem porro veterem & Prophetas blasphemijs impetebat, eius Legis authorem malum fuisse asserens. De *CHRISTO* verò affirmabat, nec nasci, nec mori potuisse, ideoque illi ex virgine nullam natiuitatem contigisse, & per consequens nec verè eum in cruce obiisse.

Faust. errores.

FELIX Manichæus ann 400.

Etsi non vsque adeo liberalium artium disciplinis instructus fuerit hic *Felix*, erat tamen *Fortunato* hæretico versutior, & in disceptando arguendoque expeditior, adserens *Manichæum* Præceptorem suum, de promissione Spiritus Sancti Apostolum *CHRISTI* extitisse: item terram Deo esse cœternam. Quo cum *B. Augustinus Hippone* biduò disputauit qui ad hoc eò venerat, vt errores *Manichæorum* disseminaret. Quæ disputatio felicissimum eiusdem *Felicis* conuersione ad fidem Catholicam, finem consecuta est; ipsaque *Manichæorum* hæresis patrono destituta suo, collabescere cœpit.

Hæreses eius

Anno 405.

Disputando

cum B. Au-

gustino. fa-

ctus est Ca-

tholicus

FELIX Gillitanus Abbas circa 544.

Fuit & hic natione *Afer*, & schismatis incentor contra *Vigilium* *Papam*, ob tria capitula; qui circa ann. 548. vnà cum *Lampidio* quodam schismatico monacho *Constantinopolim* se conferens, aduersus *Vigilium* literas ad diuersos Episcopos dederat, tanquam præuaticatorem & impugnatores. *Concilij Chalcedonens.* Ob quam causam anno proximè sequente ab eodem excommunicatus legitur.

FELIX

FELIX Vrgelitanus ann. 790.

In concilio quod anno domini 792. *Ratisbone* in *Bauaria* sub *Hadriano* Pontifice habitum, damnatus est *Felix Vrgelitanus* in *Hispanijs* Episcopus: qui *Elipando* Archiepiscopo *Toletano* in restituendo *Nestorianismo* Dux aut socius factus, *Galliam Germaniamque* peragrabat ad hæresim suam seminandam. Sed *Romam* perductus ad *Hadrianum* Pontificem, & fidem Catholicam professus, in integrum quidem restitutus est, suoque Episcopatu postliminio redditus, verum biennio post, anno nimirum 794. vti canis ad vomitum reuersus, eandem suam hæresim ardentiore studio disseminare cœpit, denuoq̄ue damnatus est.

FLACCIANI vide *Illyricani*.

FLAGELLANTES circa ann. 1313.

Ortū habuit hæc hæresis ex *Italia*, dein verò *Galliam* ac *Germaniam* peruagata, diuersisq̄ue temporibus resuscitata, tam circa annum Domini 1273 sub *Rudolpho* Cæsare, quàm circa annum 1346 sub *Carolo IV.* Romanorum Rege, virus suum simulatæ pietatis prætextu exeruit. Se ipsos enim virgis, nodosisq̄ue flagellis largiter commulcabant, cruces vestibus insutas deferrebant, vrbes gregatim luridi oberrabant, afferentes flagellorum concisionem plus momenti ad eluenda hominum peccata, quàm oris confessionem, aut sacramentalis pœnitentiæ exercitationem habere: aquæ insuper lustralis vim eludebant, baptismum aquæ in baptismum sanguinis commutatum esse prædicabant, Euangelium suo tempore desisse sibilabant, iuramentum ita admittebant, vt cum *Priscillianistis* & *Apostolicis* hæreticis periurium licere dicerent. Quæ quidem secta damnata est à *Clemente VI.* Pontifice circa ann. 1347. vti constare potest ex *Nauclero*, *Trithemio*, *Genebrardo* in *Clemente*.

Flagellanti-
um hæresi-
corum erro-
res.

FLORINVS sub *Eleuthero* Pontif. an. 180.

Florinus & *Blastus* olim *Romanæ* Ecclesiæ Presbyteri, ob impietatem ab *Eleuthero* Papa gradu depositi, ab *Irenæo* Martyre, quo cum olim *B. Polycarpum* docentem audierant, erroris per epistolas nequicquam admoniti sunt. De quorum hæresi ambigere videtur f̄ *Baronius* sitne videlicet hic *Florinus* idem ille hæresiarcha, à quo *Floriani* denominati sunt. Nam quos *Philastrus* hoc nomine indigitat, putantur *Carpocrati* adhefisse, quandoquidem qui *Floriani*, ijdem *Carpocratiani* etiam dicebantur: licet nihil tale de *Florini* sectatoribus, quos item *Florianos* vocat, apud *B. Augustinum* repe-

e *Euseb. lib.*
s. *histor. cap.*
19.
f ad ann.
180.
g cap. 58.
Carpocra-
tiani
alias etiam
Floriani
riatur. *sumcupati.*

h De hæref.
cap. 66.

i Lib. 1. hæ-
ret. fab.

k Lib. 5. hi-
stor. cap. 19.

riatur i *Theodoretus* autem tam ipsi, quàm *Blasto*, non nisi *Valentini* sectam impingit. At cum *k Eusebius* hos separatim nouam hæresim excogitasse tradat, aliquid amplius *Valentini* hæresi oportuit addidisse. Fuit verò illud, quod *Florinus* (sic enim & *Eusebius* & *Augustinus* docent) Deum causam malorum dixit; *Blastus* autem de Paschatis tempore Iudaizauit, eaque de causa schisma conflauit.

Florinus
dixit Deum
causam esse
malorum.

FORTVNATVS anno 255.

Fortunatus
Pseudo Epif-
copus Car-
thag.

Petrus Lambositanus Afer, veterator hæreticus, *Fortunatum* Presbyterum schismaticum conatus est anno 255. creare Pseudoepiscopum *Carthaginensem* contra *B. Cyprianum*; estque hic alius ab illo *Fortunato* hæretico *Manicheo*, quo cum disputauit *Augustinus* publicè de Origene mali (in eo enim totus sardo hæresis *Manicheor.* vertebatur) eum que disputando ita superauit, ut *Hippone* relicta aliò se conferre debuerit. (Cuius disputationis acta à *Notarijs* tunc excepta sunt.)

FRANCISCVS *Gommarus*, vide GOMMARISTÆ

FRATRICELLI circa ann. 1304.

Huius sectæ author fuit Italus quidam *Hermannus* nomine. Cuius corpus apud *Ferrariam* iam viginti annis sepultum, exhumari & incinerari fecit *Bonifacius VIII.* Romanorum Pontifex circa ann 1297. licet ille quasi Deus quispiam à multis in vita haberetur, utpote.

Astutam vapido gestans sub pectore vulpem.

Quippe qui suis promiscuam carnis libertatem, quò facilius plebeiorum hominum animos inescaret, permittebat. Nam *Anabaptistarum* in morem, nocturna conuenticula cogentes, extincto iam lumine, in mutuos amplexus ruebant. Sacerdotes & eius sectæ Clerici foribus, occlusis, diuinas laudes ad comparandam fidem, ex Christiano ritu decantabant. Dicebant etiam nihil proprij habendum, nec Respublicas Christianis administrandas; Animarum item sanctarum visionem in nouissimum vsque diem differendam. Quam quidem hæresim *Bonifacius VII* Edamnauit, reperiturque de his in *Extrauagant. Iohannes XXI.* quæ incipit *Sancta Romana.* Vocabantur etiam hi *Fratricelli*, fratres de paupere vita.

EVLGENTIVS circa ann. 400,

Fuit hic factione *Donatista*, docens duo esse principia, & totidem baptis- mata. Cuius errores fusiùs recenset *B. Augustinus* libro quem aduersus eum edidit.

GAB.

G.

GABRIELISTAE sub Carolo V.

Anabaptistarum tempore, dum colluies ista nequissimorum hominum non in *Belgio*, duntaxat, sed & in *Silesia*, *Austria*, *Moravia*, aliaque circumvicina loca grassaretur, habuit *Hutterus* eius factionis assecla, discipulum quendam *Gabrielem* nomine, insignem reuera parasitum, qui velificando & ad os loquendo, dissimulando, multos sibi suæ farinæ socios breui temporis interuallo acquisiuit. Excurrebat enim frequenter in *Silesiam*, *Borussiam*, *Poloniam* & *Lituaniam*, ubi ardentissimo zelo, uti in historia sua *Anabaptistica* copiosius enarrat I. D. *Arnoldus Meschenius*, eruditus ac bene dignus in *Vbijs* ad *S. Petrum* nuper designatus Pastor, hæresim disseminans, multas agricolarum turmas cogebat, quos in *Moraviam* dein missos, incertas familiarum classes disponebat. Sed orta eum inter & *Hutterum* dissensione graui, mag. strum discipulus actutum deseruit, sibi que de nomine suo (vti id hominum genus ambit) sectam confinxit, ita vt *Gabrielistas* gregem suum nuncupari iusserit: *Huttitas* interim cane peius & angue exosos habens. De quorum turpissimis moribus, ac fidei articulis, consequentibus aliquot numeris ibidem præfatus auctor agit. Cæterum *Gabriel* à fratribus & Magistratu finibus *Moravia* exactus, in *Poloniam* fugit, ubi etiam vitam infœliciter finiuisse perhibetur, relictis interim suæ disciplinæ asseclis haud paucis. Quos inter reperti sunt nonnulli qui *CHRISTI* & *Sp. Sancti* diuinitatem negarent, bonorum communitatem perurgerent, Sanctissimam Trinitatem blasphemis vocibus proscinderent, magistratum contemnerent, præcipua quæque *CHRISTI* festa solemnia, utpote *Pascha*, *Pentecosten*, *Domini Natalem* reijcerent, ipsosque infantes sacris ablui vndis prohiberent.

I. ib. 4.
num. 6.Gabrielista-
rum factio.Quid docue-
runt.

GAIANITAE circa ann. 335.

Gaianus Ecclesiæ *Alexandrinae* Achidiaconus electus Episcopus *Alexandrinus* aduersus *Theodosium*, circa ann. 335. hæreticus fuit sectæ *Incorruptibilium* aduersus *Seuerum* hæreticum factionis *Corruptibilium*: à quo dicti sunt *Gaianite* sectam *Acephalorum* asseclantes. Propter quem *Gaiantum* cum *Alexandriae* grauis tumultus esset exortus, contigit illum post quartum Sedis mensem à Iudicibus expelli.

GAINAS circa ann. 395.

Fuit hic natiōe *Gethus*, & dux exercitus *Arcadij* Imperatoris, qui inuidia ductus

ductus in *Entropium* cubiculi Præfectum, *Gothos* in imperij deuastationem euocauit, seque ipse perduellem ostendit. Porro *Arrianus* cum esset, *Arrianis* intra *Byzantina* urbis conseptum Ecclesiam petijt, sed passus est à *Chrysofostomo* repulsam. Tandemque hostis Reipub. ab imperatore declaratus, cum in Orientem profugeret, post acceptas terra marique ab Imperatoris militibus clades multiplices, cum suis interemptus est, cuius caput exiccatum Constantinopolim perlatum fuit.

GALLA circa an. 388.

Fuit hæc non gente sed nomine ita vocitata, non hæretica duntaxat, sed & venefica, *Priscilliani* nimirum Hæresiarchæ adiutrix, & dignum tali patella operculum. De quo hunc in modum *Hieronymus* epistola ad Ctesiphontem contra Pelagianos. *Priscillianus* cui iuncta *Galla*, germanam huc illicque currentem, alterius & vicina hæresis reliquit heredem.

GENSERICVS Africae Rex, ann. 430.

Wandalorum in Africa Rex *Gensericus*, *Arrianæ* fauens hæresi, eamque propagatum iri cupiens, *Africam* non solum occupauit ac miserè deuastauit, sed & in Catholicos ipsos diram persecutionem excitauit, in *Carthaginem* capiens ac diripiens, Catholicosque tam Ecclesiasticos quàm seculares nobiles eiiciens, aut in seruitutem redigens. Nec hic stetit res, nisi & in *Romanam* quoque urbem inuaderet ac spoliaret.

in Anno
439.

in Anno 455

GEORGIVS Alexandrinus Episc. an. 356.

Fuit hic uti natione *Cappadox*, ita facti one *Arrianus*; vita iuxta ac moribus infamis, è duce militum intrusus à *Constantino* Imperatore in Sedem *Alexandrinam*, excluso interim *Athanasio*. Qui postquam læuissimè grassatus esset in eos qui sibi in hæresi communicare detrectarent, necari meruit à Gentilibus sub *Iuliano Apostata* oculus cadauer crematum est, & cineres in mare proiecti, idque anno 362.

o Niceph.
lib. 10. histor
cap. 6.

GEORGIANI etiamnum in Armenia existentes.

Viuunt hi *Schytharum* more, quorum cognati sunt ac contermini, affirmantes quidem se CHRISTI fidem colere, sed non in *Apostolica* Sedis limine existentes. Nam in Sacramentis administrandis ac suscipiendis, alijsque plerisque ritibus, *Græcorum* errores sequuntur. Quorum Clerici rotandas circumferunt coronas, laici verò quadratas. In officijs porro Ecclesiasticis & scriptis, nonnulli illorum idiomate *Græco*, alij *Chaldaico* vtuntur. *Geor-*

giani

giani verò à B. Georgio Martyre nuncupantur, quem veluti præcipuum propugnatorem atque auxiliatorem suum belli tempore implorant, vexillum eius imagine insignitum circumferentes, & Archiepiscopum in monasterio montis *Sinai* commorantem, suo pro Pontifice suscipientes, eidemque in omnibus morem gerentes.

GILBERTVS Porretanus circa ann. 1147.

Ea omninò tempestate qua B. *Bernardus* Claræuallensis Abbas, & eruditionis & miraculorum gloria per totam ferè Europam celebris habebatur, existit apud Pictones *Gilbertus Porretanus* antistes ibidem satis celebris. *Ann. 1148.* Qui cum & in Philosophicis & in Theologicis studijs magnos progressus fecisset, asseruit in diuinis personis relationes non esse, sed eas à foris existere. Quod cum *Eugenio* Pontifici rarum insolitumque videretur, accersitis ad hoc eruditis aliquot diuersarum Ecclesiarum Prælati, & maximè eius olim Præceptore *Bernardo*, Rhemense conuocari Concilium actutum curauit. Nec magna hic opus disceptatione fuit: conuictus enim à tam prudenti sedatque ingenij viro, mox manus dedit, errorem agnouit, veniam petijt obtinuit ad Episcopatum redijt. Ex quibus planè illud liquet eum, licèt hæreticè senserit, hæreticum non fuisse; cum pertinacia, quæ sola hæreticum facit, caruerit. Qui etsi suum correxit errorem, ex discipulis tamen eius fuerunt nonnulli, qui in ea peruersitate permanentes, hæreticis meritò adnumerari meruerunt. Aduersus quos disputauit postea p. *S. Bernardus* in Canticis Canticorum.

GNAPHÆANI circa ann. 483.

Petrus * *Gnaphæus*, Antiochenam sedem inuadens, & suo de nomine sectam instituens, eò tendebat, vt cum vnam in CHRISTO naturam contra sacrum *Chalcedonense Concilium* prædicaret, hymnoq; Trifagio adderet, quò crucifixus es pro nobis, sanctissimæque Trinitati æquè crucem adscriberet. Cuius prauæ sententiæ iam olim extinctæ *Anastasius* quidam abbas monasterij *S. Euthymii* magnopere fauens, eam temporibus *Iohannis Damasceni* reuocare cum cuperet, & ab orco reuocare, sensit sibi *Damascenum* contrariantem ac longa admodum disputatione errorem hunc refutantem, idque circa ann. 749. cum ipse *Cnaphæus* vixerit sub *Zenone* Imperatore ann. 483. quo etiam damnatus est à *Felice* Papa in *Concilio Romano*: vtpote *Arrianismum* redolens, & varias in Ecclesia inquietudines excitans, ipsumque *Concilium Ephesinum* oppugnans. De quo multa passim apud *Baronium* tom. sexto reperiuntur. Qui cum esset Orientalis Ecclesiæ pestis, fideique Orthodoxæ perniciosus demolitor, ex hac vita ad tremendam diuinæ iustitiæ tribunal euocatus est anno Domini 486.

q̄ Hæresi 26.

§ 27.

Nefanda
Gnostico-
rum turpi-
tudines.1 Ad ann.
120.

Si quæ à nato CHRISTO vlla vnquam extitit hæresis, nefando turpitudinis scelere infamis, illam G NOSTICORVM à *Carpocrate* exortam fuisse, pro certo persuasum mihi habeo: prorsus vt sicuti *Epiphanius* & *Irenæus*, de ea posteros monituri, cum pudore ac rubore id se facere protestantur; ita quoque & ego. Quæ tamen tam flagitiosa ac propudiosa hæresis, specioso *Gnosticorum* nomine, quasi scientiæ sapientiæq; titulo reliquos omnes antecelleret, sese palliare ausa est. De qua si quis plura cupiat q̄ *Epiphanius* adeat; nos nonnulla quæ r̄ *Baronius* ex illo excerpfit, compendiosè ac verecundè percentebimus. Ait igitur *Gnosticos* communes vxores habuisse, & suam ipsorum Synaxim promiscuo concubitu polluisse, eam rem appellantes, *Dilectionem facere*. Sed & cum peregrinus aliquis accederet, statim vt signo quodam in salutando libidinosa contrectationis manuum, agnitus esset eius dogmatis sectator, ad conuiuium vocari solitum, & mox ad concubitum cum vxore eius à quo domum reciperetur. Postquam autem permixti fuissent, suscipere solitam mulierem, itemque virum, fluxum à masculo in proprias manus, & in cœlum intuentes dicere *Offerimus tibi donum, corpus Christi, & sic edere, dicentes, hoc est corpus Christi, & hoc est Pascha: ideo patiuntur corpora nostra, & coguntur confiteri passionem Christi*. Eodem planè modo vbi contigisset fæminas in sanguinis fluxu esse, menstruum collectum de ipsis, in communi edere, & dicere: *hic est sanguis Christi*. Liberorum autem generationem omnimodè impedire solitos, & interdicerè. Si verò præter sententiam prægnans fieret mulier, detractum fœtum in mortario, pistillo quodam tundere, & admixto melle ac pipere, alijsque aromatibus, ad auertendam videlicet nauseam, congregatos omnes participes fieri consueuisse contusi pueri; & additis ad Deum precibus, hoc perfectum Pascha dicere & cætera quæ pudor vetat addere.

1 Lib. I. cap.

2. in fine.

CÆTERVM s̄ *Irenæus*, & alij post eum tradiderunt, *Carpocratis* discipulos consueuisse, posteriorem dextræ auris partem perforare, vti eo signo se inuicem dignoscerent; sed & habere imagines nonnullas vel depictas vel aliter compositas, & ex eis aliam Christi, quam dicerent à *Pilato* factam, *Pythagora* aliam, itemque alias *Platonis*, *Aristotelis*; & aliorum; eaq; perinde ac Gentiles idola coluisse. Docebant etiam, authore *Philostrato*, omnia bruta rationis esse capacia, eaque æquè ac hominem non solum sentire, sed & intelligere; item nullum futurum esse iudicium, vt vel hac occasione in omne flagitiorum genus liberius sese volutarent. Quin & magicas artes frequentabant, resque alias curiosas pertractabāt. Artem enim magicam *Simon Carpocratis* pater, clam & subdolè professus fuerat. Porro prauum huius hæresiarchæ genus latius propagatum esse, docet *Theodoretus libro hæreticarum fabularum primo*.

GOMMARISTÆ circa ann. 1608. & sequentib.

Annus huius seculi octauus, sicut & vndecimus docuit, nunquam satis inter eos de religione conuenire, qui à vero Capite Ecclesiæ vnitatis vinculo discedentes, prætenfa conscientia libertate, sibi ipsis duntaxat credunt ac fidunt, non antiquis Patribus, prisca religionis testibus; non Ecclesiæ veritatis columnæ, non ipsis denique sacris literis, nisi ex eorum sensu iudicioque explicatis. Constat hoc manifestè ex *Batauorum* aliquot Calvinistarum Prædicantium, ac publicè in Scholis profitentium antesignanis *Francisco* videlicet *Gommaro*, *Armenio*, *Vorstio*, *Bertio*, *Smoutio*. Quando ab *Arminio* quidem *Arminiani* seu *Remonstrantes*, ab hoc verò *Gommaro*, prognati sunt *Gommarista*, seu *Contra-Remonstrantes*. Quorum sectæ eas omninò turbas in *Hollandia* excitarunt, vti ne hodierna quidem tempestate etiam post *Dordracense Conciliabulum* plenè planeque conquieuerint. Nam *Gommarus* vti natione *Batauus*, & in *Leidensi* schola *Caluiniana* theologia professor olim publicus, ita non omnino indoctus apud suos est habitus: qui suo quondam collegæ *Arminio* se opponens, editis aliquot in lucem scriptis, publicisq; disputationibus pessundare eum omninò studuit, ne dum penitus profligare. Nam anno 1611. euocatis Ordinum literis vtrinque senis *Arminiano*-rum & *Gommaristarum* Prædicantibus, initium disputationis cuiusdam factum est vndecima Maij, durauitque ad finem vsque mensis Nouembris. Vbi quid per dies quosque singulos actum, videat lector apud authorem *Henotici dissecti Belgii* pag. 54. & *Sequentib.* Qui autem huic disputationi seu colloctioni præfuere, sunt ex *Remonstrantibus* quidem *Iohannes Vtenbogardus*, *Adrianus Borreus*, *Eduardus Poppus*, *Nicolaus Greuinchonius*, *Iohannes Arnoldus*, *Simon Episcopus*. Ex *Contra-Remonstrantibus* verò, *Ruardus Acronius*, *Libertus Fraxius*, *Petrus Plancius*, *Iohannes Bogardus*, *Iohannes Becius*, *Festus Hommius*. Sed re infecta ita discessum est, vt hinc inde magis aucta sit, dissensionis flamma, quàm extincta, vel in minimo sopita.

CERTE Campis celebri *Transisulania* vrbe, quæ mihi natale solum, iam dudum proturbati erant *Caluino-Gommarista* omnes, ipsique Prædicantes mihi vtrinque noti: vtpote *Thomas Goswinus*, *Iohannes Schotlerus*, *Eueardus Voscuilius*, *Assuerus Mathisus*, breui temporis spatio omnia ad normam & mollitiem *Arminianismi* redintegrauerant, Confessionemque suæ fidei, & detestationem alterius, anno huius seculi 1617. publicis ibidem typis consignauerant: quando id interim intelligens *Iohannes Isaacius Pontanus*, *Haderuicena* scholæ Rector, *Rigidorum* acerrimus propugnator acerbè in eos inuehitur, atque hisce distichis cum illis velitatur.

Campenses Vetera amplexi, Noua dogmata spernunt,

Illis si credas quæ Vetera atque Noua:

Sed Noua sunt Veterum & Veterum isdem sunt Noua quid iam?

Hoc pacto Veteres & Veterator amei.

Et postea ibidem.

Arminiani Qui Veteratores vos dicit, nomine vero,
Campenses Exprimit, & rebus conueniente nota.
Prædicantes Nam Noua quæ Noua sunt, veteratis; & illa vetusta
vocantur à Oblinitis fectis, vt nouiora Strophis.
Gommaris- Verùm his iam missis, si Lector ad longum scire cupit, in quo *Gommarista*
stis Vetera- ab *Arminianis* dissentiant, legat præfatum *Henoticum*, incipiendo à pag. 186.
tores. vsq; ad pag. 221, & reperiet ea esse, nec pauca, nec puerilia; licet de *Prædesti-*
nationis articulo pertinacissimè periculosissimeque disceptent.

GORTHENI circa ann. 53.

Gorthorum vnum fuisse ex septem hæreticis, qui primi Ecclesiam Christi
 adhuc virginem, inanibus & multiplicibus errorum doctrinis corruerunt,
 ex *Ægesippo* & *Eusebio*, asserit *Præteolus*. Quorum vnusquisque diuersis cor-
 ruptionibus fidei seorsum schisma componens, propriam habuit sectam.
 t Lib. 4. his
 stor. cap. 18. Qui quidem ex *Simone Mago*, eiusque discipulis, originem trahentes, A-
 postolorum ferè temporibus vixerunt, vtpote *Gortheni*, *Masbotæ*, *Eutychita*,
Canista & alia id genus portenta; quorum nomina magis, quàm dogmata
 sciuntur.

GOTTHI circa ann. 378.

Valens Imperator *Gothos* ab Orthodoxa fide ad sectam *Arrianam* capel-
 sendam adduxisse, imo conditione pacta coegisse manifestum est. Post cuius
 infelicem obitum (læsus enim sagitta à Gothis, & in casam agrestem de-
 latus, flammis ab iisdem iniectis incendio perijt) facultas omnibus Catho-
 licis Episcopis à *Gratiano* eius successore data est, expulsi *Arrianis* qui in
 omnem locum subrogati fuerant, ad suas reuertendi Ecclesias. Quorum
 quidem *Gotthorum* dux & Antesignanus fuit *Eudoxius* Constantinop. Epil-
 copus, maiorem Filio Patrem asserens; qui quidem opera *B. Gregorii Papa*
 circa annum Domini 591. sub *Mauritio* Imperatore ad fidem Orthodoxam
 postliminio rediêre.

GRÆCI circa ann. 692.

Etsi *Græci* iam ante diuersis vicibus, vt erant affectatæ dissensionis no-
 ta infames, schisma aduersus *Romanam Ecclesiã* fouere cœperint, erupit ta-
 mē hic schismatis fumus in flammā maximè anno Imperij *Iustiniani* Iunioris
 octauo. Quando nimirum anno 692. in Conciliabulo *Constantinopolitano*,
 nulla *Papæ* authoritate conuocato aut probato, canones ediderunt centum
 & tres, suæ factioni plurimùm fauentes, in præiudicium videlicet *Ecclesiæ*
Romanae, & veterum Patrum doctrinam. Vnde Constat *Græcorum* pertinacia
 & superbia, qui *Sedem Episcopi Constantinopolitani* quæ per annos amplius
 trecentos

trecentos inter Sedes primarias nullum locum habuerat, non solum ad Patriarchatum euehere, & Sedi *Alexandrina* atque *Antiochena* præferre, verum etiam *Romana* æquare & *Vniuersalem* seu *Oecumenicam* eandem facere modis omnibus conati sunt. Quemadmodum patet in *Iohanne Patriarcha Constantinopolitano*, ea de re plurimas inquietudines *Georgio Papa* anno 195. facessente. Cum interim & *Iustinus* Imperator *Græcos* in schismate defendens, & ipsi quoque *Græci* diuinæ vñtionis vindictam manifestè persenserint. Ipse enim ob crudelitatem omnibus inuisus & interemptus est vnà cum *Tiberio* filio, & z hi tandem traditi sunt cum *vniuersali Patriarcha* suo in seueras *Turcarum* manus, sub cuius intolerabili iugo etiam hodie nequicquam ingemiscunt. *Constantinopoli* nimirum à *Mahumete* violenter capta, & *Constantino* *Græcorum* Imperatore interneccione deleta: Quorum fides quotidie magis magisque minuitur; qui etsi quinquies vel sexies *Latina Ecclesie* reconciliati sint, ad vomitum tamen semper redierunt: ita vt penes eos *Ecclesiam* esse dici non possit. Conuicti enim iam olim legitimè sunt, atque hæreseos damnati in tribus plenarijs Concilijs, vtpote *Lateranensi Lugdunensi & Florentino*: ac præcipuè de hæresi circa processionem *Spiritus Sancti*, quam manifestam esse hæresim, etiam ipsi *Lutherani & Calvinista* confitentur.

NEQVE hoc solum *Græcos* mouebat, verum etiam alias hæreses & schismata contra *vniuersalem Latinorum Ecclesiam* fouebant, obijcientes illis quòd ieiunarent sabbathis, quòd abominarentur nuptiis, quia *Presbyteros* vxores ducere prohibebant, quòd *Chrisma* ex aqua fluminis conficerent, quòd agnum in *Paschate* more *Iudæorum* super altare cum *Dominico* corpore offerrent, quòd clerici barbas raderent &c. quæ a *Baronio* ex *Frodoardo* refert, explicat, refellit. Sed leuiuscula hæc vti sunt, sic plus momenti habet, quòd *Græci* negent *Spiritum Sanctum* procedere à *Patre & Filio* tanquam ab vno principio, quòd asserant sacramentum confici non posse in azimo, sed duntaxat in fermentato, fugillantes ideo *Romanam Ecclesiam*, adeoque & erroris damnantes; quòd item velint sub vtraque specie communicandum esse, quòd dicant nuptiarum fœdus & vinculum posse pro coniugum arbitrio dissolui, ipsumque extreme vñtionis Sacramentum non prodesse ægrotantibus ad salutem corporis. Docent quoque præter alia, *Sanctorum animas* non posse admitti ad beatitudinem vsque ad diem iudicij. *Purgatorium* verò non tam negasse *Græci* videntur (licet *D. Thomas* in opusculo contra eos scripto, huius eos erroris insimulet) quàm de pœnæ qualitate dubitasse. An videlicet inibi sit ignis, an aliud aliquid. Vti apud *b. Bellarminum*, de purgatorio disputantem videre licet.

GVIDO de Lacha & GUILHERMVS Cornelius, Antuuerpiensis.

Horum quidem duorum mentionem facit sub finem libri septimi *Prateo-*

*Græcorum
superbia in
extollenda
Sede Con-
stantinopo-
litana.*

v. 711.

2. 472. 1453

*Græcorum
hæreses &
schismata.*

a ad ann.
867.

*An Purga-
torium Gra-
ci omnimo-
do negauer-
int.*

b Lib 1. de
purgat. cap.
21. seu vlti-
mo.

lus, sed quandoquidem nec nominat tempus quando vixerint, nec hæresim quam tenuerint, nos ijs omissis, ad alios interim pergimus.

GVILIELMVS de Sancto amore circa ann. 1250.

Fuit hic infensus Mendicantium religiosorum hostis promulgans hæreses suas sub *Alexandro IV.* à quo & damnatus est per bullam, quæ incipit *Romanus Pontifex.* De cuius hæresi *B. Antoninus* parte 4. tit II. cap. 7. § 5. summæ Theologicæ. Docebat enim non licere monachis, ex mendicitate vivere, sed ad laborem manuum adstringi, aliàs nequaquam saluari eos posse, quanquam non omnes religiosos obligabat ad laborandum, sed eos solummodò qui non haberent bona stabilia in communi. Asserebat etiam absolute, hominem in ordine mendicantium salute potiri non posse.

HAMSTEDII sub Carolo V.

Eius hæreses.

Hi nomen suum sortiuntur ab *Adriano Hambstedio*, spectantque ad tertiam nostri temporis *Evangelicorum* classem; eorum videlicet, qui *Lutheri* occasione à Catholica fide dissentientes, dogmata sequuntur *Luthero* contraria. Et *Hambstedius* quidem in *Selandia* aliquamdiu commoratus, profugus inde in *Angliam* commigravit; vbi *Edmundi* Londinensis Episcopi sententia ab officio suspensus, & ad publicè in Ecclesia reuocandum compulsus, inde quoque ob contumaciam profligatus est, & excommunicatus. Docebat autem infantes sine baptismo ad annos aliquot seruare licere, neque vllius conscientiam hac in re ad certum tempus obligari posse. Affirmabat item, credere Christum Dominum ex semine mulieris natum, ac humanæ carnis nostrique generis participem factum esse, nequaquam religionis Christianæ fundamentum censendum esse, sed ipsius fundamenti circumstantiam quandam. Atque idcirco, qui Christum ex mulieris semine negat esse, is non fundamentum neget, sed vnam ex fundamenti circumstantijs. Habuit & alia nonnulla commenta *Anabaptistarum* delirij affinia.

HARMONIVS sub Antonino Philosopho.

c. Lib. histor. cap. 16.

Harmonij & Bardesane hæresis.

Fuit hic filius *Bardesane* Syri, magni illius *Ephraimi* ambo discipuli; qui cum singulari facundia excellerent, vterque in hæresim prolapsi sunt circa annum 163. De quibus c. *Nicephorus* scribens, dicit *Bardesanem* quidem nominis sui hæresim instituisse, filium autem Græcis disciplinis imbutum patrijs vocibus legitimis modis musicisque numeris inclusis, ordine circulari eas cani instituisse. Cæterum paternæ hæresi filius adhærescens, eandemque cum Græcis de animæ generatione & corporis interitu, nec non de futura generatione opinionem sequens, lyricis modulis doctrinas eiusmodi adpersit, quibus *Syros* allexit & in fraudem pertraxit.

Hel-

HELCHESAITÆ circa ann. 240.

Hæc hæresis irrepsit sub Gordiano Imperatore: negans, teste Eusebio Cæsareensi, B. Pauli scripta, & alia nonnulla à Spiritu Sancto tradita. Quorum hæresim tandem Origines deuicit. De qua supra titulo de Elcheseis.

d Lib. 6.
cap. 38.

HELIOGNOSTICI olim apud Iudeos.

Hos etiam alio nomine *Demetriaticos* fuisse nuncupatos author est Philastrius, erantque idololatræ apud Iudæos, more Persarum Solem colentes ac venerantes, quòd illum omnia quæ Dei sunt, scire arbitrarentur, illumque solum gignendarum rerum vim habere faterentur. Vnde & Solem Deorum maximum esse credebant, equosque illi sacrificabant. Taxat porro etiam B. Leo Papa Romanos nonnullos sui temporis Christianos, qui Solem superstiosè venerantes, plus ei honoris deferebant, quàm illorum professio permittebat; dum ait. *e De talibus institutis etiam illa generatur impietas, ut Sol inchoatione diurna lucis exurgens, à quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur. Quod nonnulli etiam Christiani adeò se religiosè facere putant, ut priusquam ad B. Petri Apostoli Basilicam, quæ uni Deo uiuo & uero est dedicata, Solis superperueniant, superatis gradibus quibus ad suggestum ara superioris ascenditur, conuerso corpore ad nascentem se Solem reflectant, & curuatis cervicibus, in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantia uitio, partim Paganitatis spiritu multum tabescimus & dolemus.* Hæc ille.

e Serm 7.
de Natiuit.
Christi.

Solis super-
stitiosa ve-
neratio.

HELVIDIANI sub Damaso circa an. 380.

Heluidius Auxentii Arriani discipulus, homo nec doctus nec facundus, probare nequic quam conatus fuit, Deiparam Virginem MARIAM, postquam Christum peperit, suscepisse & alios aliquot ex Iosepho filios, qui fratres Domini in Euangelio nuncupati sint: asserens insuper, eiusdem esse gloriæ virgines ac maritatas. Quem Hieronymus libro aduersus eum edito, suis cum nugis ac blasphemis egregiè contudit, totique orbi irridendum exposuit.

HEMEROBAPTISTÆ tempore Christi.

Reperti sunt inter Iudeos nonnulli, qui religioni sibi ducentes, si vere, autumno, hyeme & æstate quotidie non baptizarentur. Rati hominè non posse viuere, nisi diebus singulis in aqua mergeretur, atque eiusmodi ablutione sanctificaretur. Quos eam ob causam *Hemerobaptistas* appellatos f. Epiphanius asserit. De quorum hæresi fit etiã mentio apud g Marcum Euangelistam.

Vnde dicti
sunt Heme-
robaptista.

f In panario
lib. 1. hæresi

17.
g Marc 7.
ver. 4.

HENRICIANI circa ann. 1046.

had ann.
1046.

h Baronius percensens *Henrici tertij* Imperatoris schisma, & molestias quas Romanis aliquot Pontificibus intulit, dicit eius peruicacem errorem transisse in hæresim, dictam *Henricianam*, communem videlicet cum impijs nostri temporis *Politicois*, qui volunt Imperatoribus siue Regibus non temporalia duntaxat, sed spiritualia quoque subiecta esse, ipsamque adeo *Romanam Ecclesiam* cæterarum omnium Matrem ac Magistram. Quin & de *Henrico VIII*. Angliæ Rege, idem quoque affirmare licet constituyente seipsum & *Primates* regni, & caput Ecclesiæ etiam in spiritualibus. Qui quidem in utroque functionis officio, tam Regiæ scilicet, quàm Pontificiæ succetricem habuit anno 1559. filiam suam *Elisabetham*, ex *Anna Bolena* illegitimè, ne dicam incestuosè progeneratam; magnam scilicet magnæ Britanniæ *Papissam* & *Archi-Flaminicam*. Quæ tamen ob hæresim ab ipso Hierarcha ac supremo Christiani ouilis Pastore *Pio V*. Romano Pontifice anno 1569. diris deuota est, & excommunicationis fulmine ab Ecclesia eliminata; sicuti & olim Parens eius *Henricus à Clemente VII*. quod repudiata legitima thori consorte *Catharina*, qua cum annis circiter viginti vixerat, *Bolenam* superinduxerat. Cæterum contra Angliæ Regis *Primates* doctè, disertè, accuratè disputat *Beganus* in manuali controuersiarum huius temporis lib. 5. cap. 19.

HENRICVS Petrobrusianus an. 1148.

Temporibus *B. Bernardi* abbatis *Henricus Petrobrusianus* in prouincia *Tolosana* pestilentissima sua hæresi valdè Ecclesiam afflixit, discipulus nimirum *Petri de Bruis* Hæresiarchæ, ac dignum tali patella operculum. Cuius mores & hæreses præfatus *k. Bernardus* describens, ait eum fuisse olim monachum & cumque literatum, sed relicto religionis habitu apostatam factum, ad spurcicias sæculi, tanquam canem ad vomitum suum esse reuersum. Qui quoniam ob criminis magnitudinem inter notos & amicos commorari non audebat, veluti circumforaneus quispiam hinc inde oberrabat, & quidquid à mulieribus corradere pecuniæ poterat, alearum lusui rebusque alijs turpibus turpiter insumebat; repertus nonnunquam in tempeste noctis silentio in meretricum, nuptarumque consortio. Contra quem scribens *Petrus Venerabilis*, abbas *Cluniacensis*, tradit eum fuisse hæredem nequitie *Petri Bruis* Præceptoris olim sui, præterquam quod Baptismum infantium ante intelligibilem ætatem negaret.

Hæreses huius
Henrici
fuit eadem
quæ &
Petri Bruis.

Docebat autem cum nostris *Novatoribus*, templa superflue in honorem Dei fabricari, eaque dirui oportere; cruces sacras confringendas esse, suffragia pro fidelibus defunctis nullius momenti esse, nec esse vnum corpus & sanguinem *CHRISTI* in sacramento altaris, purgatorium non esse, Deum proinde

proinde irrideri canticis Ecclesiasticis, atque id genus alia. Contra quem missus est ab *Eugenio* Pontifice *Alberinus* Cardinalis anno 1073: qui adiu tus opera *B. Bernardi* & *Gaufredi* Episcopi *Carnotensis*, fortiter se huic monstro opposuit.

HERACLEONITAE circa ann. 175.

Heracleon Valentini discipulus, emerfit sub initium *Soteris* Papæ. De quo *Tertull.* agens, dicit illum cum *Valentino* paria sensisse, sed nouitate quadam pronunciationis voluisse videri alia sentire: introducit enim, inquit in primis illud fuisse, quod pronuntiat: & deinde ex illa monade duo, ac deinde reliquos *Æonas*. Meminit eiusdem etiam *Irenæus*; sed pluribus *n Epiphanius*, eius ac sectatorum fabulas commentaque recensens; dicens inter alia eos consueuisse, inuocatis super morientes quorundam Principatum nominibus, ungeri defunctos oleo & aqua, interdum balsamo, ut (quod somniabant) incomprehensibiles fierent & inuisibiles supernis Principatibus, ac sic ab eorum potestate redimerentur.

1 Lib. aduers. Valente. cap. 4. & lib. de Prascrip. cap. 49. m Lib. 2. cap. 4. n Hæres. 36.

HERMANNVS Riscuuyck, vide *Riluiic* ant

HERMAS circa ann. 388.

Fuisse hic legitur vnus ex ducibus *Massalianorum* hæreticorum, tempore *Siricij* Papæ: qui non solum Christianorum baptisma inualidum esse aiebat, sed in igne pueros baptizandos somniabat. Malum quoque dicebat aliquando esse à Deo, aliquando à materia: quin & materiam elementorum ex qua factus est, non esse à Deo factam, sed Deo esse coæternam nugabatur.

Hermæ hæreses.

HERMOGENIANI circa ann. 170.

Temporibus *Aniceti* Papæ emerfit *Hermogenes* Hæresiarcha in Africa: qui picturæ studiosus, ex Christianis trāsijt ad Philosophos Stoicos: ex quibus conatus est inferre in Ecclesiam de materia ingenita, ex qua Deus omnia fecerit, opinionem; ab alijs verò sectis morum turpitudinē. Aduersus quem *Tertullianus* edidit eruditum commentarium: quo & insuper tradit, ipsum docuisse malum à materia prodijisse: Sed & ei adhæsisse sodalem *Nigidium* quendam o alibi testatur. Addit verò *Philastrius*, eundem dixisse corpus domini in sole esse repositum, diabolum autem & dæmones esse in materiam refundendos. Ex *Hermogenis* autem hæresi, *Manichaorum* esse deductam *Gregorius Nyssenus* docet; *Sabellianorum* quoque *q Philastrius*. *Hermogenis* porro lectatores, ab hæresi quam assererent, *materiarij* nuncupati sunt à *Tertulliano*, quos æquè omnes *Hermogenianos* dictos *Lactantius* confutat.

o De pra-script. cap. 30 p De hom. cap. 24. & 25. q De hæres. cap 35. & 36. r Contra Hermog. cap. 25.

HERMIANI eodem ferme tempore.

Fuit & tempestate ista *Hermias* quidam Hæresiarcha & *Seleucus*, qui de materia Deo congenita, eandem cum *Hermogenianis* sententiam sequebantur: alia quoque insuper addentes: nempe quod Paradisum visibilem appellarent ex *Platone*, & animas hominum de igne & spiritu esse existimarent: Angelos dicerent esse creatores animarum nostrarum; mundum istum, infernum esse, & id genus alia cum primis absurda. De quibus *Hermianis* agit *Baronius* ad annum 170.

HERODIANI tempore Christi.

De *Herodianis* agens *Philastrius*, dicit eos ab *Herode* Iudæorum Rege nomen traxisse, & resurrectionem quidem mortuorum credidisse, Legemque & Prophetas suscepisse, sed in eo deceptos fuisse, quod *Herodem* CHRISTVM esse somniarent: qui secundum diuinum oraculum, cum defecisset penitus sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, ipse ille esse videretur, qui mittendus erat, eò videlicet quod ex Senatus-consulto Iudæorum Rex pronunciatus esset. Quorum gregales fuerunt, qui vnà cum *Phariseis* conspirarunt contra CHRISTVM, & cauillolam de tributo persolueno Cæsari quaestionem proposuerunt,

1 *Matth.* 22.
vers. 16.

HERON Apostata circa ann. 365.

Fuit hic *Thebarum* apud Ægyptios creatus Episcopus, qui casu quodam ad Græcam superstitionem à Christianismo tempore Iuliani apostatæ deficiens, infœlicem vitæ exitum, vti & *Nicephorus* scribit, consecutus est: vtpote, quem putrida subito ægritudo inuasit, quæ totum illius corpus depasta, abominabilem eum ita omnibus reddidit, vti in viam proiectus, nullam penitus à quopiam commiserationem moriturus consequeretur.

1 *Lib.* 10.
cap. 29.

HESHVSII tempore Caroli V.

Consecuti sunt hi nomen suum à *Tilmanno Heshuissio*, quem *Calvinus Seruetianum* infamat; *Boquinius* verò *Arrianum*; *Wilhelmus* autem *Cleminuitzius* præter peculatum plurimis de fidei capitibus acculat, vtpote *semi Lutheranum*. Ille verò libellum edidit *Iene* contra *Sacramentarios*, vbi mox in ipsa Præfatione *Zuinglij* & *Calvini* errorem de cœna longè lateque diffusum esse, conqueritur. Cum autem obijceretur illi quod dixisset, *Trinitatem esse unitatem*, negavit se meminisse an dixerit in lectionibus, cum tamen disertis id verbis doceat de præsentia corporis Christi in cœna, obiectione quinta.

Lindanus
dial. 2. *Du-*
bicantiij
pag. 135.

HETZE-

HETZERIANI sub Carolo V.

Anabaptistarum pernicioſa cum primis ſecta graſſante pullulabant in dies *Lernæ* inſtar hydriæ recentis exitialis dogmatis capita tum in *Hollandia* tum in *Moravia* & *Heluetia*; vnde *Bernates* *Helueti* circa annum 1528. voverunt publicam apud ſe diſputationem inſtitui, *Anabaptiſtas* inter & *Zuvinglianos*, propter *Pfiſtermeirum* quendam iſtis in locis homines ſua luce inſufficientem, ac turbas cientem. Quando interim illo vt cunque ſedato, *Ludouicus* quidam *Hetzerus* cornua erigens, iparſo in ruſticos prauſ ſeminis dogmate, & ipſe grauiffimas excitare ſeditiones aggreſſus eſt. Qui malè ſibi conſcius, deliteſcere maluit, quàm cum *Oecolampadio* pedem diſputando conferre. Vnde *Conſtantia* latebras circumſpiciens, vix hoſpitiū ingreſſus eſt, quin biduò poſt à magiſtratu apprehenderetur, incarceraretur, decollaretur. Nam viginti quatuor fæminas maritatas, præter virgines, eū conſtupraſſe, teſtis eſt *Lutherus*: vt ait *Guilielmus Reginaldus* lib. 2. *Caluino* turciſmi cap. 11. Quin etiam idipſum ex proprijs eiufdem *Lutheri* ſcriptis, vt pote mēſalibus *German.* colloquijs fol. 415. adſtruit. D. *Vlenbergius* in fine cauſæ XIV. addens *Ludouicum* hunc cum capitali ſupplicio propter hæc aliaque ſua ſcelera afficiendus eſſet, dubitandum hæſiſſe, & poſtrema hæcce verba effuſiſſe; *Deus bone quo migrabo?* Atque ita ex hac vita in buſ correptum adſtipulante *Luthero*, miſſaſſe. Hominem trium quidem linguarum probè peritum, & quem *Prophetas* Germanicè tranſtuliffiſſe conſtat. Cui tamen v *Meſſonius* in *historia Anabaptiſtica* ſupra viginti errores inſuper adnumeravit; dicens illum de *CHRISTO* impiè ſenſiſſe, exter-num prædicationis miniſterium reieciſſe, ſpiritum non literam in ſcriptura quærendum præcepiſſe, imagines *Sanctorum* contemptui habuiſſe, libros viſionum maximi feciſſe &c.

v Lib. 1.
num. 19.

Eius præcipua aliquot hæreſes.

HIERARCHITAE circa ann. 288.

Imperante *Diocletiano* progreſſa eſt in *Ægypto* *Hierarchitarum* hæreſis: quam omnes ponunt poſt *Manichæam*, eiufque ſicut & *Gnoſticorum* fuiſſe participem tradunt. Eius autem author habetur *Hierax* quidam ex *Leonto* *Ægypti*, vir non exiguæ eruditionis, & *Græcarum* omnium literarum peritiſſimus, nec non *aſtronomiæ* & *magiæ* deditus. Qui ſcripturarum in *Eccleſia* receptam interpretationem contemnens, propria vanitate in hæreſes plurimas imegit, nuptiasque damnans, cœlibum duntaxat dixit eſſe vitam æternam. Pueros proinde ante perfectam cognitionem morientes, à ſalute reiſciebat, nec credebat *Paradiſum* eſſe ſenſibilem; *Melchizedech* autem dicebat eſſe *Spiritum Sanctum*. Ciborum quoque abſtinentiam, ac vini præſertim docuit, multa inſuper ex *Origenis* erroribus mutuatus, quemadmodum ex *y Epiphania* latius videre licebit.

Hæreſes
Hierarchitarum.

y Hæreſi 67.

HIE

HIERONYMVS Pragensis an. 1414.

Bohem ia hoc monstrum peperit, & pertinaci errore eò vsque perduxit, vt flammis exuri maluerit, quàm à prauæ mentis semel suscepto proposito resilire. Instituebat enim se veracem S. *Euangelij* æmulatorem, ac sincerum Christi discipulum, *Romanam* autem *Ecclesiam*, cæterasque per orbem dispersas, longè ab *Apostolorum* traditionibus deuiasse. Quo de errore in Concilio *Constantiensi* conuictus ac diuturno carcere detentus; cum resipiscere nollet, igni adiudicatus est sub *Sigismundo* Imperatore anno 1416. De quo latius sub titulo *Husitarum*.

HILARIUS Arrianus circa ann. 400.

a Lib. 2. Re-
tract. cap. 11

Vixit hic temporib. B. *Augustini*, professor nimirum *Arrianismi*, solitus irridere cantum Ecclesiasticum, & ea potissimum, vt a idem refert, quæ inter Missarû solemnia ante & post oblationem corporis Christi peragebantur ac decantabantur. Non tam quod hymni diuini concinerentur, quàm quod ijs CHRISTVS, vt i verus Deus (quod *Arriani* inficiabantur) eiusque laudes palam prædicarentur & sonora voce extollerentur.

HOFMANNISTÆ sub Carolo V.

b Lib. 5. hi-
stor. Ana-
bapt. n. 9.

Melchior Hofmannus, natione *Suenus*, conditione pellio *Argentorati* in *Alsatia* *Anabaptistica* sectæ fomitem fouens, cum istic diutius agere non permetteretur, in *Belgium* vno vel altero suæ factionis socio comitatus se recepit, atque *Embda*, præcelebri *Orientalis Frisia* oppido eandem aliquamdiu publicè docuit, *Ennone* Comite siue coniuente siue applaudente, idque circa ann. Domini 1531. Inerat homini facundia, inerat comitas, & persuadendi decipiendique dexterias. Quibus id omninò perfecit homo vafer, vt paucorum mensium spatio trecentos in deceptionis nassam pertraheret. Quos hinc inde circumducens ac dispergens miserandum in modum credulas plebeiorum hominum mentes ita dementauit vt persuaderet sibi cœlestium rerum arcana quam plurima diuinitus esse reuelata. Inter cætera verò, se ceu verum diuinæ iussionis Vatem *Argentoratum* iteratò destinatum esse, vt i urbem illam sicuti verbum Domini olim de *Hierusalem* egressum est, *Euangelicæ* prædicationis verbo illustraret ac celebriorem redderet, stupenda & inaudita sibi pollicens. Nec mora, relictis quàm plurimis in *Frisia* a seclis, anno superioris seculi trigesimo secundo in *Alsatiã* contendit, *Argentinam* intrauit, sed præter spem omnem, in carcerem inutilis hic Vates coniectus est, in ibique ad menses aliquot detentus, quò ad usque animi mœrore contabesceret. De cuius impostura iucundum lectu nonnulla memorat b *Mesnonius*,

H O M V N

HOMUNCIONISTÆ Apostolorum auro.

Meritò dixeris veteres illos *Homuncionistas*, qui CHRISTI diuinitati invidentes, eum non nisi hominem fuisse affirmabant. Eam enim ob causam B. c Augustinus *Photmianos* hoc nomine indigitat. Quorum e quidem ingens ipso Apostolorum æuo, diabolo vires fraudesque hæreticis iuggerente, vt CHRISTI diuinitatem extinctum irent, numerus exstitit. Sic CHRISTVM à IESV olim separabat *Cherinthus*: Duos autem Christos constituebat *Marcion*. Christum alium esse, & alium Dei filium asserabant *Apollinarista*. Eum quoque Deum esse, negarunt *Nicolaita*, sed in eo Deum duntaxat ad tempus habitasse. Nudum item hominem, ex viri semine procreatum, blasphemabat *Ebion*. Quin etiam *Symmachiani* hominem tantum, modò fuisse nugabantur. Taceo *Nestorium*, *Acacium*, atque alia id geus hæreticorum monstra quando etiam aurore nostrorum memoria confirmilia reperire licuit, vtpote *Seruetum*, *Blandratam*, *Alciatum* *Socinum*, alios: de quibus suis locis.

HONORICVS Vandalorum Rex circa ann. 476.

Fauit hic mirum in modum *Arriane* hæresi. *Zenonis* Principis temporibus, regnans in *Lybia* occidentali: qui odio Catholicæ religionis inflammatus, trecentos triginta quatuor Episcopos Orthodoxos, hæreticorum iuasus, in *Africam* exulatum relegauit. De quo d. *Nicephorus Callistus*.

d Lib. 17.
hist. cap. 11.

HUGONOTÆ nostro hoc auro.

Hugonota Lutheri occasione ab Ecclesiæ Catholicæ doctrina desciscientes, dogmata lectantur *Luthero* contraria, quos nunc passim *Sacramentarios* in Gallia vocant; illic enim primò exorti sunt, vt patet ex *e Lindano*, qui de illis scribens; *Caluini*, inquit, nomen non nihil superioribus diebus obsecrare cœperant, qui per Galliam vocantur *Hugonista*: incertum an ab *Hugone* Parisiensi quodam magistello, an verò ab *Hugone* illo *Capeto*, ex Comite *Parisiensi* Francorum Rege. Quorum mores & ingenium accuratè depingit *f Ludouicus Richconius*, Societatis IESV Theologus: ostendens *Hugonotis* conuenire quam perlectissimè fastum & superbiam, luxuriam, mendacium, calumniam, vanam scripturarum ostentationem, fraudem & crudelitatem, odium Sedis Apostolicæ, discordiam, pertinaciam. Quorum rebellionem & improbos conatus egregiè cœperat nuper Christianiss. Galliarum Rex *Ludouicus*. eius nominis XIII. retundere, ipsosque *Rupellenses* sibi propemodum subiugare, atque ad saniores religionis normam compellere.

e In Dubi-
tatio dia-
log. 2.

f In libello
de idolola-
tria Hugo-
notica.

HVSITAE AN. 1410.

Hussita-
rum hære-
ses.

Hussita
multas ha-
buerunt hære-
Cum nostris
Caluinianis
communes.

Sub initium seculi decimi quarti exorti sunt duo pestilentissimi Hæresiarchæ Iohannes Hus, & Hieronymus Pragensis: qui totum in Bohemia regnum prauis suis dogmatibus infecerunt, ac tantum non euerterunt; prorsus ut eam ob causam necesse fuerit anno 416. ad Conciliū Constantiense eos citare. Erant enim *Hussii* errores enormiter sacrilegi: utpote Deum debere morem gerere diabolo .2. si Episcopus aut Sacerdos in mortali existat peccato, non conficere, non consecrare. 3. nullum qui sit in peccato lethali, esse amplius Principem ciuilem, aut Prælatum Ecclesiasticum: omnia de necessitate absoluta euenire. 5. illicita esse iuramenta, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & ciuilia commercia, 6. contra sacram Scripturam esse, quod Ecclesiastici possessionibus gaudeant. 7. Augustinum, Bernardum damnatos esse, nisi pœnituerit de hoc, quod possessiones habuerint, & religioni se dediderint. 8. omnes enim religiosorum hominum familias à dæmone introductas esse. 9. Romanum Pontificem reliquis Episcopis dignitate parem esse. 10. purgatorium ignem nullibi inueniri. 11. Ecclesiam bonos duntaxat complecti. 12. eosdemque qui ad vitam à Deo prædestinati sunt, etiam si malè agant, nunquam posse membra esse diaboli; illos verò qui à Deo ordinati sunt ad mortem, quantumcunque benè uiuant, nunquam posse esse membra Dei. Cuius equidem hæreses commemorat, adeoque execrando damnat Concilium Constantiense, sessione 9. *Cochleus* lib. 1. historię Hussitarum. Fuit autem tanquam pertinax hæreticus flammis adiudicatus, prorsus ut etiam tunc cum ad mortem duceretur multa liberrimè effutierit, & nequicquam ad Christum supremum iudicem appellauerit. Qua de re legi potest epistola *Francisci Poggii*, quam de morte *Hussii* conscripsit, cuius ipse spectator fuit.

SCIENDVM autem *Hussitas*, sicuti & alios passim Hæresiarchas in varias esse sectas dissectos. Alij enim dicuntur *Orebite*, alij *Adamite* siue *Picardite* authore quodam Gallo, qui dicebatur *Picardus*, & *Bohemos* plurimos seduxit; dicens se filium Dei esse, & vocari *Adamum*, quo de suo loco diceretur. Magnam porro iniuriam faciunt Catholicis hæretici obijcientes eis, tam *Hussum*, quàm *Hieron. Pragensem* contra fidem publicè datam interemptos. De quo copiosè satis *Bezanus*, in tractatu de fide hæreticis seruanda tomo 2. tomorum Theologorum pag. 64. & sequentibus.

HVTITAE Caroli V. Imperatoris æno.

glia Dubi-
tant. dial-
2. pag. 173.

Hos ita dictos censet *Lindanus* à Iohanne quodam *Huto*, qui se corporaliter populum

populum Israeliticum iactitabant, Cananæorum omnium excisores; diem Domini propediem iustare, ideoque omnia ante eius aduentum abligurienda, vnde ad summam inopiam sunt redacti non minus, quàm miseri olim ducatus *Clivia* coloni; qui à Prædicante quodam suo, cognomine *Campano* idem facere persuasi, ad restum tandem (quod aiunt) redire. De quibus lepidam admodum historiam, lepido videlicet carmine conscriptam reperire licet apud *h Angelinum Gazeum*. Societat. IESV Presbyterum.

*h In pijs
suis bilad
rijs pag. 78.
& seq.*

HUTTITÆ eodem illo auro, nisi fortè sint iidem cum precedentibus.

Alios esse hos posset quis forsitan existimare, quàm superiores illos à *Iohanne Huto* nomen trahentes, cum *Huttita* per geminum scripti, suæ familiæ antesignanum non *Iohannem* sed *Iacobum* prænominem nuncupent. Sic enim eum indigitat *Meshonius*, diligens nimirum & elegans *Anabaptistica* *historia* Scriptor, sub initium libri quarti; dicens illum traxisse originem ex obscura operariorum familia Comitatus *Tyrolensis*, pileario videlicet (viti putatur) patre catholicè quidem enutritum, sed quia tardioris erat ingenij, quam vt ad aliquem eruditionis gradum concendere posset, patriam deseruisse, atque in *Saxoniam*, *Silesiamque* profugisse, seque *Nicolao Pelargo* in factione *Anabaptistica* erudiendum subiecisse. Erat enim gloriæ appetentissimus, & fraudiû adornandarum veterator astutissimus. Quibus *Moranos* dementans; ad quos dum concionabundus in cathedram profiliebat veterum more Prophetarum, sermonem ordiens; *hec*, inquit, *dicit Dominus, & audite verbum Domini*. Crebrò in extases se rapi iactitabat, humanasque miseras crocodili lachrymis deplorans, ad cœlestium mysteriorum contemplationem auditorum animos incitabat; docens iustitiam hominis in austeritate vitæ, & rigida seueraque morum compositione positam. Magistratû interim, adeoque politicum ordinem omnè flocci faciens, ac bonorû omnium communionem perurgens, Sathanæque filios eos, qui sibi solis quidquam reseruassent, appellitans. Degunt *Huttita* etiamnum in *Moravia* frequenti numero, in casulis ac tuguriolis commorantes. De quorum viuendi more ac ritu latius apud *Meshonium* legens, in eam fermè propendeo sententiam, vt sint iidem illi quos *Lindannus* *Huttitas* nominasse diximus: nisi quod prænomen *Iohannis* & *Iacobi* dubitationem gignere posse videatur.

*Huttitarum errores
& fraudes.*

HYMENÆVS ipso *D. Pauli Apost.* auro.

Meminit diuinæ electionis vas hæretici huius, dum ad discipulum suum *k Timotheum* scribens, dicit eum circa fidem naufragasse, ac quorundam insuper fidem subuertisse, lasserendo resurrectionem esse iam factam: quem vnà cum *Alexandro* tradidit Sathanæ, vt blasphemare desinerent.

*k1. Timos.
1. vers. 19.
2. Timos.
2. vers. 17*

I.

JACOBELLVS circa ann. 1410.

Fuit hic patria *Misnensis*, moribus non minus quàm literis probè excultus, cum docendi munere olim *Praga* apud Catholicos tempore *Ruper- ti Banari* Cæsaris, fungeretur. Quem *Petrus Dresensis*, *VValdensium* peste corruptus, *Praga* concionibus insistentem reperiens, hæreseos labe asper- sit, identidem inculcans, *Romanam Ecclesiam* errare in eo, quod contra ex- pressum Dei verbum (ita enim videri volebat) laicos sub vna tantum specie communicaret. Quibus cum *Iohannes Papa* eius nominis *XXIII.* sese opponeret, Antichristum eum nuncuparunt; de quo latius sub titulo *Petri Dresensis*.

JACOBITAE circa ann. 452.

*Ægyptij hæ-
retici.
m Lib. 3. de
hæres.*

*n Lib. 18.
cap. 45. &
52.
o In catal.
Hæret.*

IACOBVS natione *Syrus*, à quo *Iacobitæ* nominati sunt, circa annum tertium decimum *B. Leonis Papa.*, ideo quod *Chalcedonensem Synodum* re- spueret, hæreticis accensus est. Quando nimirum *Alexandrinæ & Ægyptij* occasione *Dioscori* magna ex parte tumultuati, idem quoq; facientes, Ichil- mate sunt ab Ecclesia Catholica divisi. Id enim testatur *m Damasceus*, qui ait eosdem vocatos fuisse peculiari nomine *Ægyptios* itemque *Schematicos*, & *Menophysitas*, eorumque Principes extitisse *Theodosium* quendam *Alex- andrinum*, à quo *Theodosiani*; & hunc quo de agimus *Jacobum*. De quo etiam *n. Nicephorus* scribens, dicit eum obscurum penitus, & nullius gloriæ homi- nem fuisse. Et quidem *o Bernardus Lutzenburgensis* *Jacobitis* varios assignat errores (si modo iidem illi sint qui à *Jacobo Syro* nomen sortiuntur) utpote, non esse necessarium confiteri Sacerdoti peccata sua, sed Deo soli, vnam duntaxat in Christo naturam esse, non credere *S. Trinitatem*, sed vnitatem solummodo. Quin & paruulos suos circumcidebant adustione quadam in fronte, vel in genis impressa, &c.

JACOBVS Præpositi an. 1520.

*Eius hære-
ses, & simu-
lata palino-
dia.*

Fuit hic natione *Flander*, Ordinis Eremitarum *S. Augustini*. Qui *Luthe- ranâ* imbutus hæresi, cum *Antuerpia* virus suum spargeret, ductus est *Bru- xellas*, vbi in æde *D. Gudula*, quæ istic primaria est, coram ingenti homi- num multitudine hæreses suas reuocavit: quarum primariæ erant, non nisi tria Ecclesiæ esse Sacramenta, indulgentias nullius esse valoris, omnia san- ctorum opera, peccata esse, Papam de iure diuino non esse caput Ecclesiæ, & alia quæ numero 27. à *Prateolo* percensentur. Verum in pristinum er-

rorem.

rorem relapsus est, & fratres *Augustiniani* quos seduxerat, vinculis mancipati sunt, eorumque *Antuuerpiense* monasterium, *Adriani*, VI. Pontificis iussu, penitus demolitum: è quorum numero duos *Bruxellis* voracibus flammis traditos esse *Surius* author est. p Sub ini-
tium anni
1523.

JACOBVS Iustus, circa ann. 1314.

Fuit hic *Begardorum* in Germania Primicerius, tempore *Ludouici Cæ-* faris. Qui cum a seclis & collegis dicebat, pro *Begardorum* hæresibus, omnes condemnatos, siue religiosi siue laici forent, esseque illos martyres censendos, si per Pontificem curiamque *Romanam* necem & persecutionem sustinerent. Sed ab Inquisitoribus apprehensus, & muralibus leptus parietibus, vitam inibi miserè finiuit.

ICONOCLASTAE siue Iconomachi damnati in Concilio Nicæno I. anno 787.

Anno *Leonis* Imperatoris septimo, dux quidem *Iudæorum* ex *Laodicea* maritimæ *Phenicis* oriundus, nomine *Serantapicus*, siue *Sarantapechys*, homo præstigiator ac maleficus, & hostis *Ecclesiæ Dei* implacabilis, *Sizido* Saracenorum Principi promisit effecturum se, vt si sacras omnes imagines ab *Ecclesijs Christianorum*, quæ sub ditione eius essent, auferri mandaret, diutina vita potiretur. Dictum, factum, *Sizidus* longioris vitæ desiderio inescatus (biennio autem non superuixit, licet impostor ille triginta vel quadraginta appromississet) missis confestim *Hebrais & Arabibus*, easdem comburi mandauit; ipsasque *Ecclesias* alias quidem calce, alias alijs coloribus dealbari, vel incrustari. q *Damasceus* porro de iisdem *Iconoclastis* agens, eos ita dictos scribit, quod cum sanctas *Imagines* ignominiosè tractassent, easdem in minutissimas partes (ita etiam nostræ tempestatis *Iconoclastæ* faciunt) comminuerint, vel in ignem coniecerint. Quæ verò in parietibus essent depictæ, partim aqua calida, partim calce, atramentoque obliterauerint. Et quidem hæresis hæc paulatim serpere cœpit sub *Leone Isauro* circa ann. 727. ita vt non solum *Iconoclastæ* sed & *Hagiomachi* quoque fuerint, *Sanctorum* intercessionem irridentes, eorundemque venerandas reliquias contemptui habentes. Quin & *Thymoleontes* quoque dicti reperiuntur, quòd eos qui sacras *Imagines* exciperet aut honore afficerent, plagis ac supplicijs immanibus diuexarent. Tandem verò anno 787. damnati sunt in secunda *synodo Oecumenica Nicæna*, tanquam qui sectati essent *Judeos, Saracenos, Gentiles, Samaritas & Manichæos*. Quin etiam in octaua *Synodo Oecumenica, Constantinopoli* anno 869. celebrata, denuò damnati sunt *Iconoclastæ*; cum iam longè ante, anno scilicet 842, in exilium pulsi Iconoclastarum author præstigiator Iudæus.
q De hæres.
Idem & Hagiomachi dicti.
Item Thymoleontes.
Damnatur in 11.
Nicæna Synodo.

essent à *Michaele Tertio* Græcorum Imperatore, & *Theodora Augusta* postquam in Oriente præualuissent per annos centum admodum & viginti.

Ad ann.
1566.

C A E T E R V M vt de nostræ tempestatis *Iconoclastis* nonnihil, dicamus, grassati sunt illi admodum truculenter per *Belgium* vniuersum anno superioris seculi sexagesimo sexto, quando *Caluinistæ* generalem illic excitantur *Iconoclastiam*. De qua vti *Surius* noster ad longum, ita nos quæ anno octogesimo in præcipuis *Transisulania* urbibus ab iisdem geri vidimus, non possumus non referre. Tunc enim *Campis* primarium Diuo *Nicolao* dedicatum templum, statuis, crucibus, ac imaginibus spoliatum est, eaque vel confractæ, vel flammis (nouem enim vel decem ingentes eum in vltum excitatos rogos in ipsa Ecclesia cernere licebat) exustæ: nec alijs interim parcitum. Nam & *Franciscanorum* ibidem sacrum domicilium violenter inuasum, aræ destructæ, sacra passim prophanata, ac maior illa crux, quæ ad chori ingressum sub fornice conspicua omnibus erat, soluta, & funibus contricta, in præterfluentem *Isulam* Plateatim pertracta *Suollani* quoque *Campensium* nostrorum imitati *Iconoclastiam*, haud segnus ea in parte egerunt: quando in festo *S. Viti* martyris, quod est 17. Kalend. Iulij, templum istuc *B. Michaeli* archangelo sacrum profanarunt, altaria omnia subuertunt, ædiculam *Venerabilis* sacramenti, aureorum aliquot millibus erectam, deiecerunt ac comminuerunt, ingenti sanè *Catholicorum* cum dolore, quos eo isto die magnam quoque rerum suarum iacturam fecisse constat. Seditio enim à *Caluinistis* ex inopinato excitata, à *Campensibus* ilico ac *Dauentriensibus* subsidium petiére. *Campensibus* porro non impune recessit. Nam dū ciuium nonnulli rerum nouarum auidi, opitulatum *Suollā* contenderent, in itinere à *Mastenbroecanis* rusticis, in vltionem paulò ante exercitæ in imagines *Christi* ac *Sanctorum* nequitia excepti sunt: horrendū enim in modū eos interfecerunt, maxillis illorū cultris escarijs crucis imagines insculpentes, ac cadavera in *Isulam* fluuium, vt *Campos* deuoluerentur, prout oculis ipse tunc meis conspexi, conijciantes: profus vt carò illis steterit, tam imaginum sacrarum deflagratio, quàm celeberrimæ istis propemodum in locis, in quo carnificinam hanc rustici exercuerunt, olim constructæ, & ab ipsis ann. 1580. destructæ, *Campensis Carthusia*, demolitio.

Ann. 1580.
15. unij.

*Carthusia
Campensis
demolitio
anno 1580.
Videndus
Bredenba-
chius lib. 3.
Collat. cap.
28.*

Q V I N in alios quoque *Belgas iconoclastas* diuinæ vltionis certa existêre indicia. Nam eodem illo *iconoclastia* anno sexagesimo sexto, dum hæc seditiosorum hominum fax apud *Hasseletum*, *Hasbania* oppidum templum noctu inuaderet, eo nimirum animo vt 55. imagines partim confringerent, partim igne iam excitato incenderent, idque identidem facere attemptarent, fuit lucernarum lumen bis terue extinctum, ipseque rogos non minus quàm si copiosissimo fuisset imbri perfusus, inualidus effectus. Sen-
sit &

fit & miles quidam sacrilegus circa idem ferè tempus *Embrica* Diuinum numen: qui in æde *Franciscanorum*, quæ haud procul abest, in *B. Antonii* statuam defæuiens, eamque pedibus conculcans, horribili totius corporis incendio, & morte punitus est. Atque id genus alia passim apud *Bredembachium*, probatæ fidei Scriptorem, reperire licet; prorsus vt non impunè cedat, cum dijs bellum gerere.

IDOLOLATRÆ tempore Gentilium, & alias.

Magnus ille *Stanislaus Hosius*, eruditionis ac virtutis ergo non solum *Polonis* suis, sed & Orbi vniuerso notus, dicit non solum peccari contra diuinæ iussionis præceptum, quo vnū Deum colere iubemur, quando idola manufacta dei loco coluntur & adorantur, verum etiam cum vitiorum dola adorantur, & ita quis suis proprijs inhæret phantasmatis, ac priuatis sententijs, vt Ecclesiæ Prælati meliora suggerentibus (esse enim quasi peccatum ariolandi, repugnare & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, satis apertè *Samuel* ad *Saulem* contestatur) morem nullatenus gerere velit. Cæterum hominis vnus verbum contra receptam Ecclesiæ totius, doctrinam pleraque omnia docentis, tanquam Dei verbum amplecti, & adorare quod ab eo scriptum est, seque coram eo incuruare, an non species quædam idololatriæ reputanda? Dicit *Lutherus*: quod ego doceo, Dei verbum est, adeo vt si mille *Augustini*, mille *Cypriani* aliud docerent, nihil hoc faciendum. Et in libro contra Regem Angliæ *Henricum VII*. scribit adeo se certum esse de doctrina sua, vt si quis aliter doceret, aut damnaret quæ ipse scripsit de fide, de operibus, de libero arbitrio, &c. is damnaret DEVM, & oporteret ipsum manere filium inferni. Atque his similia docuit *Melanchton* in locis suis anno 21. & 22. editis. Eadem etiam vel consimilia suis inculcant *Calvinus*, *Brentius*, *Oecolampadi*. Ecclesia autem quæ columna veritatis, est, & quam Spiritus Sanctus omnem veritatem edocuit, per Apostolicam tubam aliter clamat & inculcat, dum ait: si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit: ita vt ne Angelicis quidem Spiritibus aliter docentibus, credendum sit, nedum *Cacangelicis*.

IENENSES, tempore Caroli V.

Hi, teste *Lindano*, sunt *Lutherani*, illi, qui ducum *Vymariensium* Confessionem professi, doctrinamque *Illyrici* amplexi, nouem *Lutheranorum* sectas damnant. Quas inter recentent *Vittenbergenjes* & *Lipsienjes*.

ILLYRICANI, eodem æuo.

Matthias Flaccus Illyricus, Sclauoniæ Monachus, discipulus fuit *Philippi Melanchtonis*: qui licet inter molles Confessionistas primas teneret, à Præceptore tamen descissens, *Rigidorum* partes consecretatus est, in eoq; præterea

Ibidem lib. 3. cap. 27.

In explanatione secundi præcepti decalogi.

1. Reg. cap. 15. vers. 22.

Vana Lutheri iactantia de doctrina sua quasi cœlica.

Galath. 1. vers. 9.

Dialog. 2. Dubitantij pag. 126. Ienenses damnant.

IX. Lutheranorum sectas. Melanchtonis molles fuisse. lyner. Confess.

Illyricus
r. g. d. u.

Illyricana
heresis

t. in defen-
sione sua.

quid VVit-
tenberg.
Illyrico ob-
ijciant.

v. Iohan.
cap. 18.

y I. ib. 4.
cap. 18.
An. 1562.
Proscribi-
tur à Lu-
theranis.

lynergis, vti postea latius dicetur, studiosè magis, quàm sincerè aut probè la-
boravit, vt *Centurias, Magdeburgensium* consarcinaret *Maioristis* omnibus se-
modis opponens de *seruo arbitrio*, docuit bona opera non solùm ad salutem
non prodesse, sed potius obesse. Quin & t. *Staphylus* testatur *Illyricum* inter a-
lia etiam *Arrij* doctrinam renouasse talemque eum esse ab *Academia VVit-*
tenbergensi damnatum: Obijciunt enim illi, quasi sentiat quod vox illa $\theta \lambda \omicron \gamma \theta$
apud v. *Iohannem* Euangelistam non significet personam *Trinitatis*. Quam
verò vafre ac mendose obtrudere lectori conetur librum quendam, cui no-
men *Eli Philii*, qui quasi ratione tollendarum imaginum contra *Septimam*
Nicanam Synodum à *Carolo Magno* Imperatore scriptus esset, ad oculum vide-
re licebit in dialog. y *Alani Copi* Angli. Pari omninò fide, vel potius perfidia
in *Centuriis* conflandis eundem egisse, ex professo constat. Nec sine causa e-
liminatus fuit à *Saxonix Principibus* è *Schola Ienensi*, dum & seditiones cie-
ret, & *Sacramentariis* se opponeret. Porro *Antuerpia* dum esset tempore ge-
neralis illius *iconoclastia* anno videlicet 1566. vnà cum *Spangenbergio*, conatus
Lutheranismum istuc introducere, irrito penitus conatu ad suos redijt dicens,
Christum Antuerpia duos inter latrones pendere, Papistas nimirum, & Calvinistas
quòd *Lutheranis* parum illic esset authoritatis.

INDIANI à multis retro seculis.

Indiano-
rum errores.
Vnde no-
men sortiti.

Indiani qui & *Abyssini* dicuntur sub ditione *Presbyteri Iohannis* degentes,
Christianos se quidem profitentur, & quod à *B. Thoma* Apostolo ad fidem
iam olim à *Gentilitate* conuersi sint, sed ab errorum interim næuis nunc
haudquaquam immunes. Circumcidunt enim suos, & adurunt insuper par-
uulos in frontibus ferro in modum crucis. In fermento quoque *Græcorum*
more consecrant, & sub vtraque specie communicant.

INSABBATATI circa ann. 1160.

Quas here-
ses foue-
runt.

Insabbatatos dicit *Prateolus* *Vvaldensium* factionis esse; sicque ideo ap-
pellatos, quod qui inter eos perfectiores sunt, signum quoddam in superio-
re parte torularis sui, quem *Sabbatem* appellant, deferre sint soliti. Hii iura-
mentum quodlibet quocunque casu respuunt, nullam orationem præter
Dominicam admittunt, omne humanum iudicium subterfugiunt, carnes
singulis quibusque diebus indifferenter edunt, libidini interim penitus va-
cantes.

INTERIMISTÆ sub Carolo V. sub ann. 1548.

a Dial. 2.
Dubitantij
pag. 131

De his agens a *Lindanus*, semilutheranos, inquit, dicimus, qui *Lutheri* pla-
citis sua quædam noua Euangelij prætextu assuunt. Quorum etsi varia est
natio, primas tamen facillè ferunt *Interimistæ* qui duplicis sunt generis. Alij e-
nim

enim INTERIM *Augustanum* sectantur, anno 1548. cōfectum: alij dicuntur *Adiaphorista*, ab INTERIM *Lipsiensi*, quod *adiaphora*, id est, indifferentia habeant Ecclesiæ & Conciliorum constitutiones ac cæremonias: quas qui obseruat, vel violat, mutatur, nihil penitus delinquat. De quibus aliquantò fusius ac clarius, *Hosius* libro de hæreribus nostri temporis primo.

INVISIBILES sub eodem.

Hi sunt ex *Rigidorum confessionistarum* superioris seculi secta: qui authore *Staphylo* docent, nullam Dei Ecclesiam visibilem existere: siquidem Deus solus norit qui ipsius sunt.

IOACHIMVS Abbas anno 1190.

Diuersi diuersimodè de hoc abbate *Ioachimo* scribunt & sentiunt: dum alij eum laudant, alij autem vituperant, *Bellarminus* uti summi vir iudicij ita suam de eo sententiã suspendit, sic enim ait *b* *Circumferuntur quadam Vaticinia sub Ioachimi nomine de futuris Pontificibus Romanis: qua quam fidem merentur, aliorum sit iudicium.* Timidè quoque in eo procedit *Trithemius*, dum inter Ecclesiasticos scriptores *Ioachimum* referens, eiusque scripta percensens, ita loquitur: *Ioachim abbas Florensis cœnobij, Ordinis S. Benedicti* (alij verò *Cisterciensis* fuisse ordinis referunt) *ex Calabria oriundus, vir in diuinis Scripturis exercitatus, qui ut Propheta suo tempore habitus, etiam futura prædicere conatus est. Sed mihi videtur (ut salua opinione sua, vel suorum loquar) ex coniecturis Scripturarum illum magis locutum, quam prophetasse.* Cæterum *Guido Carmelita* asserit illum multa scripsisse, in quibus ut limitatem ingenij sui ostenderet, ac futurorum se præscium monstraret, prognostica nonnulla falsa inseruit. Cui *Alphonsus à Castro* illum impingit errorem, quòd docuerit Apostolos non prædicasse Euangelium Christi iuxta spirituales intelligentiam, sed tantum secundum literam *d* *Bernardus autem Lutzeburgens.* inquit illum asseruisse, essentiam generare essentiam, quemadmodum Deus generat ac producit Deum *e* *Baronius* porro pseudopropheta eum absolute nuncupat, dum refert *Ioachimi* huius congressum cum *Richardo* Anglorum Rege ex quo planè tam suis ipsius varijs responsis, quàm inanibus prophetijs uentus est, inquit non *Dei Propheta. sed pseudopropheta esse.* quemadmodum in citato ad marginem loco duobus aut tribus exemplis idem *Baronius* probat, cum pleraque asseruit ventura, quæ penitus in contrarium acciderunt. Scripsit & contra *Petrum Lombardum* idem *Ioachimus* de unitate seu essentia Trinitatis, sed damnatus est in *Concilio Romano* sub *Innocentio Tertio.* sunt tamen qui scribunt eum scripta sua submisisse iudicio Ecclesiæ Romanæ, atque ideo hæreticum censerì non posse.

b In Lib. de Script. Ecclesiast.

Errores Ioachimi ab.

c Lib. 2. ad uers. heres.

in verbo Apostoli.

d In Catal. heres.

e Tom. 12. ad an. 1190.

nm m.

Damnatus est in concilio Rom.

IOACHIMVS Vadianus sub Carolo V.

Circa tempora illa quibus obiit *Erasmus* Basileæ, fuit in Heluetia apud *Sangallenses* consul quidam *Ioachimus Vadianus*, insignis sanè *Sacramentarius*, qui lenos conscripsit *Aphorismorum de consideratione Eucharistiæ* libros, quibus manifestè docet, quàm non conueniat *Zuingliano* cum *Luthero*, licèt hi ita videri velint.

IOACHIMVS VVestphalus eodem tempore.

Ioachimus VVestphalus Ecclesiæ *Hamburgensis* *Lutheranus* Pastor, inquieti homo ingenij, multas faceffuit, quâ dictis quâ scriptis molestias *Zuinglianus*. Libellum enim emisit sub annum Domini 1552. hac scriptione: *Farrago confusaneorum, & inter se dissidentium opinionum de cœna Domini, ex Sacramentariorum libris congesta*. In quo voluit ostendere *Zuinglianos* in varias pugnantisque inter se opiniones (hæc etenim propria *Seclariorum* nota) scissos esse. Quæ res malè habuit *Tigurinos*, ipsum maximè *Caluinum*. Quin & aliquantò post nouum prouulgauit contra *Sacramentarios* scriptum, in cuius præfatione scribit *R. gem Dania & Senatums Hamburgensem* edicto prohibuisse, ne quis ciuium *Anabaptistas Sacramentarios*, aliosue *Seclarios* hospitio excipiat. Quin etiam ex professo in *Caluinum* inuectus est, atque hic in illum. Nam anno, ni fallor. 1558. edidit *VVestphalus* *Confutationem enormium aliquot mendaciorum Iohannis Caluini*, & libellis insuper aliquot *Apologeticis foedissimas*, ut ipse ait, *Sacramentariorum calumnias*, diluit, ipsiusque *Lutheri* cuius partibus adhærescebat, de *Eucharistia* sententiam defendit. *Martinus* porrò *Micronius* *Sacramentarius* *Apologeticum* quoque scriptum euulgauit, quo partim *VVestphalũ*, partim *Suerinenses* ministros *Lutheranos* confutat, suosque symmystas defendit. Usque adeo parum seditioso huic hominum generi inter se conuenit.

an 1555.

*Martinus
Micronius
contra VVe-
stphalum.*

IOHANNES Leidenfis sub Carolo V.

Iohannes Boeckelsonius (ita enim ratione parentis, pro recepta *Hollandorum* consuetudine, cognominatus est) patriam habuit pagum quendam *Hagen* dictum, patrem verò *N. Boeckel*, matrem autem *Adelheidem*, *Dodorpenfis* pagi in diæcesi *monasteriensi*, famulam. Cæterum *Iohannes* *Lugduni* *Batauorum* inter propinquos educatus, scholis est traditus, ut legendi scribendique facultatem addisceret, postmodum verò sartoriæ functioni traditus, *Angliam* peruagatus est. Redux autem in patriam, cauponam egit, facetijs rithmis iocularibus, obscænisque cantibus hospites oblectans & alliciens. Cum autem ista tempestate *Anabaptismus* illic spargi cœpisset ab *Hoffmanni-*

*Fit Ana-
baptista.*

stis.

istis, & nominatim à Iohanne Matthia, pistore *Harlemensi*, ab eo retinctus est, & clam patria, vxore, ac re familiari domi relictis, *Monasterium* Westphaliæ pe-
tijt: vbi exitiale dogma primus priuatim effudit, & post publicè, explosis Ca-
tholicis, introduxit. Vbi breui temporis spatio adeo profecit, vt non modò
clarum inter socios nomen adeptus fuerit, sed & Propheta, & Rex Urbis Or-
bisque haberetur, mittens hinc inde per diæcesim Apostolos ad quatuor sci-
licet mundi plagas, qui *Anabaptistica* hac fuligine alios tingerent atque
inficerent. Quorum nonnulli à magistratu ceu seditiosi interempti sunt:
vtpote qui docebant illos qui in pueritia à Catholicis Sacerdotibus bap-
tizati erant, rebaptizari oportere, coniugia insuper Christianorum re-
uocanda esse, cum ante iteratum baptismum coniugia vera non fuerint, po-
lyganiam licitam esse, adeo vt Rex ipse *Iohannes Boeckelsonius* vno eodemque
tempore quindecim sibi ad minus puellas regio planè vestitu amictas, & nec
dum annum vigesimum ingressas, turpissimè sociauerit. Docebant præ-
terea magistratum politicum apud Christianos illicitum esse, atque id genus
alia per quam absurda, turpia, nefanda. Quorum tamen ferociter imperitan-
di prædicandique facultatem biennium Deus excedere permisit. Nam an-
no superioris seculi trigesimo quinto *Monasteriensem* urbem eius Antistes
Franciscus à Valdech, Principum vicinorum copijs adiutus, vi cœpit, sedi-
tionis authores apprehendit, ipsumque *Boeckelsonium* Pseudo regem die 22.
Ianuarij anni consequentis, crudelissimo quidem, sed meritissimo supplicij
genere è medio, duobus cum complicibus, iustulit. Quorum cadauera fer-
reis caueis iniecta, etiamnum istic *Lambertina* è turri suspensa conspici-
untur. Cæterùm, si quis plura de scelerato hoc *Monasteriensem* Pseudo-
rege eiusque nefario dogmate scire cupit, h *historiam Anabaptisticam* laboriose
aceruditè à D. *Arnoldo Mesonio* B. Petri in vbijs Pastore, conscriptam, adire
poterit.

In West-
phalia ad
Monasteri-
ensem. e clam.
recipit.

Hæreses il-
lus.

Anabapti-
sta cum ipsa
Monasteri-
ensi urb.
inuaduntur
an. 1535. 24.
Iunij.

IOHANNES Oecolampadius, vide Oecolampadiani.

IOHANNES Philoponus circa ann. 535.

Iohannes cognomento *Philoponus*, grammaticus *Alexandrinus*, cum se tem-
poribus *Theodosij* Imperatoris *Seueri* hæreici dogmatibus opponere Ca-
tholicus moliretur, adeo id infœliciter præstitit, vt in *Tritheitarum* dogma
ipse met prolapsus sit. Quemadmodum de illo tradit *Leontius*, ipsius errores
refutans. *Photius* verò in Bibliotheca asserit illum scripsisse librum contra *Sy-
nodum Chalcedonens.* nec non alium commentarium aduersus Resurrectio-
nem mortuorum. Quod vltimum ita declarat *Nicephorus*, de eiusdem er-
roribus & scriptis agens, ipsumque ad viuum depingens, non vt animas di-
ceret sine corporibus cœlesti gloria fruituras, sed eas alijs corporibus, ijs-
que ex nihilo creatis induendas, quod assereret corpora nostra corrumpi
secundùm formam atque materiam. Propagata verò est ista *Philoponi* hære-

Ex Catho-
lico factus
est Trithei-
ta.

f Lib. 18.
cap. 47. &
48.

Eius errores.

Fit Mono-
thelitarum
author.

sis ex *Origene* accepta ad posteros. Addit verò *Nicephorus de Philipono*, quò d-
licet consentiret Catholicis, duas esse in CHRISTO vnitas naturas, alteram
diuinam, humanam alteram, erraret tamen cum adderet, facta vnione non
amplius duas, sed vnam solummodò compositam esse naturam. Vnde *Mo-*
nosophytarum hæresis pullulauit & *Monothelite* progressi sunt. Extant eti-
amnum *Philoponihaius* quæ scripsit in *Aristotelem* commentaria. Illius verò
errores & hæreses *Leontius* eruditione insignis, professione monachus, vti
iam supra tetigimus, refutauit, scribens contra illum librum 30. capitum.

IOHANNES de Poliacò circa ann. 1323.

Eius errores.

De hoc scribit *Prateolus*, quod cum esset Theologus *Parisiensis*, viueretque
tempore *Iohannis XXII.* varios seminauerit errores circa confessionem au-
ricularem: vtpote si quis confessus esset religiosus, qui de ordine mendican-
tium sunt, teneretur denuò ordinarario suo Parocho, si ritè absolui vellet, cõ-
fiteri & quòd *Pontifex Romanus* non posset generalem impartiri potestatem
confessiones audiendi; & eiusmodi tricales aliquot nugæ sanæ Ecclesiæ
doctrinæ contrarias, & Apostolica authoritate damnatas.

IOHANNES *Præmonstratensis* circa ann. 1412.

Aeneas Syluius postmodum nomine *Pij Secundi* in summum Pontificem
adscitus, eo in libro quem de *Bohemorū* origine scripsit, dicit *Iohannem* hunc
ordinis *Præmonstratensis*, vocatque illum *impium monachum*, & ad omne
scelus audacem. Qui cum *Praga* apud *S. Stephanum* in *Piscina* cõcionaretur,
& populo doctrina eius de fide suspecta esset, inde abactus, *Carmelitarum*
monasterium inuasit. Et cum hæretici insultum facerent in ciuitatis consu-
les, & illorum septem ex fenestris altissimis præcipites in forum dedissent,
seditiosus hic monachus in foro consistens, sacrum Christi corpus sangui-
nario populo, ad magis eum incitandum, spectandum exhibuit.

IOHANNES *Roatius*, eodem planè tempore.

g De orig.
Bohemor.
cap. 12.

Idem g *Aeneas Syluius* de hoc *Iohanne* scribens, dicit illum loco quidem
nobili natum, sed ingenio malo, & mente nequissima extitisse: vnde vt ma-
gis plebeios homines ad seditionem concitaret, excitasse haud longè à mon-
tibus *Cuthnis*, vastis in Syluis, castellum vtcunque munitum, quod *montem*
Syon appellauerit, asserentem eo ex loco veritatem aliquando prodituram,
quæ *Bohemos* libertate donaret. Quem idcirco vicinos infestantem, prædas
agitantem, itinera quoq; versum obsidentem atque itinerantes rebus suis
exuentem, obsesso eius castro, *Sigismundus* Imperator cum triginta circiter
flagitiorum socijs *Pragam* abductum, in crucem agi præcepit.

IOHAN-

IOHANNES de Rockesana, circa ann. 1430.

Et hunc quoque inter pestiferos Bohemici regni turbatores Sylvius recenset, utpote successorem & assertorem erroris *VVicleffi & Husi*, oriundum ex oppido diæcesis *Pragensis*, cui *Rockesana* nomen. Qui obscuris istic prognatus parentibus, & Grammaticæ dialecticæque disciplinis, victum plateatim quæritando traditus; postquam sacerdotio initiatus esset, *Pragensium* concionator, & Pseudo eorum Apostolus factus est; docens laicos sub utraque specie communicare oportere, imagines ex Ecclesijs, tolli debere, Ecclesiam Dei ex solis Prædestinatis; & in gratia existentibus consistere, monachos inter dæmones novos appellans. Qui in concilio *Basileensi* erroris admonitus, obstinatus tamen permanfit, & propter saluum, quem habuit conductum, immunis discessit.

IOHANNES Spangenbergius sub Carolo V.

Circa annum Domini superioris seculi quadragesimum cœpit sua quoque dogmata spargere *Spangenbergius* Lutherana factionis homo, & *Augustiniana* familiæ olim monachus; cuius extat liber specioso quidem titulo *Margarite Theologica*: sed vitrum pro margaritis lectori obtrudit. Docet enim illic nihil esse bonum & Deo gratum, nisi quod ab illo mandatum & præceptum est; h reprobans etiam Evangelicæ paupertatis consilium. Item nullum humanum opus quantumlibet bonum, esse vitæ æternæ meritum, aut ad vitam æternam assequendam necessarium adstruit. Tum quoque nullum peccatorem iustificari posse, nisi se iustificatum esse crediderit: nimirum quod illa fides illi desit, quæ (uti existimat) pars pœnitentiæ est. Anno verò sexagesimo sexto *Antuerpianam* cum *Illyrico* veniens, edidit ibidem tum latinè tum germanicè pestiferum planè librum, quem appellarunt *Confessionem Ministrorum Iesu Christi in Ecclesia Antuerpiensi*, consentientem *Augustanæ* confessioni.

IOHANNES VVESALIVS sub Carolo V.

circa ann. 1533.

Huius hæretici errores ad minus septendecim *Prateolus* ex *Bernardo Lutzenburgio* enumerat, Vocans eum cognomine *VVestphalum*: ac si inde fuisset oriundus; cum *Lutzenburgius* dicat eum ex superiore non *VVestphalia*, sed *VVesalia*, quod est diæcesis *Treuirensis* oppidum, originem traxisse. Qui cum esset Doctor Theologus, & *Lutherana* factioni pertinaciter adhæresceret, varios conscripsit libros, variis hæresibus hinc inde conspersos, ideoque ab *Inquisitoribus* reprobatos, ac *Moguntina* in vrbe flammis adiudicatos. Dicebat

N 3

cebat

cebat enim non haberi expressè in bibliis, Spiritum Sanctum à Filio procedere; posse proinde etiam *Christi Ecclesiam* errare, & nonnunquam errasse, *Pontificem* quoque *Romanum*, quantumvis legitimè institutum, non posse haberi aut censi pro Vicario Christi: similiter Presbyteros & Episcopos omnes æquales esse. Confessus est etiam, nullum esse peccatum originale, atque id genus alia.

JOANNES *VVicleffius*, vide *VVicleffista*.

JOHANNES de *Zischka*. circa ann. 1411.

1 Lib. 4. de
Origine
Bohem.

Eius scelera
in res sacras

m Lib 2.
Decad. 3.
fol. 387. edi-
tion. VV.
cheliæ.

Johannes Zischkanus Hussitarum in Bohemia hæreticorum capitaneus, nobilis quidem fuit stemmate, sed ferocibus admodum moribus, ingenio verò pessimo. Cumque *Hussitarum* veneno infectus esset, eoque ductore *Bohemi* semper ex prælio victores redirent; Angelum de cælo missum in hoc homine loqui tandem arbitrati sunt, prorsus ut *Thaborita* hæretici eum iam vita functum annuo cultu colere, in eiusque honorem imagines erigere soliti sint. Qui tamen quàm sceleratus homo fuerit, quàmque in Sanctos impius, libet hic unius aut alterius testimonio Lectori ob oculos ponere. Quorum primus est *Aeneas Sylvius*, qui de eo historiam texens, conqueritur, quòd CHRISTI Ecclesias inuasit, aras euerterit, sacraria spoliauerit, monasteria destruxerit, monachos fugauerit, aliàque consimilia facinora perpetraverit. Cæterùm quàm atrociter in *Carthusiam* nostram *Pragensem* circa annum Domini 1406. delæuierit, eamque flammis exusserit, cuiusue præterea ingenii indolite fuerit, verbis hæc *Bonsinius* enarrat; Post *Venceslai* mortem, inquit, quidam *Johannes Zischka* emerfit, haud ignobili genere, *Trosnoia* ortus, vir tenui cultu, in aula à pueritia educatus, bello impiger ac strenuus, altero captus oculo, quem per certamen amiserat. Item cui ferox ingenium, & indomita rapinarum libido inerat; Is *Hussitarum* contagione infectus, coacta sacrilegorum manu, in templa fecit impetum, Diuorum simulachra comminuit, Christi *Optimi Maximi* imagines fregit, *Carthusiensium* cœnobium, vetustum quidè & mirabili opere constructum, diripuit succenditq;. Quem præfatus *Sylvius*, propter inauditam crudelitatem vocat monstrum detestabile, horridum, importunum. Quod postquam manus humana conficere non potuit, digitus Dei extinxit. Ferunt illum morti vicinum, iussisse cadaueri suo pellem detrahi, & ex ea tympanum fieri; nihil dubitare se inquit, quàm primùm tympani eius sonitum hostes audirent, confestim fugam arrepturos. Cuius memoriam *Thaborita* post obitum, non celebrem duntaxat, ut dictum, habuerunt, verùm etiam effigiem eius in porta oppidi *Thabarensis* publicè spectandam locarunt, adstante Angelo, manibus calicem præferente.

IOVINIANISTÆ anno 380.

Iovinianista nomen suum trahunt à *Ioviniano*, Romanæ vrbs monacho, qui monachatu reiecto, varios in Ecclesiâ errores inuexit, æquans virginitatem nuptijs, & per hoc moniales nonnullas seducens; ita vt relicto susceptæ castitatis proposito, ad illas conuolarent. Renatos insuper per baptismum, à diabolo subuerti non posse docuit: item nullum esse abstinentiæ ciborum meritum: omnium qui baptismum seruauerint, esse vnâ in regno cælorum remunerationem. Quibus addit *Ambrosius*, eò illum blasphemiam adactum, vt instar prodromi sui impijssimi *Heluidij* diceret, Deiparam **MARIAM** defuisse virginem esse cum Christum peperit: itemque negasse cum *Manichæis*, Filium Dei veram carnem suscepisse. Eadem quoque de hæresi *Iovinian* habet *Augustinus*; quam & citò ait extinctam esse, & Sacerdotem nullum decipere valuisse. Qui postea anno Domini 390. *Roma* damnatus est à *Siricio Papa*, eiusque auctoritate à *S. Ambrosio*, & *Concilio Mediolanensi*. Cuius scripta refutata sunt à *B. Hieronymo* & *Augustino*. Ipse verò in insulam *Boam*, in Dalmatiæ littore positam, ab *Honorio Imperatore* relegatus, cum voluptatum libidinumque prædicator extitisset, impiam inter luxuriosas epulas tandem animam eructauit, vt *p. Gennadius ex Paulo Presbytero* commemorat, quem idcirco *Hieronymus*, *Epicureum Christianorum* nominans, inter phasides aues & carnes suillas, non tam emisisse spiritum, quàm eructasse scribit.

Fuit monachus & defertor instituti sui.

Ioviniani hæreses.

n. Epist. 82. ad Vercell.

o Lib. de hæres. cap. 82.

Damnatur Roma, & à Concil. Mediolan.

Relegatur in exilium & inter epulas moritur anno 41.

ISINI sub ditioe Sulhani etiamnum degentes.

Hi sunt *Indiam* incolentes hæretici, & qui maiori ex parte in *AEgypto* sub ditioe *Sulhani* al. *Soldani* degunt, sicuti & de *Coptis* superius dictum. Qui cum suos infantes baptizant, eorum Presbyteri instrumento quodam ferreo candente, signum crucis infantulorum frontibus, velut characterem vendam imprimunt.

p. De viris illust. 5. 75.

q. In princip. libri aduers. Vigilant.

IVDAS Ischariotes, discipulus olim Christi.

Nec huic quidem pessimo *Saluatoris* nostri proditori, ac filio perditionis, vt ab eodem nuncupatur, defuere cultores hæretici, qui eum quasi suo pro *Hæresiarcha* colerent ac venerarentur: prorsus vt eius nomine conscriptum confictumque fuerit & *Euangelium* à *Catanis*; eum propter utilitates quas humano generi contulisset, magnoperè commendantibus. Quippe qui videns quod *Christus* subuerrere vellet veritatem, vel, (vt alii dicebant) quòd potestates mundi nollent *Christum* pati, ne humano generi per ipsum salus pararetur, ipse *Iudas* salutem consulens hominum, *Christum* tradidit. Similiter & *Cerinthiani* eundem quoque colebant. Vocat autem *Iudam* v. *B. Hieronymus*, hæreticorum omnium *Euangelicæ* legis, & à fide *Christiana* deficientium primum: à quo idcirco *x. Philastrius* *Indaistarum* hæresim

1. Iohan. 17. vers. 12.

t. Epiphani. her. 8.

Cur Caius Iudam proditorem coluerint.

v. in Mathæum.

x. In catal.

*Cur Iscario-
tes cognomi-
natus.*
y Hierem.
48. vers. 23.
Amos 2.
vers. 2.
*2 De Lu-
theran. con-
cordia.*

hæresim exortam asserit; eorum videlicet quos iam diximus asseuerare *Ju-
dam* bonum opus fecisse, cum Salvatore in inimicis tradidit. Fuit verò cog-
nominatus *Iscariothes*, ab *Is*, quod interpretatur vir, & *Carioth* quod est oppi-
dum in tribu *Iuda*, de quo *y* sacris in literis fit mentio. Porro & *Staphylus* e-
tiam nostro tempore non defuisse *Iscariothistas* hæreticos affirmat, dum in-
quit: *Iscariotiste sunt qui negant à Iuda Iscariothe verum corpus Domini acceptum
in cena Domini.* Quando SS. Patres contrarium interim adstruunt, utpote a
Cyrillus, b Augustin. c Chrysostomus; & alij complures.

IV DÆORVM sectæ seu hæreses.

a In psalm.

10.

*b Cate-
chis.*

*c Homil. de
prodit Iuda.*

*d In sermon.
aduers.*

*quinque hæ-
res.*

*Iudaorum
nostri tem-
poris hære-
ses.*

Etsi Iudæi propriè hæretici dici non queant. Beatus tamen *Augustinus*, eos
inter hæreticos percenset. De quibus etiam scribit *Agesippus*, dicens eos in
varias fuisse sectas dissectos. Erant enim inter illos *Essæi, Galilæi, Hemerobap-
tista, Samaritani, Saducei, & Pharisei*; quorum tres postremi sæpè Christum
suis sunt versutis sermonibus ac disceptationibus nequicquam aggressi,
Cæterùm quas nunc inferunt *Iudæi* Christianis contumelias, irrisiones, ma-
ledicta & opprobria, quamque perfidè de Christiana fide sentiant, cuius
passim constare potest. Nouum etenim testamentum penitus reiiciunt;
Christum purum fuisse hominem, & ob seditiones suas, iustas supplicij pœ-
nas persoluisse, mentiuntur; negant in SS. Trinitate personas esse tres dist-
inctas; matrimonium propter adulterium dissoluunt: leges iudiciales & fo-
renses secundùm legem Mosaicam seruandas, mordicus asserunt; circum-
cisionem reiecto baptismatis sacramento, frequentant, Sacramenta nouæ
legis blasphemant, nomen IESVS & MARIAE impiè execrantur, & id genus
alia, quæ apud *Prateolum* videre licet.

VLIANVS Apostata circa ann. 355.

Fuit quidem hic Imperator baptizatus, & inter Christianos educatus, sed
magicis postmodum artibus ac gentilitatis studio imbutus, magnam Rei-
pub. Christianæ cladem à fide deuius intulit, ac Dijs palam sacrificauit, Deo-
rumque cultum à *Constantino* abrogatum, postliminio restituit, seque forma
Serapidis depingi curauit, dicterijs interim ac cachinnis Christianorum sa-
cris insultans, ac contra CHRISTI Euangelium scriptitans; neque à scelere
superstitioneque, quoadusque impiam efflaret animam, vllatenus desi-
stens.

VLIANVS Capuanus circa ann. 420.

Fuit hic Episcopus *Capuane* vrbis, tempore *Zosiani* Papæ, quem vnà cum
Romano Clero præuaricationis accusare non est veritus; utpote *Pelagiana* secta
post

post ipsum *Pelagium* & *Cœlestium* coryphæus, & insignis fallendi mentien-
dique artifex; licet loco alioquin honesto natus, & *B. Augustino* ob eruditio-
nis laudem, familiariter notus. Verum arrogantia tumidus, ac literarum se-
cularium fastu inflatus, tumque ad maledicendum promptus, postquam in
Pelagianam hæresim incidisset, sanctissimum senem *Augustinum* suum olim
amantissimum, conuitijs exagitare cœpit, ac quatuor libros aduersus eius-
dem Sancti commentarium de nuptijs & concupiscentijs scripsit. *Augusti-
nus* verò contra eum & reliquos *Pelagij* asseclas *Hypagnosticon* volumen, sex
libros complectens, edidit. De quo quidem *Iuliano Gennadius* prodidit, quod
eos, quos doctrina sua seducere non valeret, hypocriti deceperit; dum tem-
pore famis & angustiae, indigentibus suis omnibus præerogatis, multos mi-
serationis specie, nobilium præcipuè & religiosorum, illiciens, hæresi suæ
sociauerit. Sed tamen eo non obstante, cum in hæresi pertinaciter perseue-
rare pergeret, Episcopatu pulsus, tandem à *Leone Pontifice* ad annum circiter
Christi 444. coercitus est.

IVLIVS Casbianus circa ann. 170.

Scribit e *Clemens Alexandrinus* *Iulium* hunc *Casbianum* *Valentini* hæresi-
archæ discipulum fuisse, & *Tatiani* hæretici errores sectatum esse, adque il-
los roborandos librum *de Continentia* seu castitate edidisse; fuisse verò prin-
cipem hæresis *Docitarum*, siue *Opinatorum*, qui CHRISTVM assererent phan-
tasticum solummodò corpus assumpsisse; nec verè (prout addit *f Theodore-
tus*) sed sola visione & apparitione *Incarnationis* mysterium fuisse.

e Lib. 2.

Stromat.

Fuit auctor
hæresis Do-
citarum

Quid de
Christi car-
ne docuerit.

f *Dinin. de
cret. Lib. 5.*

IULIANVS Halicarnassens circa ann. 604.

Halicarnassensem tempore *Phocæ* Imperatoris plurimarum extitisse hære-
sium auctorem, iam olim prodidit *g Nicephorus*. Fuit enim tunc ingens hæ-
reticorum turba exorta; utpote *Trubeitarum*, *Agnoëtarum*, *Theopascbitarum*,
&c. initio, ut *Nicephorus* inquit, à *Iuliano Halicarnassense* sumpto. Qui creatum
quidem Domini corpus esse arbitrabatur, sed idem ab ipsa conceptione in-
corruptibile esse docuit.

g Lib. 18 hi-
sto. cap. 45.

Eius hæresis

IUSTIFICATORII sub Carolo V.

Iustificatorios haud immeritò cum *h Lindano* appellamus omnes illos, qui
Lutherum secuti Magistrum, de Iustificationis modo dissentiant. Ex varijs
enim sui Hæresiarchæ verbis & inconstantibus, varium quoque discipuli
sensum concipiebant. Nam soli *Confessionistæ* viginti opiniones, teste *Osi-
andro*, de vno Iustificationis dogmate adferunt, plurimum inter se discordan-
tes; *Philippi* verò *Melanchtonis*, discipulorumque eius quatuordecim in eo

h In Dubi-
tant. dial. 2
p. 28. 128.

Viginti di-
uersæ opinio-
nes de solo
Iustificati-
onis articulo

O

libello

libello enumerat, quem aduersus *Nycticoracem* quendam scripsit. Nam simul vt locum aliquem in scripturis inuenerunt, in quo *Iustitie* mentio fieret, confestim nouam ex eo *Iustificationem* fabricati sunt. Aliqui enim dicunt, quod iustitia sit opus Dei, quod ipse in Christo operatur: alij, quod nos Deus ad æternam vitam recepit: nonnulli, quod meritum Christi. Quidam de media quadam iustitia loquuntur, quam tamen explicare nequeunt. Alij docent, quod essentialis iustitia Dei creat in nobis aliam nouam creatam iustitiam: atque ita quot capita, tot sententiæ.

IUSTINA Imperatrix anno 380.

anno 375.

ann. 380.

Claudat huius literæ hæreticorum agmen mulier & vitæ conuersatione famosa, & fidei professione non sincera, sed *Arrianæ* factionis studio vsque adeo inflammata, vt tam maritum, quàm filium Imperatorem in æternæ lecum perditionis baratrum protrahere sit conata; vtpote *IUSTINA* Imperatrix, altera quasi *Iezabel*, *Valentiniani* Senioris vxor, mater autem *Valentiniani* Junioris. Quæ non contenta insigni illa contumelia, qua *B. Martinum* Turonensium Archipræsulem affecit, quando maritum suum adire volentem, è palatio ei eum curauit; ipsumque inluper *Mediolanensium* Antistitem *Ambrosium*, varijs exagitare iniurijs ac contumelijs est aggressa, atque in exilium agere conata. Nam post obitum viri, *Arrianorum* studia promouere cupiens, turbas *Mediolani* aduersus eum cæterosque Orthodoxos incipiēs ciere, cum intellexisset *Sirmiensem* Ecclesiam destitutam esse pastore, illuc properauit, *Arrianum* ei Episcopum præfectura. Verùm *Ambrosius* pariter eò se conferens, post varias hinc inde disceptationes, *Anemimum* siue *Auenimum*, virum orthodoxum illic Episcopum constituit. Quod ægrè ferens *Iustina*, importuno admodum suasu filium suum *Valentinianum* induxit, vt sineret *Arrianos* liberos conuentus agere, Ecclesiam occupare, ac res suas quietè pertractare, concitans præterea filium in *Ambrosii* odium. Qui quidè vlciscendæ matris studio adeo concitatus fuit, vt statim militarem manum ad Ecclesiam miserit effractis foribus eam occupaturam. Similiter & cum *Auxentius* quidam *Arrianus* *Mediolanum* ad Imperatorem venisset, illa perfidiam eius promouere satagens, eum quoque vt cum *Ambrosio* publicè disputando congrediretur, impulit. Videbat enim hunc imperterritum Christi pugilem, ac strenuum Orthodoxæ fidei propugnatorem, vigilantissimo studio suam oppugnare sententiam, detestari mores, sæuitiam insectari: unde furere ac fremere erudelis mulier non desijt, nisi quando *Gratiano* Imperatore *Andragathij* Ducis manu occumbente, & *Maximo* Tyranno aliquanto post in Italiam anno Domini 388. irrumpente, ipsa cum filio *Valentino* *Thessalonicam* ad *Theodosium* Magnum fugere est compulsa, vbi & anno isto exspirauit.

KAV.

KAVTIANI circa ann. 27.

Dum *Anabaptista* quaquaversum prauitatis suæ virus disseminatum i-
rent, *Vormatia* exortus est nouus quidam Pseudopropheta *Iacobus Kautius* 1. In actis
Lutheri
ad ann. 27.
pag. 173.
cui, vt scribit *Cochleus*, nomen est Germanicum à bubone, de quo canit *O-*
uidius.

Ignarus bubo dirum mortalibus omen.

Hic cum insigni esset germanici idiomatis facundia præditus, *Anabaptista*
nullum non mouerunt lapidem, eum vt suam in sectam pertraherent. Qui
non inuitus assentiens, *Munceri* partes pro viribus tutatus est, propalam do-
cens, Principes veluti tyrannos & canes è medio tollēdos, Deum vnus or- Impia Kau-
ty dogmata.
dinis homines creauisse, pares videlicet omnes, superiorem autem nemi-
nem. Vnde & seditiosè admodum se opposuit *Ludouico* Palatino Comiti,
affigens articulos septem quos coram plebe disputaturum se pollicebatur.
Inter quos duo erant præcipui, tertius nimirum & quartus impietate præ
cæteris insignes. *Tertius* enim ita habebat. Baptismus paruulorum prorsus à
Deo non est, sed directè contra Deum, & contra Dei doctrinam, quæ nobis Messouius
lib. 3. h. stor.
Anabaptista
num. 8.
per Christum IESVM filium eius prolata est. *Quartus* verò sic. In sacramento
seu cœna Domini neque est substantiale corpus aut sanguis Christi, neque
vltus illius hic vnquam ritè est celebratus. Quos articulos vbi vidisset *Coch-*
leus, eos germanico mox edito libello, eoque ad *Vormatensem* magistratum
transmisso, accuratè refutauit. *Kautius* verò vrbe pulsus, cum alleclis per op-
pida & pagos cursitabat, scriptisque ad subditos *Palatini* comitis literis, ad
seditionem agricolas concitabat. Quem secuti sunt tum viri tum fæminæ
nonnullæ; qui *Palatini* Electoris iussu capti, & in arcem *Alceam* coniecti,
partim errores reuocarunt, partim condignas scelerum suorum pœnas susti-
nuerunt.

L.

LAMPETIANI circa ann. 1352.

Hi iactitabant se *Apostolicos* esse, & de Apostolorum ordine, vt inquit kk in catal.
Lutzenburgius, & communem cum *Vvicleffo* sententiã habere. Quando au- hæretic.
tem vixerint, & à quo nomen traxerint, ambigere se fatetur *Prateolus*; nisi
quod ad tempora *Caroli* IV. Imperatoris eos referat, & ea dogmata eis ad-
scribat, quæ *Damasceus* (vixit autem hic longè ante, vt pote anno Domini
730) *Lampetianis* hæreticis adscribit, vnde apparet diuersos eos esse oportere.

LAMPETIANI ante tempora *Iohan. Damasc.*

1. Lib. de hæ-
resib.

Lampetianos inquit *Damasceus* à *Lampetio* quodam nomen traxisse,
O 2 docente

docentes ac sinentes eos, qui vitam in communitatibus & cœnobijs degere instituunt, quod quisque velit & probet viuendi genus, consecrari. Quod etiam de vestitu omnino intelligi debant. Nihil enim aiebant Christianum aliquem inuitum facere oportere, quando scriptum est, *voluntariè sacrificabo vbi.* Psal. 53.

LELIVS SOCINVS vide SOCINIANI.

LEONISTÆ seculo septimo.

Diuersos hoc titulo *Leones* Imperatores hæreticos complectimur, quorum primus fuit *Leo* cognomento *Isaurus*, eius nominis Tertius: cui & *Iconomachi* nomen adhæsit, quod edictum aduersus sacras imagines in gratiam impostorum *Judaorum* circa ann. 726. promulgauerit, primusque omnium Imperatorum Hæresiarcha extiterit: utpote *Hagiomachus*, intercessionem Sanctorum, & reliquiarum cultum aspernatus, & in Deiparam Virginem blasphemus, imo & in Christianos persecutor inhumanus. Vnde & à *Georgio* eius nominis Papa Secundo, in Synodo Romana anno Domini 730. excommunicari meruit.

Leo autem *Quartus*, filius *Constantini Copronymi*, Leonis verò *Tertij* aus, cum & ipse sacrarum Imaginum cultores partim ignominia afficeret, partim supplicijs grauissimis addiceret; initio persecutionis orto ex eo, quod in puluinari vxoris suæ *Irenes* pijsimæ matronæ binas Imágenes reperisset, qua etiam occasione eam repulit, nec vnquam postea rem cum illa habuit, diuinitus ob sacrilegium percussus, interijt. Nam cum coronam Ecclesiæ à *Mauritio* donatam in capite gestasset, insigni carbunculo ornatam, carbunculi morbo vexatus est & extinctus vt habet *Glycas* & *Zonaras*.

Ann. 730.

LEO quoque V. cognomento *Armenus*, magnus fuit exagitator eorum, qui Imágenes in pretio habebant; sacrarum reliquiarum contemptor; qui ipsa nocte natalis Domini, dum officio Ecclesiastico interesset, in ecclesia Palatij gladijs coniuratorum ad altare interemptus est, approbante id voce cœlesti.

Ann. 820.

LILBERT sub Carolo V.

Hi sunt ex *Anabaptistarum* colluie, libertatem esse asserentes, cum quis ab obedientia Principum, à decimis, censibus ac redditibus se exemit. Docentes insuper, coniugia esse inter fratres spiritualia. Vnde & vxores habent communes, quas non patiuntur suis maritis infidelibus (vt vocant) hoc est, ijs, qui suæ sectæ non sunt, debitum coniugale reddere. Negant præterea se post *Catabaptismum* peccare; utpote cum caro solummodò peccet.

LIBRE

LIBERTINI eodem sub Imperatore.

Sicuti olim *Adamita* hæretici liberos se esse aiebant, nec vlla lege obligari, ita & *Valentiniani* pariter asseriebant se nullis bonis operibus obstrictos teneri. In quo probè imitantur eos nostræ tempestatis, *Novatores* illi, qui Euangelicæ libertatis prætextu, nihil sibi non licitum arbitrantur. Quos *Petrus Viretus* libro secundo, quem de Ministerio verbi edidit, *Catabaptistarum* sobolem nuncupat. Fanaticum, ait, hominum genus, in quo iure credas reuixisse *Gnosticos* & *Valentinianos*. Hi Christum negant verè pas-
sum, dicuntque omnibus omnia licere quæ libent. Lenonem suo volunt
fungi munere, fures audacter furari iubent, promiscuos concubitus concedunt & prædicant, communionem^o Sanctorum, interpretantur communionem bonorum temporalium; ideoque quantum quisque potest, suadent
ut rapiat. Quemadmodum de *Libertinis* in *Caluinus* ipsemet testatur.

Aliud porro *Libertinorum* genus recenset *Bullingerus*, Deo peccatum
asscribentium, ac dicentium ipsum esse operatum peccatum in *Cain*, *Saul*
Judam, alios. Est & aliud illorum genus, eorum videlicet qui Dei misericordiam omnibus omninò hominibus, adeoque dæmonibus post vniuersale iudicium pollicentur. Postremum autem genus est, quod *vetus testamentum* planè reijcit, neque eius testimonia ad Christianæ fidei confirmationem recipit, sed nouo duntaxat *Testamento* insistendum adserit; quod tamen cuiuslibet suo pro arbitrata sic vel sic, liberè explicare liceat.

LOISTÆ sub Carolo V.

Hos à quodam *Elegio* patria *Antuerpiensi* ita dictos esse author est *o Lindanus*: qui mirus simulandi ac dissimulandi artifex, templa frequens obibat, Sacerdotique sacrificanti deseruiebat. Et quod magis mirè, tesseram calicis sacri vestibus innotatam, in erroris pristini pœnitentiam circumferebat. Sed habitum non animum mutans, Deum hominesque ridebat; impium illum *Lucianum* atque *Doletum* Gallum multis parasanguis superans.

POLLARDI circa ann. 1360.

Putantur *Pollardi* ex Anglia & *Vviclephistarum* lecta originem traxisse, quamquam sui Authoris errori per omnia non adhæserint. Asserebant autem, aquam lastralem non maiorem habere efficaciam, quàm aliam vulgarem, quòd Sacerdotalis benedictio non queat rem quampiam meliorem facere, quàm Deus per naturam eam condiderit. Idem planè sentiebant, de benedictione vini, olei, salis aliorumque, adscribentes eam rei illicitæ, ne dum necromanticæ.

LVCIANVS Constantinop. Episc. circa ann. 398.

Præfuit hic *Bizantine Ecclesia* post *Eudoxium*, cuius erat ex sorore nepos fuitque *Eunomiana* sectæ defensor ac patronus: quem tamen à reliquis *Eunomianis* defecisse, & suam sibi hæresim instituisse, testis est *p Nicephorus*.

p Lib. 13.
Histor. ca. 1.

LVCIFERIANI anno 362.

Sectam hanc excitavit *Lucifer* quidam, *Calaritanus* in *Sardinia* Episcopus; qui similitatem cum *Eusebio Verallensi* Episcopo fouens, indignè ferebat (erat enim austerioris vir spiritus) Synodali decreto Episcopos semel lapsos suis sedibus postliminio restitui; nouam quandam doctrinam, quam sectati sunt eius successores, excogitare cœpit, sola ambitione motus, dicens animam hominis de carnis substantia propagatam esse. Contra quos *Luciferianos* scripsit *B. Hieronymus* dum Romæ circa annum 282. sub *Damaso* ageret. Qui defecerunt penitus sub *Theodosio Magno*. Cæterum *q Barodinus* putat illos schismatis potius quàm hæresis labe pollutos fuisse, eò quòd neque *Epiphanius* temporum illorum scriptor, neque *Philastrus* ut, qui hæreticorum catalogum contexuerunt, *Luciferianos* inter eos numerauerint.

Luciferiani
errarunt in
doctrina de
anima.
q Ad ann.
362.

Putantur
schismatici
potius quàm
hæretici
fuisse.

LVCAS Steernberger, sub Ferdinando Imperat. ann. 1561.

Improbum hunc fuisse hæreticum, & in *CHRISTVM* Dominum, *Deiparam* que *Virginem* blasphemum, patet ex iis, quæ *r Fredericus Staphylus* literarum monumentis de eo consignauit. Nam *Olmuci* in *Moravia* venenata sua dogmata quaquaversum spargens, & *Lutheri* ac *Melanchtonis* discipulum se confitens, *Steernbergensium* carceres euadere non potuit. Docuerat enim publicè *Christum* non fuisse verum Deum, sed hominem duntaxat instar aliorum mortalium. Risit proinde etiam *Spiritum Sanctum*, dicens eum nihil esse aliud quàm columbam, de cuius diuinitate neque in *Veteri* neque in nouo *Instrumento* quidquam traditum reperiatur. Quin & de sacratissima *Christi* matre sacrilegè sentiens, docuit non fuisse eam semper virginem, sed priùs habuisse duos aut tres filios, nihilque eam distare à reliquis mulieribus. Eos porrò omnes, qui *Santissimæ Trinitatis* nomen profitentur & colunt, tres Deos colere nequissimè comminiscébatur. *Baptismi* verò lauacrum reiiciens, appellabat illud *Sathanicam* institutionem. De sacrosancto autem *Eucharistiæ* sacramento tot euomit, cacinnos & cauillos, vt vix animum potuerit satiari suum. Has autem memoratas iam in *Moravia* extare hæreses, & permultos iis miserandum in modum seduci, rem ipsam loqui *Staphylus* adseuerat.

r Lib. de
Lutheranor.
inter
se concordia.

LVCIA-

LVCIANISTÆ circa ann. 156.

Lucianus à quo *Lucianista*, *Marcionis* olim discipulus, *Valentini*, *Cerdonis*, & *Basilidis* hæresim suo cum doctore secutus est, sub *Antonio Pio* Imperatore. Qui authore *B. Hilario*, vetus testamentum rejiciebat: duos insuper deos introducebat; vnum iustum, & alterum iniustum. Christum verum esse hominem pernegabat, eumque non nisi per umbram apparuisse ac passum esse contendebat.

Lib. 6. de
Trinit.

LVCIANVS Alexandrinus, circa ann. 378.

Fuit hic *Alexandrinæ* urbis intrusus potius, quàm legitimè electus Episcopus: utpote *Arrianae* sectæ propugnator acerrimus. Cuius impium dogma tale erat ut diceret Filium non nosse suam substantiam sicuti est. Porro quàm acerbus extiterit Catholicorum, & maximè Monachorum persecutor, constat ex historia Tripartita.

Lib. 7. ca.
40.

LVCILLA circa annum. 358.

Fuit hæc *Africana* genere, & *Donati* hæretici adiutrix; utpote cuius opibus, teste *B. Hieronymo*, ille per *Africam* adiutus est, ut infœlices quoque fœtentibus & putidis aquis pollueret.

Epist. ad
Cresiph. ad-
uers. Pelag.

LVDOVVICVS Alemanni, anno. 1566.

Fuit hic ut natione *Italus*, ita factione *Zuinglianus*; qui anno superioris seculi sexagesimo sexto apud *Lugdunum* Galliarum, famam sibi ex impugnatione dogmatum *Calvini* quæritans, prestigias eius detexit, quò purum *Zuinglianismum* introduceret. Cuius ut eo in loco restaurator esset, hæc contra *Calvinum* & *Bezam* propositiones, uti *x. Claudius Sanctesius* fide dignus Author asserit, adsignavit. 1. In Sacramento Cœnæ nulla nobis ad edendum aut bibendum substantia corporis & sanguinis Christi ministratur. 2. Neque etiam per fidem, seu incomprehensibili modo, ut vocant. 3. Quia hoc totum imaginarium, & repugnat apertissimo Dei verbo. 4. Hanc autem manducationem corporis & sanguinis Christi, spiritualement duntaxat esse contendimus. 5. Ad quam pijs veram fidem ac pœnitentiam adferre debent, gratiarumque actionem beneficiorum, quæ à Deo per Christum accepimus. 6. Christus licet à suis fidelibus non sit absens, illius tamen substantiale corpus constanter affirmamus non esse præsens in hac cœna. Quem quidem *Ludouicum* etsi *Calvinistarum* synagoga conaretur ad meliorem mentem reducere; ille tamen animi ac sententiæ suæ

x In Exa-
min. doctri-
nae Calvi-
niana &
Bezana.
Propositio-
nes huius
hæretici
Ludouici.

suæ fiducia frerus, ait sibi tantum esse iuris *Zvvingliano* se decreto adiungere, quantum *Caluinistis* ab Ecclesia *Catholica* (*Romanam* haud dubio intelligit) cui semel in baptismo nomen dederant, desciscere.

LULLIANI anno 1290.

a In catal.
hæret.

Raymundus
à Catholicis
nonnullis
Sancti in-
star colitur.

Et si a *Bernardus Lutzenburgius Raymundum Lullum*, vnde *Lulliani* dicti sunt, in hæreticorum album referat, dicens multa eum edidisse opuscula hæresim sapientia, non desunt tamen *Catholici* scriptores, bonique nominis *Theologi*, qui melius de illo sentientes, aliter sentiant ac iudicent. Quos inter est doctissimus nostri ævi Cardinalis *Bellarminus*; qui in opusculo de *Scriptoribus Ecclesiasticis*, ita de illo scribit. *Raymundus Lullus* ex insula *Maiorica*, vixit tempore *Philippi Pulchri* Galliarum Regis circa annum Domini 1290. Scripsit lingua sua vulgari multa opera; quorum aliqua versa sunt in linguam latinam, vt *ars magna* & *parua*. Hunc *Raymundum Emericus* in directorio Inquisitorum scribit accusatum fuisse ad *Gregorium XI* Papam, vel potius acculata fuisse scripta eius, quòd continerent plus quàm trecentos errores. Et *Bernardus Lutzenburgius* hunc ponit in Catalogo hæreticorum. Contra autem non desunt, qui eundem *Raymundum* colant, vt sanctum Martyrem, & vocent *Doctorem illuminatum*, & scripta eius orthodoxa esse confirmant. De qua re editus est liber anno 1604. cum hac inscriptione: *Sententia definitiua in fauorem Lulliana doctrina, iuris ordine & Apostolica auctoritate lata, & in veritatis triumphum, inque gloriose vindicationis memoriam denuò impressa, & principalibus rescriptis munita*. Subiungit porro *Bellarminus* ac dicit, nondum vidèri esse definitum ab *Apostolica Sede*, quid in hac controuersia tenendum sit, cum tam directorium *Eimerici*, quàm liber illi oppositus, publicè & sine prohibitione legatur. Cæterum *Carolus Bouillus*, *Samorobrinus*, magnæ eruditionis ac boni iudicij vir, in epistola quadam ad *Raymundum Boucherium* anno 1511. *Vmbiano* scriptâ, paucis edidit vitam *Lulli*, in qua & singula quoque illius scripta enumerat, dicens eum graui pressum lenio ex *Maiorica* in *Africam*, Euangelij inter *Turcas* prædicandi causa traiecisse, sed abs *Tunetianis* ex vrbe eiectum, lapidibusque obrutum. Edidit & *Faber Stapulensis* nonnulla in laudem ac defensionem huius eiusdem *Lulli*.

LUTHERANI cœperunt anno 1517.

De hac hæresi, eiusque fabricatore ac Patriaccha *Martino Luthero* tam multa passim apud *Catholicos* Scriptores, aliosque historicos partim nostræ, partim aduersæ religionis reperiuntur, vt iustæ magnitudinis, volumen facile implere possent. Quando nos interim breuiter singula quæque per-

strin-

stringentes, *Lutheri* vitam primò commemorabimus, vti ferè apud *b Surium* reperitur. Igitur natus est *Islebij* in comitatu Mansfeldensi an. salutis 1483. b In com. ment. ad an. 1517. Luth. rus Islebij natus an. 1483. pridie D. *Martini*, cuius nomen accepit in baptismo. Parentes verò habuit plebeios omnino homines, *Iohannem* scilicet *Ludderum*, & matrem *Margaretham Lindemannam*. De cuius ortu scribens *c Cochleus*: sunt, inquit, qui asserunt *Lutherum* à spiritu immundo sub *Incubi* specie progenitum esse. Cuius rei adferunt testem religiosam quandam a *sum*, quæ matrem *Lutheri*, cum *c Præfat. in acta historiæ amque Lutheri.* *Islebij* in publico balneæ famulantem nouerit, ac de adolescente, quem *Incubum* fuisse putat, audiuerit, à quo illa imprægnata fuerit, antequam cognita esset à viro suo *Iohanne Luddero*. Ad quod etiam alludere alicubi videtur *Erasmus*: cui cum *Lutherus* aliquando obscæna quædam verba à se conficta obiecisset, ille infamiæ notam diluens *mirum est*, inquit, *planè impio suo & blasphemio sermoni non addidisse de Incubonibus, qui dicuntur inire feminas.* d Purgatione ad epist. Lutheri non sobriam. *Lutherus* porro pueruulus scholas adiit patrio in solo, inde ætatis anno 1497. *Magdeburgum*, post anno absoluto *Iennacum* Thuringiæ oppidum profectus, exactis illic annis quatuor, *Erfordiam* se contulit: vbi anno ætatis vigesimo artium magister creatus est, & religioni nomen dedit, factus Augustinianæ familiæ ex professo monachus. Cum autem Saxoniz Princeps *Fredericus Vvittenbergæ* nouam constituisset Academiam, ad eam quoque *Lutherus* anno 1508. missus, prælegit ibidem publicè Logicen & Physicen *Aristotolis*. Triennio verò post *Romam* ire compulsus, litis cuiusdam componendæ gratiâ, rediit *Wittenbergam*, & Doctor Theologiæ factus, cum esset disputator vehemens, primùm quidem *Vvittenbergæ*, mox etiam *Heidelbergæ* ingenij & eruditionis famam disputando captare cœpit. Fit artium magister in Academia Erfordia. na an. 1503. Fit ibidem. Augustinianus monachus. an. 1504. ætatis vigesimo secundo iniatus Sacerdotio an. 1507. Cæterum cum *Leo Papa X.* indulgentias quasdam per orbem anno Christi 1517. publicari præcepisset, eique negotio Archiepiscopum *Moguntinum* in Germania præfecisset is certis de causis functionem illam ad Dominicanos potius quàm ad Augustinianos transtulit. Quod malè admodum habuit eius ordinis per Germaniam Vicarium Generalè *Iohannem Staupitiũ*, ipsumq; adeo *Lutherum*; sperantem hanc Prouinciam ad se translaturum iri, pecuniæ nō minus, quàm famæ acquirendæ cupidum. In quo vbi spe sua se frigidatū fremens gemenisque vidit, mox propositiones nonaginta admodum & quinque palam edidit, quibus indulgentias oppugnauit. Atque hinc ortum est immane illud & horrendum *Lutheranæ* hæreseos incendium, quo tota penè postmodum *Europa* conflagrauit. Nam nulla vnquam factio fuit tam seditiola, tam pestifera tam nefaria, quæ ita religionem omnem tolleret, leges omnes obrueret, mores bonos corrumpere, Respublicas euerteret, ciues inquietaret, rusticos conturbaret, seruosque in Dominos concitaret, facta omnia ita prophanaret, ac prophana contaminaret, quàm hæc ipsa à *Luthero* in orbem producta ter detestanda hæresis. Quæ vsque adeo ab Ecclesiæ Veneris fide ac doctrina dissonat, vt non solùm vnanimam omnium antiquo- Cur à religione Monastica, ac fide Catholica an. 1517 defecerit. Lutheri hæresis quàm perniciosas postiferæ.

rum Patrum religionem, ritus ac ceremonias eliminat, verum etiam cuncta ac singula quæque orthodoxæ Ecclesiæ Sacramenta, à quibus salus nostra dependet, aut in peius mutet, aut penitus aboleat extirpetque. Quam quidem cladem modis omnibus deplorandam, quomodo vnus duntaxat homo in mundum inuehere potuisset, nisi adiutus ab illo fuisset, quo cum e gloria- tur se modios aliquot salis deuorasse, atque vt Missam penitus missam faceret, edoctum fuisse? *Lutheri* enim cum dæmone familiaris conuersatio, ex multis varijsque indicijs compertissima est. Constat enim quod cum aliquando in *Missâ* legeretur Euangelium de expulso dæmonio surdo ac muto subito corruens exclamauerit, *non sum non, sum. f. quin & Maximilianus* eius nomini. Primus Romanorum Imperator, cum an. 1518. imperialia comitia *Augusta Vindelicorum* instituisset, ac *Lutherus* istic prandentem eum publicè contempisset, Imperator oculos in eum nullatenus sibi notū identidē conijciens, cuidam è domesticis suis Baronibus dixit, *vide se cacodæmonem formæ corporea humeris istius monachi incubantē, qui suum post obitū* (obiit autem anno insequente, vtpote 1519. quando nec dum ingentes illas turbas *Lutherus* excitauerat, sed initium earundem duntaxat iacere incœperat, *ingentes calamitates & miseras in Imperio concitaturus sit.* Et quidem verum hunc fuisse vatem res ipsa docuit. Nec mirum quando *Lutherus* auditus est *Lipsia* *Iohanni Eckio* dixisse *se nec propter Deum negotium hoc religionis cœpisse, nec propter Deum deserturum esse.* Vnde & in g. epistola quadam ad *Argentineses* disertis verbis profitetur, *se non Christi amore, sed Pontificis odio inflammatum, hæc orbi tragedias mouisse.* Quod etiam alijs suis in scriptis satis manifestè prodit, quando ait nihil se curare etiam si mera maledicta ac diabolos proferat: *hæc enim, inquit, debet mea esse gloria, meusque honor. Sic & habere volo, vt deinceps dicatur de me quod plenus sim maledicentia, criminationibus, & execrationis in Papistas.* Et alibi: *dogmata mea stabunt, & Papa cadet, inuitis omnibus portis inferi, & potestatibus aeris, & terra & mari. Ipsi me prouocauerunt ad bellum: bellum igitur habebunt, pacem oblatam contempserunt: pacem igitur non habebunt. Deus viderit vter primò fessus defecerit, Papa an Lutherus.* Et ne quis existimet in solum Pontificem & Clerum, infernalem hanc bestiam ita desæuijsse, in politicum quoque magistratum ac potentissimos mundi monarchas virulentum fuit calamm stringere ausus, quando quodam in loco præter alia ita stomachatur: *k. dico ego doctor Martinus Lutherus, domini nostri Iesu Christi indignus Euangelista, quod hunc articulum, fides sola absque omni opere iustificat coram Deo, firmum atque inconcußum permittere debet Romanus Imperator, Turcicus Imperator, Persarum Imperator, Papa, omnes Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges Principes, Domini totus mundus, simul cum omnibus dæmonijs, & debent insuper habere ignem infernalem super capita sua, & nullam gratiarum actionem.* Ô quam rectè hæc verba in *Lutheri* cognomen quod ardelionem, & vilem scurram significat (*Ludder* enim vocitatus fuit, vnd ist gewesen

sinnche

e Lib. de
missa angu-
lari.

Videatur
dialogus c.
Alani capi.
cap. 33. pag.
97.

f Bredenb.
lib. Collat.
cap. 41.

g Exstat
impressa
Hagenoæ
anno 1525.

h Contra
Sicarium
Dresdensem
Aduers. Hæ-
ric Reg. An-
glia.

k In glossa
contra præ-
sentum e-
dictum im-
periale.

reht subdubus, licet ille *Lutherum* inde deriuauerit, quasi vitæ integrum scelerisque purum) quadrant, quando ipse *Stygius Pluto* eiusmodi verborum portenta nequaquam euomeret. Verum quia ex abundantia cordis os loquitur, non mirum si ea quæ in pectore flagitia fouit, etiam calamo effujit, Cuius execrandas hæreses, scurriles mores, sermones, inuerecundos, in publico quodam Imperiali edicto describens *Carolus Imperator*, inter cætera ita ait: *In tantam prorupit mentis uesaniam, ut si semel Iohannes Hussita fuerit hereticus, se plus decies hereticum Martinus gloriatur: homo usque adeo nouarum rerum, ac potius perditionis humana cupidus, ut nihil fere scripserit, vel saltem suo nomine diuulgauerit, cui non aliqua pestis, aliquis lethalis aculeus insit. Præter illos libros ne nominandos quidem ob execrandam illius materiam ipsius tamen titulo editos, & ab eo cum reliquis ut suos agnitos, quorum singula uerba singula uerena merito quis dicat Et ne omnia, quæ innumerabilia sunt Lutheri errata, singulatim percenseantur, tanquam si hic vnus non homo, sed diabolus ipse sub hominis specie, ad perniciem humani generis, assumpta monachi cuculla, quam plurimorum hereticorum damnatissimas hæreses, iam diu sepultas, in vnâ sentinam congererit & aliquas etiam nouissime de suo excogitauerit. &c.*

CÆTERVM quia tam multiplices fuisse constat *Lutheri* hæreses & errores, ut difficilè sit eas ordine percensere, enumerabimus præcipuas duntaxat aliquot, remittentes lectorem tum ad *Leonis X.* Pontificis bullam, in qua diris deuuentur vnâ cum authore suo; tum etiam ad nonnullos *Iohannis Cochlei* libros, qui in vno exiguo opusculo quingentos admodum *Lutheri* articulos discutit ac reijcit. *Præter* autem quatuor ac quinquaginta enumerat ex quibus hi principes.

Dicit mulieres ac pueros æquè absoluere ac Papam, quem dicit esse Antichristum, & perditionis filium. Adletit etiam Christianis non licere bellum contra Turcas gerere. Tum quoque in nullo sacramento characterem imprimi, Cibos ab Ecclesia certis temporibus vetitos, licere quouis die sumere, Concilia quantūuis legitimè congregata, in fide iuxta ac moribus errare posse & errasse. Confirmationis Sacramentum, non conferre gratiam, neque Sacramenti loco habendum, Ecclesiam non continere bonos ac malos, sed bonos solummodò. In Eucharistia porro post factam consecrationem, manere eundem panem, qui ante consecrationem ibidem erat. Esse etiam laicos sub vtraque specie communicandos Excommunicationē Pontificiam nullius esse momenti, fidem solam sine vllis operibus ad salutem sufficere. Eam autem amitti per quodlibet peccatum lethale. Docet proinde omnem hominem iustum scire se esse in statu gratiæ, ac certum de iustitia sua. Item hominis arbitrium non esse liberum; nec vllum esse hominis meritum ad gloriam consequendam. Horrendas verò eius in sacrosanctæ Missæ officium blasphemias, ipsemet satis prodit in libro de *Missâ Angulari*: vbi magistrum suum diabolum tecum de ea abroganda ac vilipendenda collo-

¹ Ex diata
Vormati-
tensi anno-
1521. Reperi-
tur in fine de
actis Luth

Cochlei
r. Pestilentis.
sima Luth-
ri scripta.

Lutherus
non homo
sed diabolus
sub specie
hominis, uti
in imperiali
Edicto
declara-
tum.

m Prodie-
runt Colo-
nia apud

Petrum
Quentelium
an. 1525. in
quarto.

Lutheri a-
liquot erro-
res ac hære-
ses.

quentem eleganti sanè dialogismo introducit. De qua colloctione tam suaviter ac veraciter eruditissimus nostri seculi Theologus *Nicolaus Serarius*, Societatis IESV Presbyter differit, vt dubitari nullatenus debeat, quin sicuti res accidit, ita & à *Luthero* perscripta, & à *Serario* repetita sit. Serio etenim agebatur, prorsus vt etiam sudores discipulo ad argumentorum diabolicorum efficaciam eruperint. Et exstant de hac nocturna *Lutheri* ac *Diaboli* dilceptatione non ineruditi versiculi, digni omninò, qui ad posteros transmittantur. Sunt autem isti.

De *Luthero* suam à *damone* doctrinam discente.

Quæ schola Lutheri? lectus. Quis doctor? Alastor.

Quid docet? omne nefas. Quæ ratione? dolo.

Discipulum an docilem reperit? Quid quaris? acumen

Mirari Doctor non satis ipse potest.

Tum quoque ipse *Lutherus* interroganti hunc in modum respondere introducit.

Quando? Quis? Vnde talit fidei tibi sacra, Lutheri?

Nocte, Satan erebo detulit illa mihi.

In tenebris lucem; cælum orco; Demone CHRISTVM.

Quaris? & id proprio non pudet ore loqui.

Lutherus quam impiè de SS. Trinitate sentit.

Trinitatis nomen explosit.

in Tom. 1. lib. 3 de Christo cap. 1.

in lib. de Patrib. & Concil. p. 2.

o Sermone de eius natiuit.

p In Lib. de Missa Angulari.

Sacrilegia Lutheri.

SATI s porrò etiam constat, *Lutherum* viam strauisse tollendo mysterio SS. Trinitatis; nam scribens contra *Iacobum Latomum*, dicit animam suam odisse nomen *homouision*, laudans id ipsum in *Arrio*. Cur autem hoc, nisi propter significationem; quia expressè significat personas diuinas esse eiusdem substantiæ? Ob hanc enim solam causam oderant illud *Arriani*. Similiter displicebat illi nomen *Trinitas*, cum id nusquam in Scriptura reperiat. Vnde hanc formulam precandi, *Sancta Trinitas vnus Deus misere-re nobis*, è precibus Germanicis sustulit. Similiter & in re *Vbiquitaria Nestorii* & *Eutychetis*, hæresim vno blasphemix nexu strictim complexus est, quemadmodum ex *m Bellarmino* liquet. Diuinam porro in CHRISTO naturam passam esse, ipsemet blasphemus hisce verbis prodit, dum ait. *n Diuina natura in Christo passa, crucifixa, mortua est, vnà cum natura humana; alioquin passio & mors natura humane in Christo nihil nobis prodesset.*

De sacratissima etiam virgine *MARIA* non parum sacrilegè sentit, quando inquit *o Sumus pares matri De; & aequè sancti sicut illa: nisi quod non possumus esse Dei matres, sicut illa fuit.* Sed blasphemias eius in Deum & sanctos, contumelias in Reges & Pontifices, quis vnquam sufficienter enumerauerit? p *Pontificem* etenim Romanum regem glirium nuncupat; *Episcopos* vocat fures Dei, sacrilegos Antichristi ministros; *Sacerdotes* angulares, damnatos fatuos; *sacros Ordines* dicit rancidum putidum-que *Chrisma*; nec ausim proferre, quàm sordidè de augustissimo *Eucharistiæ* sacramento loquatur. Decreta Sanctorum Patrum, & sacros *Canones* publico igni *VVittenbergæ* carnificis opera exuri iussit; *Moniales* è

clau-

claustris eduxit, earumq; vnam, *Catharinam* nimirum *Borre* sacrilego sibi matrimonio copulauit. Pueris denique & puellis, viris ac fœminis, monachis ac monialibus, infimis ac summis licere voluit penè quidquid liberet, dum carnis petulantia frena laxans, dicit tam esse naturale ac necessarium fœminæ commisceri, quàm edere, bibere, dormire, excernere &c. prorsus vti etiam viris coniugatis permittat, vt si nolit vxor veniat ancilla, &c. Vnde de effreni eius libidine ac scurrili verborum turpitudine, miram refert historiam Episcopus *Lindanus*, vir fide dignus, quam dicit per Germaniam satis fuisse notam. q̄ Exceptus enim aliquando apud nobilissimam quandam matronam, & liberaliter genialiterque pransus, in gynæceum impudens irrupit, mox verò in oscula. Quibus exsatiatus, astantem matronæ filiolam vix decennem arripit, quam cum manu capiti imposita in turbinem ter quaterue rotasset: *ô quàm beatus foret*, inquit, *qui talibus cum angelis posset infernum adire?* Sed securus esto *Luthere*, qui voto potitus tuo, iam tua cum *Catharina*, alijsque consimilibus angelis perpetuis istic gehennæ cruciatibus torqueris atque in æuum omne torqueberis: nam vt quidam de te scribit,

Vis placitos feda satiare libidinis estus;
Sacrilegisq; frui nexibus, hoc & habes.
Vis esca potuque gulam cum ventre replere,
Tale Dei ac regnum si foret, hoc & habes.

LVTHERI porro mendacia, infinita propemodum sunt; quippe cuius scripta ijs referatissima sunt. Refert enim *Cochleus* in factis eius, à quodam notata ex vno *Lutheri* libello mendacia quinquaginta, constarque *Johannem Dietenbergium* in duabus duntaxat confutationibus eundem conuicisse mendaciorum octingentorum ac septuaginta quatuor. Si igitur tot mendacia in libris *Lutheri* vsque ad illud tempus editis reperta sunt, quid censendum de cæteris, quos vsque ad annum quadragesimum sextum euulgauit? Sed quid mirum hoc in homine, tali vtente ac gloriante magistro, qui mendax fuit ab initio & in veritate non stetit?

Fuit porro *Lutherus* non solum prodigosè mendax, sed & propudiosè perfidus. Primò quidem, quia fidem orthodoxam, cui in baptismo nomen dederat ac multis annis inhælerat, tandem (quæ summa est perfidia) abiecit. Dein verò Monachus cum esset, ac solemni professionis ritu Deo se se publicè consecrasset; vota sua irrita fecit, ac simili voto constrictam monialem in thalamum pellexit. Tum etiam cum in Catholica vniuersitate Doctor promoueretur, interposito iureiurando, promisit solemni Accademiae ritu, se eandem illam fidem pro viribus semper defensurum, atque ad posteros quàm scribendo quàm docendo propugnaturum. Quod tamen minimè præstitit, sed potius modis omnibus eandem oppugnare ac pessundare studuit;

Quo pacto exarsit in concupiscentiam faminarum.

q̄ I. lib. 1. de virginitate: voto, cap. 7. pag. 18.

r Andreas Fruisus episcopi grammate primo.

Eius mendacia.

ad an. 1523

Perfidia. Fuit Lutherus tripliciter perfidus.

Seditio in
religione
non minus
quàm in
Imperio.

Lutherus
pro schisma-
tico ac noto
rio heretico
ab omnibus
habendus
proclama-
tur.

Apud Suri-
um sub ini-
tium anni
1526.

Fructus E-
uangelij à
Luthero pro-
feminati.

duit; religionis pariter ac pacis Imperij tranquillitatem seditiosis suis scri-
ptis & concionibus interrurbans. Vnde Imperator *Carolus quintus* in Edi-
cto *Vormatiensi*, quod imperij Principibus vniuersis consentientibus an-
no 1521. promulgauit, inter cætera de *Luthero* sic ait: *obedientiam (inquit)*
Et regimen omne prorsus tollit. Vnde populi ad defectionem Et rebellionem à suis
tam spiritualibus quam temporalibus Dominis faciendam, ad rapinas, cadem, in-
condia cum magno Et manifesto Christianæ Reipublicæ discrimine prouocentur.
Vnde damnationis sententiam in eum à *Pontifice Romano* prolata intelligi-
gens, ipse quoque suam cæteris cum Principibus, formalibus hisce verbis
pronunciat. *Nos Martinum Lutherum, ut membrum ab Ecclesia Dei aba-*
lienatum, ut obstinatum schismaticum, Et Notorium hereticum, à Nobis haberi
declaramus, Et ut talem à vobis omnibus Et singulis habendum decernimus Et
edicimus.

NEQVE id immeritò, quandò satis constabat tam Imperatori, quàm
cæteris Imperij Principibus, *Lutheri* per Imperium excitationes quaquauer-
sum turbas, non solùm *Turcis* occasionem in Christianos insurgendi, *Vi-*
ennam obsidendi, *Hungariam* magna ex parte occupandi præbuisse (docuit
enim non licere Christianis bellum aduersus *Turcas* gerere; quod hoc sit;
vri aiebat, diuinæ repugnare voluntati, cupienti hac ratione peccata nostra
corrigere (verùm etiam horrendæ rusticorum stragi, in qua plus quàm
centum eorum millia occubuère, fenestram aperuisse. Quemadmodum illa
belli tempestate manif. stè quoque animaduertit catholicus *Saxonia* dux
Georgius, dum exitiales Euangelij istius à *Luthero* proleminati fructus pe-
nitius considerans, ita ad eum scripsit. *Affirmare possumus, Euangelium*
tuum magnoperè nobis cure non esse, quòd Orbis Christiani capita illud reproba-
rint. Id unum dedimus operam, ne à nostris reciperetur. In causa sunt mali fructus
inde profecti. Nam neque tu, neque quiquam alius verè dicere potest, ex tua do-
ctrina quidquam aliud enatum esse, nisi blasphemias in sacrosanctam Euchari-
stiam, in sanct. ssimam Dei genitricem, in Sanctos omnes. Ex tua, sectatorumque tuo-
rum doctrina, omnes iam olim damnatae hereses renascuntur, omnis Dei cultus ho-
nestus aboletur. Quando vnquam toi facta sunt sacrilegia Deo dicatorum homi-
num, quot sub tuo Euangelio? Quando crebriores in Magistratus extitère rebel-
liones, quàm ex tuo Euangelio, &c. ibidem.

NEC *Erasmum* id omninò latuit, etiamsi *Lutherani*, alique *Euangelici*
Nonatores illum pro se modis omnibus citare, eumque suas in partes na-
so quasi ad unco pertrahere studeant. Hic enim libro illo, quem de *libero ar-*
bitrio tertium conscripsit, formalibus hisce verbis sententiam suam de *Lu-*
theri, ac satellitum eius *Euangelio* pronuncians, ita ait: *Certè multi Lu-theri dis-*
cipuli ad publicam tranquillitatem adeo sunt inutiles, vt Turca quoque feratur Lu-
theranorum nomen execrari seditiosis odio, cum christianos toleret ab ipsius dogma-
tibus

vibus alienos. Quid hic commemorem, quanta inter Euangelistas (sic enim ipsi se vocant, vel Erasmus sic ridiculè ita eos nuncupat) *dissensio, quàm atrox odium, quàm amarulenta contentio, imo quanta inconstantia, cum ipse Lutherus toties mutarit sua placita, & subinde noua paradoxa suppullulent.* Qui quidem Erasmus vti alio quoque in loco Lutherum suis coloribus depingens, dicit eum conuiuijs suauiter animum pati ere, nulla maledicentia satyrabilem, conuiuia furiosa in hostes iacere, ipsoque Oreste insanio rem esse; ita etiam in familiari quadam epistola iucundissimè iocatur in sacrilegas Lutheri nuptias, eodem illo tempore contractas quando rustici per Germaniam propemodum vniuersam ferro flammaque in omnes passim delæuiebant, vbi inter cætera scribit: *Montani lepidissimis literis nescio an vacet nunc respondere. Nunciabis illi rem letam. & Lutherus quod felix faustumq; sit, deposito Philosophi pallio, duxit uxorem ex clara familia Borna, puellam elegantis forma, natam annos viginti sex, sed indotatam & quæ pridem desierat esse vestalis. Atque ut scias auspiciatas fuisse nuptias, pauculis diebus post decantatum hymenæum, noua nupta peperit.*

Turca cur
excretur
Lutherico-
las.

t Ad Dani-
el. Mauchi-
um Vlmæ-
num.

Et ne quis existimet Lutherum solum ex hoc Euangelistarum, Presbyteratu, simul ac monachatu initiatorum numero nupturientem, commemorat & alios idem Erasmus sibi notos ac visos, qui eundem lusum luserint, dum v ait; *novi Monachum, qui pro una duxerat tres. Novum sacrificum qui duxit uxorem, quam post comperit alteri nupsisse. Similia multa de monachorum & monacharum coniugijs referuntur, qui ductas repudiarunt eodem iure, quo duxerant. Sacerdotem Basilea virgis casum, mox vrbe eiectum, non nomino. Quid referi quando desierit concionari? Istius erat professionis. Hæc Erasmus, cachin- nans & admirans Lutheri ac Lutheranorum Sacerdotum prophanas sacrilegasque nuptias; vti & nostræ ætatis lepidus Poeta quidam in VVittenbergensis huius Papæ connubium, eiuscemodi iam olim epithalamium cecinit.*

v Ad fra-
tres infe-
riori Ger-
mania.

Monachus
eodem
tempore
trigamus

Connubio, Martine, tuo quid sanctius vsquam,

Tu Monachus Monacham ducis, uterque sacer,

Cum sit uterque sacer, duplici sacra copula iure est:

O thalamus felix, ô venerandus Hymen!

Sed queritur Christus tolli sibi sacra: quid inde?

Ambo sacrilegi, copula sacrilega est,

Sed ne diutius hicce immoremur, veniendum tandem ab epithalamio ad epitaphium, infaustumque vitæ exitum quinti-Euangelici huius *Propheta, quem certè sortitus est nimio perè infœlicem, qui sicuti Epicureo more vixit, ita quoque eodem hinc emigravit, & ad locum illum à nocturno illo disputatore probè sibi noto perductus, vbi cum optatis fæminei sexus Angelis iam dudum perpetim commorari, ipsemet suapte sponte concupierat. Nam cum opimam admodum cœnam de more sumpisset, ac vino se largiter proluisset, facetijs ac fabulis omnes (ijs enim eum affueuisse, constat ex sermonibus conuiualibus super mensa habitis) recreasset, somno*

Infœlicis-
simus Lu-
theri exi-
tus & exi-
tium talis
propheta
dignum.

con-

Obijt Islebij
anno 1546.
Feb. 18.

x In præscrip-
tionib. ad
uers. hæreses.

a In colloq.
mensal.

Germanicè
editis fol.
259.

b Lib. 7. sa-
crar. collat.
cap. 39.

c In colloq.
mensal. ger-
man. fol.
281.

d Ibidem
fol. 275.

Epigram-
mate 107.

conlopitus post horas non multas, ore contorto animam diabolo reddidit: vel potius uti x *Henricus Sedulius*, ex testimonio viri fide digni, qui *Luthero* à cubiculis fuerat, refert; & ego in iusto quodam bibliothecæ nostræ *Coloniensis* scripto consignatum vidi, mane à domesticis iuxta lectum suum pensilis & miserè strangulatus repertus est. In quo etiam voto videtur potitus suo: utpote qui tale quid exoptans, malle se, ait, per diabolum, quàm per *Cæsarem* interire: sic enim, inquit, per magnum Dominum interirem. Cadaver porrò eius stanneo inclusum loculo, cum *Islebeo VVittenbergam* deportaretur, toto illo itinere (uti *Bredenbachius* dicit se à magni cuiusdam Principis, consiliario intellexisse) innumerabilis coruorum multitudo, horrendum in modum crocitantium, ac funus superuolitantium subsequuta est. Atque eum in modum vitæ suæ fabulam peregit *Saxonicus* hic *Papa*, talique fine conclusit, familiarem illam cum dæmone conuersationem. De qua gloriari solitus erat, quod c *Diabolus* frequentius & propius sibi condormiret, quàm *Ca-tharina* sua; addens se habere vnum atque alterum mirabilem diabolum, à quibus diligenter & admodum intentè obseruetur: quos existimet non vulgares sed magnos demones, imò *Doctores Theologiae* inter diabolos esse.

Cui uti nuper ex *Frusio* epithalamium accinuimus, sic placet ex eodem etiam epigramma quoddam næniarum exequiarumque loco eidem accinere, quod sic magna ex parte habet.

*Te, Luthere, salis modium cum Dæmone dicis
Edisse, assiduus quippe sodalis eras.*

*Non mirum quod lingua tibi sit acuta dicaxque,
Plenaque blasphemis sint tua Scripta sale.*

*Dæmonis ingenium, mores, animumque tulisti,
Denique tu Dæmon, non homo verus eras.*

*Non frustra ergò salis modius consumptus utrique est:
Priscus amicitia sed fuit iste gradus*

*Novit enim quod falsa libens tuceta vorabas,
Suasit ut ebiberes pocula plura meri.*

*Nunc tibi propterea tam salvas ingerit offas,
Tantaleam infelix ut patiare sitim.*

*Plena quidem largo tibi pocula porrigit haustu,
Potus at ignis sunt Phlegetontis aqua.*

*Hospite nunc dulci veterique fruaris amico,
Communis modios enumerando salis.*

EHEM quantò fecisset satius, quàmque foelicius rebus contulisset suis *Lutherus*, si exemplo *Berengarii*, cariosi istius hæretici, errores reuocasset, vitamque in melius ante obitum commutasset! Ille enim graui oppressus morbo, ingentem edidit dolorem (licet iam annis aliquot antè *Ecclesie*

recon-

reconciliatus) quòd tam multos in tam fœdum de re Sacramentaria errorem induxisset; vnde etiam graui cum gemitu suspirando dixisse fertur: *Deus meus hodie mihi apparebis ad meam salutem ut spero propter pœnitentiam meam; aut ad duram meam damnationem, sicut timeo propter eos quos peruersa mea doctrina decepi, quos nequiuu reducere ad veram viam tui Sacramenti.* Requirit enim Deus non solum animas omnium, quos Hæresiarchæ suis erroribus in sempiternæ perditionis barathrum secum pertraxerunt de manibus illorum, verum etiam post particularis iudicij sententiam in ipsos semel prolatam, adhuc eò amplius in inferno eos cruciari sinet, quò plures constat eorum dictis ac scriptis etiam nũ quotidiè in errorem prolabi. De omnibus enim Hæresiarchis longè constat esse verissimum, quod *Lutherus de Arrio* ex diui *Augustini* de concilijs libro demonstrat, *quotidie ingrauescere, inquit, illius pœnas apud inferos, quamdiu error ille maneat.* Cui sententiæ subiungit *e Lindanus* & infert. Quod si verè de Arrio vnus dogmatis authore dixit (teste *Luthero*) *Augustinus*, quid eum de isto *Augustiniano* apostata *Luthero* pronunciaturum existimes, non vnus aut alterius duntaxat erroris reo; sed cuius studio vniuersas propè veterum hæreticorum hæreses in Orbem summa cum Christiani populi pernicie reuocatas esse constat?

At verò mirantur nonnulli, tam exiguo temporis spatio, tam ingentem hominum multitudinem ad *Lutheri* scholam confluisse, eiisque dogmata conlectanda suscepisse; adeo vt *Lutherus* ipse miraculi quasi locoid prædicare solitus sit. Cui ingeniosè admodum ac facetè *f Thomam Moerum* in epistola quadam ad *Pomeranum* olim respondisse legimus, dum inquit; *ad propositam vitæ libidinosæ licentiam populum ruerè, id habet tantam miraculi speciem, quam saxa deorsum cadere.* Cui enim oro, homini quamuis perditio & improbo, non adlubescat dogma illud *Lutheri*, solam fidem iustificare, opera nedum nullam adferre vtilitatem, sed etiam perniciosa esse ad salutem? Quis tam sit iners, piger ac seditiosus, qui non lubens audiat Christianum hominem esse omni lege solutum & liberum, non obligari ad ieiunia? Cui improbo ac scelerato nebuloni nõ sit iucunda & plausibilis conicio, confessionem Sacramentalem, quam auricularem contumeliosè nuncupant, esse rem superuacuum, nihil necesse esse peccata confiteri, seque seipsum apud Sacerdotem confutum ire? Cui furi, latroni, prædoni, incendiario, dum carnificis tenetur officina & custodia, non sit in votis, dogma illud Euangelij recipi, quod Euangelista hic prædicat, omnia scilicet tã mala quàm bona, ineuitabili & absoluta necessitate fieri & perpetrari? *g vetabat litteras discere, auarum populari largitione liberabat, ignauum prohibebat ad Rempublicam accedere, & vbi quemque studiosius occupari conspiciebat, illic maioris illecebræ occasiones callidus subministrabat: Indoctum enim incircumpectumque vulgus talibus facilè capitur, delinitur, circumuenitur.*

Lutheri pœna nondum tota definita.

e Dial. 3. sui Dubitant. pag. 325.

Responsio ad id quod tam multi in Lutheri sectam concesserint. f Scapierorius in eius vita sub initium cap. 13. pag. 258.

g Lib. 3. cap. 17. in primis.

hBellarmin.
in orat. qua
comparat
Lutheranos
locustis Apo-
calypticis in
fine tom. 3.
pag 231.

Si enim velimus considerare, qui vel quales sint, quos hac ratione *Lutherus* in perditionis foueam pertraxerit, videbimus eos planè fuisse tales, quales ab *Illustri* quodam viro, eleganti calamo in faceta quadam non minus quàm erudita oratione, *Romano* olim in collegio habita, describuntur: sic enim ait *h* *Aspicite qui sint qui ad Lutheranos plerumque desiciunt. Gula adducti ad eos currunt, quod non sint apud eos statuta ieiunia. Incontinentes, quod apud eos etiam Monachis & Monialibus matrimonia concedantur. Desertores monasteriorum, quod omnia apud eos vota laxentur, omnia claustra referentur, continentia cum coniugio, cum diuitiis paupertas, obedientia cum licentia commutetur. Homines auari & ambitiosi, quod eis Lutherani non solum opes Ecclesie, sed etiam personas, & ipsam fidem ac religionem in audita adulatione subiiciant. Itemque otiosi, quod Lutheri religio sola fide contenta, opera non requirat. Denique improbi & scelerati omnes, quod nec peccata sacerdotibus confitentur, nec ulli hominum vite suæ rationem reddere teneantur. Et miramur adhuc si crescat numerus locustarum? (cum locustis enim conuenienter admodum *Bellarminus* *Lutheros* comparat). Homines enim ita comparati à natura sunt, vt id facile & libenter credant, quod cupiunt, quod placet, quod delectat.*

Erasmii re-
stimonium
de Luthero.
Buceri
i In Dialog.
contra Me-
lanct.
Gesneri.
k In biblio-
theca.
Scriptor
Tigurino-
rum.
l fol. 7.
m fol. 125.
n fol. 134.
Campani
o In coll. q.
Latinis Lu-
theri Tom.
2. fol. 354.

Et hæc quidem vti hæctenus, sic etiam non abs re fuerit scire, quo nam loco habitus sit *Lutherus* à symmystis suis, & ijs qui religionis nostræ non sunt, ne *Catholicorum* suspecta testimonia habeantur. Et quidem de *Erasmio* iam supra dictum est, eum affirmasse, *Lutherum* O. esse insaniosem esse, eumque habendum, si non pro diabolo incarnato, saltem pro homine odio lymphato, ac nulla maledicentia saturabili. A quo non longè dissentit *Bucerus*, dicens illum esse maledicum, imperiosum, austerè dicacem. *k* *Conradus* autem *Gesnerus*, de *Luthero* scribit dissimulandum non esse, virum esse vehementis ingenij, impatientem, & qui nisi per omnia sibi consentientes ferre nesciat. *Theologi* porro *Tigurini* in confessione sua Germanica *Tiguri* anno 1544. impressa, quid de *Luthero* eiusque libris sentiant, hinc verbis indicant. *l* Superioribus diebus edidit *Martinus Lutherus* librum quem inscripsit, breuis confessio de Sacramento, qui plenus est demonijs, plenus impudicis dictoribus, scatet iracundia & furore. Et eodem libro, *m* *Luthero* proprii cerebri figmenta v' que a deo placent, vt quotquot illa haud secus ac Dei oracula ac reuelationes non suscipiunt, pro asinis habeat, & nihil intelligere putet. *n* Et aliquando post: *Quam mirabilis est hic Lutherus una cum suis diabolis, quàm impuris utitur verbis, quot demonibus crepat? Quis vnquam toto Orbe terrarum talia audiuit ex ore hominum ratione praeditorum, qui non essent furore ac demonio arrepti? Iohannes* autem *Campanus* ita disertis verbis ait. *Quam certum est Deum, esse Deum, tam certus ac diabolicus mendax est Lutherus.* Sed claudam hoc testimoniorum agmen verbis *Francisci Stancari*, qui despiciens præcipuos nostræ tempestatis Hæresiarchas, vnum sententiarum Magistrum longè omnibus præfert, dum ait: *Plus valet vnus Petrus Lombardus, quam centum Lu-*

theri, ducenti Melanchiones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, & quingenti Caluini. Qui omnes si in uno mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia vera Theologia. Mitto iam alios in Lutheri schola ceu discipulos olim enutritos, utpote Staphylum, Vicelium, Brunium, &c.

p In libro de Trinitate. & mediatur contra Tigurinos.

ILLVD autem hoc loco non dissimulandum, ex sola Lutherani generis radice, præter alias, tredecim sectarum propagines esse productas. Utpote, Anomios, Osiandrinos, Stancarianos, Maioristas, Amstorianos, Synergistas, Flaccianos, Adiphoristas, Substantiarios, Accidentarios, Pessingeros, Musculanos, & Ubiquitistas. De quibus partim dictum, partim dicendum.

LVTHERO PAPISTÆ eodem fere tempore.

ET quia emerimus tandem ex tam tetrico ac fastidioso LVTHERI errorum, mendaciorum, periuriorum, hæresum, blasphemiarum, rerumque cum dæmone sacrilegè habitatum Labyrintho; recta requirit procedendi ratio, ut de eisdem quoque Symmistis, seu Sectis collateralibus ex *Luthero* prognatis, aliquid dicamus. Quos inter censendi sunt comprimis *Luthero-papista*, quales *Johannes à Lasco* vocat *Ioachimum Vestphalum*, & coniuratos: qui *Lutherum* videlicet sectati, Romani Pontificis excommunicationem, qua *Sacramentarios* suis eijciunt Synagogis, imitari videantur. Vnde si vera narrat *Helhusius*, hoc nomine rectè censeantur *Vittenbergenses* & *Lipfenses* doctores: qui & libris in lucem editis decent licitum esse suscipere doctrinam Romani Pontificis, & omissa confessione, parendum esse impio magistratui. Quos seuerè increpans *Illyricus*, apostasiæ arguit, tragiceque exclamat. *Perit, idque repente, veritas per Lutherum patefacta.*

Luthero-papista Sacramentarios suis eijciunt Synagogis.

q Prefat. in quintam Centuriam Magd.

LVTHERIOSIANDRINI circa ann. 1540.

HI sunt *SemiLutherani*, qui *Lutherum* cum *Osiandro* conciliare studere. E quorum numero *Johannes Brentius* comprimis extitit, vnde & *Brentiani* quoque ijdem nuncupati sunt. Fuisse enim *Lutheri* & *Osiandri* fundamenta diuersissima, ex varijs illorum scriptis manifestum est.

LVTHEROZVINGLIANI eodem fere tempore.

HI quoque præ se ferunt, *Lutheranis* cum *Zuinglianis* bellè conuenire, veluti album cum nigro. Cuius sententiæ passim accusatur *Melanchton*; quam ideo nonnulli *Germania cothurnum* nuncupant.

LVTHERO CALVINIANI, similiter & hi.

Ex *mollium confessionistarum* numero sunt, & parum admodum cum *Rigidis Lutheranis* conueniunt in re *Sacramentaria*, conanturq; hominibus persuadere,

dere, esse tantum logomachiam, non de re certamen. Quæ emadmodum *Staphylus* constare posse dicit ex confessione *Nicolai Amsd. ff. 1*, ubi hanc *Smidælini* fraudem grauitè reprehendit.

M.

MACARIUS Antiochen. ann. 677.

Fuit hic vti *Antiochena* vrbis Episcopus sexagesimus primus (si *Democharis* tabulis credendum) ita & *Monothelitana* hæresis assertor, ac *Romanorum pontificum* impugnator acerbissimus. Qui in *Synodo sexta*, anno 680 aduersus *Monothelitas* haberi cœpta, tam impudenter se habuit, vt inlequenti anno *Romæ* eidem cum interesset, cæteris sese Patribus omnibus vna cum *Theodoro* Episcopo *Constantinop.* opponeret, dicens se vt suam hæresim stabiliret (erat enim *Monothelitarum* signifer) Patrum scripta corrupisse. Vnde ab vniuersa Synodo anathema in eum conclamatum est, eidemque pallium aliaque insignia Patriarchæ ablata. Obstinatus autem persistens, inclusus est monasterio anno 683.

Macarius à Synodo damnatur atque deponitur anno 681.

MACEDONIANI circa ann. 350.

Sortiti hi sunt nomen à *Macedonio* Byzantino Episcopo, qui ad thronum illum euectus est ab *Arriano* anno trecentesimo quadragesimo secundo, licet non sine tumultu; qui tamen postea magis adhæsit *Semiarianus*, quàm ipsi *Arriano*. Hic Vnde & nouam de Spiritu Sancto hæresim excogitauit, de qua loquens *Beatus Leo* Papa, *Macedonius*, inquit, à lumine veritatis alienus, diuinitatem Sancti Spiritus non recepit, sed in Patre & Filio unam potentiam, & eandem confessus est esse naturam. In quam hæresim primus stringit calamum *Athanasius*, estque tum ob hæresim, tum ob crudelitatem in Catholicos ab Episcopatu depositus in *Concilio Constantinopolitano II*. Porro lectatores eius *Macedoniani*, vt populo gratiores esse possent, magnam vitæ sanctimoniam, imò & Monachium, præ se ferebant, dictique iunt alio nomine *Pneumatomachi*, eò quod Spiritus Sancti diuinitatem oppugnatum irent. Qui damnati sunt sub *Athanasio* in concilio *Alexandrino* habito anno 362 quos & *Theodosius Magnus* anno 384. egregie compescuisse legitur, licet patrum nostrorum memoria eandem hæresim renouauerit *Farelus* Caluini Magister. Hic enim (vt *Lindanus* ait) negans Spiritum Sanctum esse natura Deum, docuit esse motum in rebus creatum, quemadmodum liquere potest in *Summa*

serm. 4. de Natiuit. Domini. Macedonius affirmavit Sp. Sancti creaturam potius, quàm Deum existere.

Macedoniani mus ab hæreticis nostris renouatur.

Dial. 2. Dubi. pag. 191.

Scripturæ Gallicana.

MAGDE-

MAGDEBURGENSES Centuriatores sub Carolo V.

Magdeburgenses aliquot Ministri, è quorum numero *Matthias Flaccus Illyricus*, Melanctonis olim discipulus, primarius fuit, grandia aliquot *Centuriarum* volumina, non tam centenaria, quam millenaria, mendaciorum strophis referta, ingenti cum labore nec minori decipiendi studio, consarcinarunt. Quorum quarta prodiens anno superioris seculi sexagesimo, dedicata est *Elisabethæ Angliæ Reginae*, si fortassis illa se tam monstriosi partus susceptricem ac defensoricem exhibere cuperet. Ictitant enim se omnia ad solius veritatis amissionem exegisse, ac matura animi deliberatione, prudentique consideratione singula quæque in suas classes distribuuisse. Sed non defuere è *Catholicorum* numero, qui ingentem mendaciorum ac deceptionum molem in ea latitare animaduertentes, omnes illorum conatus, omnemque animi prauitatem illulerunt ac detexerunt. Vt pote *Bellarminus* in tomis *conuersiarum*, *Baronius* in *annalibus*, *Copus* in *Dialogis*, *Canisius* in opere *Mariano*, & quod in defensionem præcursoris Christi eruditè conscripsit, ut nihil hic interim de alijs dicamus. Quas quidem *Centurias* si quis operosam ac dolosam mendaciorum congeriem nuncupauerit, haud quaquam à veritatis scopo aberrauerit. Quod libet hic paucis ad oculum ex *solis Alani dialogis* in officina *Plantiniana* anno sexagesimo sexto editis, ostendere; remittens interim lectorem pro pleniore singulorum instructione ad ipsum *authoris* textum. Qui in primis ostendit quàm nequiter iniurij ac mendaces in ipsum inuictissimum CHRISTI martyrem *Cyprianum* fuerint, cuius de sacrificio Eucharistiæ verba malitiosè interpretantur, uti videre licet pag. 104. De *Cornelio* quoque Pontifice Romano mentiuntur, pag. 97. *Leonem Gelasium*, a-
liolq; Romanæ Sedis Hierarchas impudenter calumniantur pag. 58. *Gravissimis* conuictorū aliquot *plaustris antiquos* nonnullos *Patres* prolcindunt, quod monasticæ vitæ institutum literarum suarum monumentis commendent. pag. 210. 254 & sequent. *Scripturas* insuper peruersè interpretantur. 260. *Patres* præterea aliquot enumerant, quorum doctrinam de libera hominis voluntate in sex prioribus *Centurijs* impiè conuellunt & oppugnant, pag. 448. Imo *Patres* contra se citant pag. 307 & 476 Iniquè de *B. Hieronymo* iudicant pag. 358 & 172. Ipsum *D. Augustinum* conuictijs insectantur pag. 489. De *Gausfrido Monumetensi* nequiter fabulantur, pag. 678. & 781. *Theodoretus* de festis *Sanctorum* sententiam calumniantur simul ac *Patres* *Carthaginens.* lib. 3. cap. 20. *Novi* sunt *Ioviniani*. pag. 217. fauentque *Vigilantio* & *Aerio*, quorum errores amplectuntur. pag. 874. Quid? quod sibi ipsis in eadem *Centuria* aduertantur? Hoc etenim euidenter ostenditur pag. 459. 461. 462. & 476. *Puerilia* quoque argumenta contra *Romani Pontificis* auctoritatem in medium proferunt. pag. 41. *Fraudis* & *perfidia* suo ipsorum testimonio conuincuntur, pag. 101. *Fingunt* quæ nulquam reperiuntur, pag. 118.

Centuriarum
Briareorum.Magde-
burgensium
centuriemerito vo-
cantur ope-rosa ac do-
losa men-
daciorum
congeries.Sunt men-
daces in
SanctosPatres ut-
pote:S. Corneli-
um alios-quenonnul-
los Rom.
Pontif.Patres
malè citantimo contra
se ipsos.Novi sunt
Ioviniani,
fauentqueinsuper
Vigilantio
& Aerio

Vnum porro est, quod magnam possit lectori admirationem adferre dum legit *Magdeburgenses* citare epistolam quandam *Vdalrici* Augustanæ urbis Episcopi, (quem ipsi tamen *Vldeicum* nuncupant) ad *Nicolaum* I. Pontificem, in cuius quadam parte scribitur *Gregorium Magnum* inuenisse *Rome* in piscina quadam sex millia capitum infantilium, à parentibus ob cœlibatum emecatorum, ad quem eos *Gregorius* compulerit, cuius eum postea vehementer pœnituerit. Quod quàm lepidam piatfabelam, patet ex eo, quod *Vdalricus* factus sit Episcopus anno 924. *Nicolaus* autem Pontifex obierit an. 867. qui ergo fieri potuit, vt ille ad hunc epistolam scripserit (nisi vel mortui accipiunt, vel non nati scribere epistolas queunt) qui iam ampliùs annos quinquaginta in Domino obdormierat? Sed scitent, vt diximus, eiuscemodi mendaciorum *Strophis Magdeburgensium Centuria*, quemadmodum iam olim *Illyrico* obiecit *Doctiss. Lindanus* Episcopus in dial. cui *Ruevvardi* titulum indidit à pag. 161. vsque ad pag. 173. Edidit & *Conradus Brunus* eruditissimus superioris æui Iurisperitus, & *Augustæ Vindeilcorum* Canonicus comprimis celebris, admonitionem insignem aduersus nouam hanc mendacis historiam, ne quisquam hisce mendaciorum propolis fidem habeat; probatq; accuratè à multis retro seculis nullum in toto orbe prodiisse scriptum, tam pestiferum ac perniciosum, quod cum isto aliquatenus conferri valeat. v Quod idcirco secundum veterum Imperatorum ac Principum edicta exustione potius, quàm lectione dignum iudicat. Atque hæc de *Magdeburgensibus*.

MACHIAVELLISTÆ sub finem seculi XV.

Nicolaus quidam cognomento *Machiauellus* Florentiæ Etruscorum natus, in religionis simul ac Reipublicæ negotijs plurimum Hallucinans, nedelirans, perniciofa aliquot dogmata, in quibus etiamnum sectatores habet, qui se *Politicos* nuncupant, literis consignauit. Quæ tum à *Thoma Bozio*, Romanæ urbis Presbytero, tum ab alijs nonnullis, veluti impia ac detestanda, refutata sunt. De quorum authore suam ferens sententiam eximius ille *Louaniensis Acadamiæ Doctor* & *Molanus*, *Machiauellus*, inquit, in libro quem *Thusca* lingua scripsit de Principe, in eã prorupit insaniã, vt Principem velut Cœtaurum semihominem, & semibestiam esse velit; utpote qui mordicus assererat non esse Principi necesse re ipsa habere virtutes, pietatem, fidem, humanitatem, integritatem &c. imò audebat dicere, habere illas, & semper obseruare, damnosum esse, cum sit nouo Principi læpe necessarium operari contra fidem, contra charitatem, contra humanitatem, contra religionem, quippe quando Principem ita animo compositum esse oportere ait, vt quò venti flarent, & quò fortuna impelleret, eò & ipse se verteret: iuxta *Gnathonem* illum, *Terentianum* a quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque. Negat quis, nego; ait, aio: postremò imperaui egomet mihi, omnia assentiri. Sed Sacræ literæ de

intonant

intonant illis, qui dicunt malum bonum: & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.

ET quidem credi vix potest, quanta Machiavellus ille maledicta in CHRISTVM Christique religionem, quanta in omne sinceræ virtutis officium, quanta in Sanctissimos quosque viros, quanta denique in laudatissimas nonnullas nationes, conuitia cumulauerit. Per quæ non ijs duntaxat qui nostræ sunt religionis, verum etiam qui Orthodoxæ fidei aduersantur ita exosum se reddidit, vt cane peius & angue prodigiosum hoc monstrum execrati sint. E quorum numero comprimis est *Johannes Casus* Oxoniensis, qui octo libros de *Sphæra civitatis* intitulatos conscribens, mox in eorundem principio ita in Machiavellum inuehitur, *Vti Paracelsus in medicina, ita Machiavellus in politia sua facit. Ille sua pharmaca specie pulchra, precio magna, essentia & proprietate mirifica commendat, at non sine interitu corporis. Hic sua præcepta prima fronte docta, primoque auditu rara, at non sine pernicie civitatis venditat. Quare vt ille est fugiendus, ne admisso intereant homines; ita tollendus est & iste, ne recepto ruant civitates. Oppono me ipsum igitur Machiavello, eiusque axiomata de instituenda Repub. de civitate. vti anathemata animo detestor meo, &c. Et in fine eiusdem paginae secundæ. Reliquia, inquit, euocata ab inferis Machiavelli postquam diu adorata fuerunt in Italia, translata sunt tandem in Galliam, & alias nobis propinquas nationes. Quot, Deus bone, seditiones? quot intestina bella? quot strages? quot funestas & miserabiles tragedias monstri cineres excitarunt? Et tandem concludit Machiavellum suum de Christiana instituenda Republica sermonem, non ad bonum sed ad malum, non ad salutem sed ad perniciem, non ad dignitatem & honorem, sed ad perpetuam suam infamiam retulisse. Aduersus quem etiam præfatus Bozius eruditum ac neruosum illud opusculum, quod est de Italia statu antiquo & nouo conscripsit.*

Prodiere
Francofurti
in forma
4. anno 1593
apud Feijrabend.

Prolegom in
lib. 1.

Reliquia
Machiavelli
ex Italia

translata in
Galliam ad
fouendas
seditiones

Prodyt Co
lonia apud
Gymnicum
anno 1595.

* ab. Machiavellista.

* MAHOMETISTÆ, quorum Prophetes obiit ann. 630.

Non defuere vel prius vel posterioribus seculis, qui Mahometum, vel vt alii pronunciant, Mahumetum, ob crudelitatem nimiam, summamque cum acerbissima quadam nequitia coniunctam virium potentiam, filium illum perditionis asseuerare dubitauerunt, de quo tot in locis tum veteris tum noui Instrumenti testimonia reperiuntur; homine nimirum natione Arabe, humili, vili, sordidaque stirpe & conditione progenito. Qui vsque adeo nouerat se diuersis hominum geniis & ingeniis insinuare, vt prout cuiusque ferret ætas, status, natura, conditio, illuc & ipse velificando suam quoque sciret ingenij proram inflectere, dolis astutiisque plenus. Quod quidem monstrum peperit & enutriuit Oriens apud Homeritas, siue in Arabia Felice. Habuit autem parentem Hali, Ismaelita, genitum, hominem

condi-

Parentes
Mahometis.
Camelos
agit & do-
minam
suam in
uxorem si-
bi adscisit.
Propheta
nomen va-
frè acqui-
rit.
Fingit
Angelum
Gabrielem
sibi appa-
rere.
Iudæi Ma-
hometo ceu
ceu Messia
adheresce-
re primi
coepere.
Quos erro-
res, carna-
litates ac
hereses
excogita-
uerit.
Accommo-
dauit se &
Iudæis &
Christia-
nis.
Item Ma-
nichæis.

conditione pauperem. Ita vt *Mahometus* puer adhuc operam suam aliis mercede locare coactus sit, inhærendo seruitio cuiusdam potentis viduæ, *Cadicha*, seu *Tadiga* dictæ, cuius pascendos susceperat Camelos; quam & in uxorem sibi postea sociavit. Profectus autem in *Palestinam*, ibi versatus cum *Iudæis* & *Christianis*, ab eisdem aliquid conatus est addiscere; mentem-que vanam prurigo cum exagitaret honoris, ex occasione benè accepta, *Propheta* sibi nomen acquisiuit. Cum enim & à dæmone exagitaretur, & comitiali morbo laboraret, uxorem suam indignè id ferentem ea arte demulsi, vt se diceret ad conspectum Angeli *Gabrielis* sibi apparentis, concidere. Quod cum eidem mulieri confirmasset pseudomonachus quidam *Arrianus*, nomine *Sergius*, ob fallam fidem ibidem relegatus, eaque paulatim opinio animis omnium inhæsisset; idem sibi ipsi quædam effingens, ea vt diuinitus accepta, curioso populo facilè præsuasit; plenumque vanis figmentis volumen conscripsit, quod è cælo delatum mentiens, suis tradidit sectatoribus obseruandum: sicque factum est, vt error vanè conceptus, non miraculorum virtute, sed vi armorum magis magisque apud poteros atque exteros inualesceret. Ad quem primum accurrerunt *Iudæi*, existimantes ipsum esse quem expectarent, *Messiam*, quod eum circumcissionem amplecti conspicerent: sed cum eundem immunda comedere intellexissent, Cameli videlicet carnem, à sententia quidem recesserunt, non tamen cessarunt in Christianos eum commouere.

EXCOGITAVIT autem ad sectam propagandam verlutus nebulo, illecebras ex voluptatibus carnalibus comparatas, fœminarum multitudinem concedens suis in hac vita; & in futura ipsidem consitum Paradisum, in quo ipsis omnia ad cibum potumque non lautè tantum, sed & largè suppetent, & ad coitum præsto esset pulcherrimarum multitudo fœminarum. His verò potissimum potituros, qui vel hostes occiderent, vel ab hostibus occiderentur: ista satis astutè proponens, quò suos in bello fortes efficeret. Vt verò omnes ad se passim alliceret, ex cunctis fermè aliqua miscuit; nempe ex *Iudæis* circumcissionem, Dei vnus cultum, abstinentiam à carne suilla: ex *Christianis*, nomen Christi, ita tamen vt eum, sicut, *Arriani* siue *Nestoriani*, coleret: ex *Manichæis*, vt nequaquam cruci Christum affixum diceret, sed umbram eius, Crucem penitus abominatus. Sed & de eodem CHRISTO dicebat, ipsum quidem Verbū esse Dei & filium, sed creatum atque seruum, eumque fatebatur ex *Maria* sine semine generatum. His autem ineptiis alias addidit; nempe sibi vti veritatis cultori fideli, tradendas paradisi clauas in die iudicii. Fatumque insuper asseruit, & siue ad bonum, siue ad malum homines destinari. Videns autem fabulas quas commentus erat, facilè rationum momentis eludi ac labefactari disputando posse, lancita pœna capitis vetuit de traditis à se institutis disceptationem iniri. De quo quidem impostore, centum & tredecim fabelles, ex

Exodio Monacho, *Eutychius* in panoplia sua commemorat. *Prateolus* autem decem illi adsignat hæreses; quod scilicet .1. cum *Sabellio* negauerit Trinitatem .2. cum *Arrio* & *Eunomio* CHRISTVM creaturam esse contenderit .3. Cum *Carpocrate* Christum non Deum quidem, sed sanctum Prophetam esse asseuerauerit .4. cum *Cerdone*, impossibile fuisse Deo filium genuisse, cum vxore careat .5. cum *Manichæis* (viti & superius dictum) non tam Christum, quàm alium quendam sibi similem, seu vmbra cruci affixum esse .6. cum *Donatista* cuncta Ecclesiæ mysteria, quæ à CHRISTI passione suam vim & efficaciam obtinent, negasse .7. cum *Origenistis* in *Alcorano* dæmones sub mundi finem saluandos, asseruisse .8. cum *Anthropomorphitis*, Deum corporalem asserentes, communicasse .9. cum *Cerintho* extremam felicitatem, vel summum bonum, in corporeis voluptatibus constituisse .10. cum *Ebionitis* denique & *Iudæis*, circumcisionem admisisse.

Decem Mahometis hæreses quas cum antiquis hæreticis communicas habuit.

DE culus nefandis erroribus vti copiosè agit *Ricoldus*, quidam, Dominicanæ familiæ religiosus, libro quem *Confutationem legis Mahometicæ* inscripsit, ita *Mahometismum* patrum nostrorum memoria à *Luthero* eiusque discipulis ab orco reuocatum esse, per paginas aliquot integras manifestè ostendit *b Lindanus*; dicens quemadmodum ex *Mahometis Alcorano* sectæ natae sunt septuaginta, ita totidem quoque, imo & plures *Euangelicorum* nostri temporis sectas prognatas esse. Sicuti & superius diximus *Mahometismum* & *Caluinismum* duas esse vnius panni caligas: conueniunt enim in initiis, mediis & fine. Quemadmodum eruditè probat *Author Caluinotur-* *cismi* lib. 4. cap. 22. Cæterum vt de exitu *Mahometis* etiam obiter aliquid attingamus, præfuit ille *Arabum* regno annos admodum nouem, obiitque anno *Heracii* Imperatoris vigesimo primo, *Honorii* autem Pontificis quinto, cuius cadauer à canibus semesum sepulturæ tandem traditum est *Mecha*, eiusque sepulchrum ex lapidibus pretiosis constructum, sublime in medio templi pendere *Author* est *Laonius Chalcocondylas*.

b Dial. 2.
Dubitant in pag. 224. vs. que ad 235.

Anno Christi 630. obiit Mahometus.
c Lib. 3. de rebus Turcicis.

MAIORINI anno 306,

Maiorinus creatus à Traditionibus contra *Cecilianum* Carthageniensis Episcopus anno 306. *Donatistica* factionis extitit, docuit Filium Patre minorem, & Filio Spiritum Sanctum, ipsolque adeo Catholicos ad se deficientes rebaptizabat. Qui vnà suis cum asseclis damnatus est in concilio Romano sub *Melchade* anno 313.

MAIORISTÆ, siue MAIORANI sub Carolo V.

Maiorista siue *Maiorani*, quartam *Lutheranorum* sectam constituunt, suntque molles *Confessionista*, nomen trahentes à *Georgio Maiore*, *Wittenbergensi*

Maiores
habentur
etiam à Lu-
theranis
suis fratri-
bus heretici.

bergenſi Theologo *Lutheri* diſcipulo; docentque bona opera neceſſaria eſſe ad ſalutem, proſus vt his ſine ſalute potiri nullus valeat. Propter quod à Fratribus ſuis *Flaccianis* non modò conuitiis proſcinduntur, verùm etiam pro diuini verbi (quemadmodum *Vlenbergius* teſtatur) deprauatoribus & hæreticis habentur. Hi *Liſiæ* potiſſimum & *Vittenberge* regnant: quibus ſeſe opponunt *Ieneneſes* æquè ac *Mansfeldeneſes*.

MANICHÆI anno. 277.

Manetis
ſoria, no-
men & con-
ditio.

d De hæref.
cap. 46.

e Serm. 5. de
ieiunio.
e Serm. 4. de
natiuit.
Domini.

Manichæi
& animi
corporis pol-
lutione la-
ſari ſoliti.

Multiplikes
illorum hæ-
reſes.

g Ibidem vt
ſupra.

Exerere caput cœpit hæc *Manicheorum* hæreſis anno Pontificatus *Euty-
chiani* tertio, *Chriſti* verò 277. authorem habens *Manetem*, hominem ge-
nere *Persam*, conditione ſeruum, nomine *Curbicum*. Quem à plerisque
Manichæum quoque nominatum reperimus: quamquam hæc appellatio
eius ſectatores magis deſignat. De quo quidem *Manete*, ingenii ſui acrimo-
nia pro nominis etymo inſaniente, ac plurimos à veritatis ſemita reducen-
te, agens d' *Auguſtinus*, ait diſcipulos eius vitantes nomen inſaniæ, gemina-
ta N. littera, *Mannichæum* quaſi manna fundentem, pro *Manichæo*, ideſt,
inlano, appellaffe; non minus quàm olim ex cognomine tuo *Ludder*, quod
eſt nebulo, *Lutherus* quaſi purus dici voluit celebris ille Hæreſiarcha *Mar-
tinus* *Iſlebius*. *Manes* porro licet *Chriſtianus* non eſſet, multa tamen à
Chriſtianis hauſit, & ex omnibus aliquid decerpiſit, quò facilius omnes ad
ſe pertraheret. Quod enim in *Paganis* profanum, quod in *Iudaïs* cæcum,
quod in ſecretis magicæ artis illicitum, quod denique in omnibus hæreſi-
bus impium atque blaſphemum erat, hoc in *Manichæos*, quaſi in ſentinam
quandam, cum ſordium omnium concretione confluiſſe e *Leo* re ac no-
mine *Magnus* Pontifex, adſerit. Qui & alio quodam in loco de eiſdem diſ-
ſerens: f *Manichæi*, inquit, ingreſſi præruptam execrandi dogmatis viam, in qua
nihil non tenebroſum, nihilque non lubricum eſt, irruunt in profunda mortis per-
pracipitia falſitatis: nec aliquid ſolidum cui innitantur inueniunt, qui propter om-
nia *Diabolici* probra commenti, in ipſo præcipuo obſeruantia ſua feſto (*Natalem*
& *Chriſti* intelligit) ſicut proxima eorum confeſſione patefactum eſt, vt animi ita &
corporis pollutione latantur; neque in pudore neque in fide integritatem ſeruan-
tes, vt & in dogmatibus ſuis impii, & in ſacris inueniantur obſcœni.

VARIAS autem illi profitebantur hæreſes, eaſque tam multiplices, vt
paucis percenſeri vix queant: quarum tamen præcipuas aliquot enumera-
bimus. Docebant autem animam hominis aut *Dei* ſubſtantiam, aut ex *Dei*
ſubſtantia eſſe, bellum quoque non licere gerere; omnes beſtias rationis
eſſe capaces; corpus luapte natura malum eſſe, & ideo à malo principio fa-
ctum; *CHRISTVM* non fuiſſe verum hominem, ſed phantaſticum, & phan-
taſma quoddam; nec ex utero *Virginis* prodiſſe. Quod obiiciens illis præ-
fatus g *Leo* Papa: ab hoc, inquit, (*Natiuitatis* ſcilicet *Dominicæ*) ſacramen-
to inſanus *Manichæorum* error alienus eſt, nec vllum habent in *CHRISTI* regene-
ratione

ratione consortium, qui eum de MARIA Virgine negant corporaliter natum: ve-
cuius non credunt veram natiuitatem, nec veram recipiant passionem, & quem
non confitentur verè sepultum, abnuant veraciter suscitatum.

PRIMUM autem atque præcipuum ipsius dogma, ex quo alii veluti ri-
ui à cæno fonte dimanarunt, fuit quod constituerit duo Principia æterna,
sibi inuicem contraria, duasque naturas atque substantias, boni scilicet &
mali: totumque hominem à duobus illis creatum esse Principiis; ex bono
quidem animam; corpus verò fabricatum à malo. Et hac ratione, eò quod
carnem ex materia, & materiam à mali Principio fluxisse dicerent, licèt mu-
lieribus iungerentur, omnique se libidinum genere contaminarent, ac Gno-
sticorum more Eucharistiam ex humano semine conspersa farina confice-
rent, omnem tamen generationem sedulò vitabant, quod ex ea aueretur
materia, ac proinde mali Principii causa incrementum sumeret. Vnde &
nuptias necesse erat damnare, quando generare prohiberent, propter quod
matrimonium contrahitur. Similiter & in odium carnis (quod cum Mar-
cionitis commune illis fuit) carnis resurrectionem inficiabantur. Sed &
tandem ex causa, quod dicerent materiæ nullum esse adminiculum submi-
nistrandum, eò dementiæ peruenère, vt execrarentur eos qui pauperibus
elemosynam impertiebant. Pariterque in odium carnis, Sanctorum quo-
que reliquias detestabantur, maximeque in Christianos qui Martyres co-
lebant eorumque festa celebrabant, inuehebantur.

Duas item animas cuiuslibet homini inñitas nugabantur, easdemque di-
uersis, atque è contrariis planè Principiis dimanantes. Contra quod com-
mentum accuratè disputat B. Augustinus, qui & ipse Manichæe labis cõ-
tagio inquinatus fuerat, scripto quodam de duabus animabus. Docuit insu-
per Pythagoricam metempsychosin, negauitque Manes vnã eandem
CHRISTI esse cum Patre substantiam. Imo vsque eò productum est eius ve-
sanz mentis delirium, vt Christum dixerit fuisse serpentem, qui Adã at-
que Eua per esum pomi, boni malique scientiam infuderit. Mundum por-
rò aiebant Manichæi non ex nihilo creatum, sed ex præexistente materia:
quin & baptismum penitus reiecerunt, tanquam nihil ad salutem condu-
centem, testante f. B. Augustino, cū tamen Hieronymus dicat, ipsos bapti-
zare quidem solitos, sed diuersa ab Ecclesia forma. Insuper sicut Ecclesia
vniuersum populum duas in classes, laicos scilicet & clericos distinguit; ita
Manes suos inter Auditores & Electos partitus est; habuitque discipulos
duodecim, ad instar Apostolici numeri; quem numerum postea Manichæi
custodierunt. Nam ex Electis suis habebant duodecim, quos appellabant
Magistros, & tertium decimum Principem ipsorum; Episcopos autem
septuaginta duos, qui ordinabantur à Magistris; similiter & Presbyteros,
qui ab Episcopis initiabantur, habebantque Episcopi Diaconos, vt quasi
orthodoxæ ecclesiæ clerum imitari velle viderentur.

Duo Ma-
nichæi Prin-
cipia sibi

inuicem
contraria.

Eorum tur-
pitudine ab-
ominabilis.

Damnabāt
nuptias.

Item San-
ctorum Re-
liquias.

f. Lib. 10.
contra

Faust. c. 46.

g. Aduersus
Lucifer.

Manes docuit magicas incantationes.

Prophetas omnes reijciebat. Ite decalogi præcepta.

Horrendū, sed dignum Manetis supplicium.

h An. 443.

i Ann. 420.

k De hæres, cap. 46.

l Sub finem serm. 4. de Natali Domini.

m Dial. 2. Dubitant. pag. 204.

n Ibid. pag. 126.

DIFFAMA VITAE autem suas hæreses *Manes* non voce solummodò, verùm etiam scriptis diuersis. Inter quæ fuit illud, quo sub titulo Astrologiæ docuit magicas incantationes, eademque vim maximam ex blandiloquentia comparata ad persuadendum habuisse insitam constat. Reijciebat interim Prophetas omnes, quos dicebat Spiritu erroris afflatos. Qui enim cum illis locutus esset, affirmabat fuisse vnum ex Principibus tenebrarum; pariterque veteres Patriarchas variis criminibus infamabat. Contempsit etiam Decalogi præcepta: quippe qui non vnum DEVM, sed multos Deos, imò & deorum agmina, coleret. Totum insuper politicum dominium sustulit, dum derogaret publicis magistratibus, & bella ex causa etiam iusta damnaret. Qui cum diu multumque hisce delirijs discipulorum suorum animos dementasset, *Persarum* tandem regnum peragrauit; vbi cum se Regis filium malè habentem curaturum promisisset, resque suo careret effectu, à Rege comprehensus, non ob fidem, sed ob perfidiam ac temeritatem, Persico affectus est supplicio. Detracta enim cute, ita nudus canibus deuorandus est obiectus.

ILLIUS porro discipuli, longo post illum tempore, non in *Italia* duntaxat, sed & *Aphrica*, venenata & obscœna sua dogmata propagare modis omnibus adlaborarunt. Qui à *Leone Papa* detecti, in exilium relegati sunt, combustis flagitiosis illorum libris. Quorum execrabiles turpitudines & horrenda mysteria, quibus ad excipiendum & commiscendum concumbentium semen farina substernebatur, vnde non sacramentum, sed execramentum efficeretur, i *Carthagine* à fœminis nonnullis, quæ propter detestandum hoc mysterium violatæ fuerant, detectas fuisse, narrat ipse *k B. Augustinus*. Prorsus vt non immeritò præfatus *Leo 9.* nonnulla Hæresiarcharum monstra ex ordine enumerans, de *Manichæis* hæc subiunxerit, dicens: *l Si omnes quos Catholica fides damnat, retractentur errores, in alijs atque alijs quiddam inuenitur, quod à damnabilibus possit abiungi. In Manichæorum autem scelestissimo dogmate prorsus nihil est, quod vlla ex parte tolerabile possit videri.* Quorum tamen hæreses nonnullas in lucem reuocarunt aliquot superioris æui potissimum Hæresiarchæ, *Lutherus*, & *Calvinus*: quemadmodum videre licet apud *m Lindanum*, & Authorem *Caluinoturcismi*.

MANSELDENSES sub Carolo V.

Hos *n Lindanus* ait esse illos, qui *Confessionem* sectantur Comitum *Mansfeldensium* Iuniorum, qua non paucas *Lutheranorum* sectas damnarunt. Inter alias verò *Adiapheristas*, operum assertores bonorum, liberi defensores arbitrij, siue *Melanchtonicos*, *Osiandrinos* *Stancarianos*.

MANIFESTARI eodem sub Imperatore.

Ad *Anabaptistarum* hi sortem pertinentes, à varia perfidiæ suæ professione ita nuncupari meruerunt: asserunt enim impium esse, si cum interrogentur, se quod sunt, negent esse *Anabaptistas*. Quales in *Prussia* complures degere, testis est *Staphylus*.

MANVS-IMPOSITORII. *hi quoque similiter*

Inter rigidos nostri temporis *Confessionistas* locum & nomen fortitè sunt; laicalem manuum impositionem *Sacramentum* esse affirmantes. Quorum secta in *Saxonia & Pomeriana*, alijsque maritimis nonnullis vrbibus reperiri solitam esse, *Staphylus* etiam adserit.

MARATHONIANI *sub annum 360.*

Marathonius ex Diacono Ecclesiæ *Constantinopolitane* designatus *Nicomedia* Episcopus, *Macedonio* hæretico adhæsit, negans Spiritum Sanctum personam vnam Trinitatis dicendam esse. Ac filium quidem Deum perfectum, & substantia Patri æqualem dicens. Spiritum Sanctum autem, expertem honoris & dignitatis eiusmodi statuens, & quasi famulum & administrum adsignans. Qui non tantum *Marathoniani & Macedoniani*, verum etiam *Pneumatomachi*, hoc est Spiritus Sancti oppugnatores ideo dici meruerunt.

MARCELLIANI *circa ann. 330.*

Marcellus à quo *Marcelliani*, fuit *Ancyra* in *Galatia* Episcopus, qui propter *Eusebiorum* calumnias o depositus quidem fuit, verum ad *Romanum Pontificem* appellans, ab eo causa prius cognita p restitutus. De quo q *Baronius* ambigi dicit. *Sabellianus*ne fuerit an non, cum tamen *Photini* ipsius discipuli impietas, notam ei haud paruum attulerit. Quem iterum ab Ecclesia sua *Semiarriani* r pepulerunt. Sunt autem nonnulli *Marcelliani* hæretici (an verò ab hoc *Marcello* ita nuncupati sint dubitari forsitan queat) damnati in concilio *Oecumenico Constantin.*

MARCIONITÆ *anno 160.*

Marcionem genere *Ponticum* hæresiarcham emeruisse *Tertullianus* sub annum *CHRISTI* millesimum quadragesimum sextum affirmat, discipulum videlicet *Cerdonis*, filium Episcopi pietate illustris. Qui prima sua ætate (fuit autem ex vrbe *Sinope* prognatus) virginitatem exercens, & solitariam vitam excolens, progressu temporis cum virgine rem habuit. Qua de causa à proprio parente Ecclesia pulsus, cum ab eo veniam flagitij non impetraret, *Romam* se post *Hyginij* Papæ obitum contulit. Sed nec illic receptus, quod pariter obstitisset, *Cerdoni* hæresiarchæ se socium addidit. Qui præter cæteras aliquot hæreses, suo de cerebro fabricatas, verus respuit Testamentum, tanquam à malo Deo prolatum; nouum verò ex animi sui sententia mutilauit, auferens ex illo quidquid ageret de carne & generatione *CHRISTI*, quam ipse negaret, nec non de creatione mundi per Deum Patrem, & de aduentu Dei. De quibus ad longum agunt *Irenæus & Tertullianus*, y *Epiphanius*, alij.

Marcionis

patria.

t Lib. 1. con-

tra Marci-

on. cap. 19.

Studia &

mores.

Venit Ro-

mam.

Eius præci-

pue aliquot

hæreses.

v Lib. 1. c. 39

x Lib. 1. con-

tra Marci-

on. cap. 29.

y Heres. 42.
Coniugia damnauit.
 Idem quoque cum diceret carnem à malo *Principio* esse ortam, eius omnino resurrectionem negauit, vetuitque propagationem, sicque ea ex causa virginitatem prædicans, coniugia respuit atque damnauit, coniugatosque à salute penitus exclusit, quos nec vellet baptizare. Adiecit & horrendam blasphemiam, vt diceret CHRISTO ad inferos descendente, esse saluatos *Cain sodomitas, Egyptios*, & alios omnium nequissimos. *Abel* autem *Enoch*, *Noe*, & reliquos iustos, eò quod non occurrissent ei, nullam participasse salutem, quippe qui amici fuissent Dei Hebræorum, quem *Malum* diceret. Animatorum quoque esum damnasse tradunt, imò & in odium eiudem Dei Creatoris, omnes simul res creatas execrari solitos *Marcionitas*, nec illis vti nisi necessitate cogente, & *Theodoretus* exemplo declarat; offerebant se etiam spontaneo martyrio, & non solum anabaptismum introducebant, sed & tertium quoque ad peccata diluenda baptismum concedebant.

z Lib. 1. hæretic. fabul.

Porro *Marcion*, quem *B. Polycarpus* primogenitum Sathanæ nuncupabat, præter *Luca* Euangelium, nullum aliud admittebat. Epistolas quoque *D. Pauli* prorsus peruertit, auferens ex ijs quidquid impietati suæ contradicere animaduertebat, blasphemijs *Prophetas* ac *Patriarchas* impetebat, carnis resurrectionem negabat, multaque id genus alia effutiebatur; in quibus nostrorum hæreticorum nonnullos probe eum imitari manifestum est, & potissimum *Libertinos*, vti videre est apud *a Lindanum*.

a Dialogo 2. pag. 203.

MARCITÆ circa ann. 155.

Marcus à quo *Marcita*, *Valentini* hæresiarchæ discipulus, de *Basilidis* Gnostici stirpe descendens, præter alia dixit CHRISTVM non verè sed putatione passum esse, negans insuper carnis resurrectionem, de quo *Philastrius* & *Jrenæus*.

MARIS Chalcedonensis Episcopus circa ann. 328.

Insignis hic *Arrij* sectator cum esset, *Nicena* fidei formulam reijciebat, fuisse dicens aliquando, cum non esset Filius, & eum non fuisse, priusquam genitus esset, & non ex existentibus factum, sed creatum, & mutationi alterationisque obnoxium, vti constat ex historia *b Nicephori*.

b Lib. 8. cap. 18.

MARONITÆ qui reconciliati sunt Ecclesie anno 1182.

Natio quædam *Syrorum* in Phænice prouincia habitans, quemadmodum *c Guilielmus Tyrius* testatur, cum per annos propemodum quingentos *Maronis* cuiusdam hæretici *Monothelita* errorem mordicus defendisset, & ab Ecclesie vnitatem sequestrata, seorsum sacramenta confecisset, vnam duntaxat in CHRISTO voluntatem & operationem agnoscens, fidem *Orthodoxam* vnà cum Patriarcha suo, & Episcopis nonnullis, tempore *Lucii Tertij Romani*

c Lib. 12. cap. 8.

Romani Pontificis suscepit sub annum Domini 1182. parata Romanæ Ecclesiæ traditiones omni cum veneratione amplecti & obseruare.

MARSILIUS circa ann. 1117.

Fuit hic patria *Paduanus*, viuens sub *Paschali II.* Pontifice, ac docens viros Ecclesiasticos diuitias possidere non debere, item Presbyterum non esse Episcopo potestate minorem, sed parem; & quod *Papa* potest iudicium Imperatoris subire, ipseque Imperator *Papa* succedere, Sede vacante.

MARTINVS Chemnitius sub Carolo V.

Fuit hic *Brunsvicensium* Minister etsi non indoctus, impudens tamen, & in calumniandis antiquis Ecclesiæ Patribus, eorundemque scriptis malè allegandis ac sinistrè explicandis *Magdeburgensibus Centuriatoribus* prope modum par. Qui quemadmodum illi, de quibus primus *d. Machabeorum* liber memorat, volentes sibi nomen comparare, ignominiam potius retulere (non enim erant, inquit scriptura, *de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel*: ita & ille dum hoc sibi studium sumpsit, suis vt scriptis sacri *Oecumenici Concilij Tridentini* Canones stolidè potius quàm solidè oppugnaret, ridiculum se murem, ne dum impostorem præstitit, suoque iudicio forex prodidit. Contra cuius imposturas & calumnias eruditè scribit *Lindanus* Episcopus in libris de Virginitatis voto; sicuti etiam ante illum *Indocus Rauestenius* Tiletanus, eius olim in Academia Louaniensi Præceptor Theologus longè doctissimus; nec non & *Iacobus Payva Andradius*, qui vt præfato Concilio summa cum nominis sui laude interfuit, ita etiam sacra illius decreta, in decem suis *Orthodoxarum explanationum* libris, contra petulantem *Chemnitij* audaciam, ex professo defendenda suscepit. Et mirum profecto, hunc terræ filium tale quid aggredi ausum, contra tot præclara Ecclesiæ Vniuersalis lumina, contra tot in omni scientiarum genere excitatissimos Doctores & Antistites, ipsosque adeo Christianæ Reipub. Præfules selectissimos; qui & vitæ inculpatæ sanctimonia & summæ eruditionis gloria, ceu leones robustissimi millenos facilè eiusmodi aliquot musculos contriuerint ac pudefecerint.

d. ca. 5 vers. 57. & 62.

Quinã potissimum contra Chonitium scripserint. Prodiere in officina Cholin. an. 1564.

MARTYRIANI eodem fermè tempore.

Martyriani à Petro Martyre Vermilio ita nominati sunt, natione quidem *Florentino*, Canonico autem *S. Augustini*: qui ex Italia *Argentinarum* fugiens, tandè *Oxonij* in Anglia Theologaster esse cœpit. Vbi de re Eucharistica disputationem instituens, dum argumento isti *Zvinglianorum* responderet, quo dicunt Christum reipsa esse in cœlo, & ideo non posse esse in Sacramento,

Petrus Martyr monachus habens monialera in uxorem.

mento simul, dixit *nodum esse dabo*. Verùm postea videns eos qui summæ rei in Anglia præerant, *Caluinistas* esse, ipse quoque mutata velificatione ad *Calvinum* transijt. Et vt *Lindanus* ait, cum *Zvvingliani* Christum ad discipulos die octava post Palcha ingredientem inducant per rimam, hic nouus Antichristi *Mariyr* per fenestram irrepentem introduxit. Cuius verba de cœna Domini interpretatus, *hoc est corpus meum*, accipit corpus pro figura & signo corporis, Deum negans facere posse, vt vnum idemque corpus pluribus in locis simul reperiatur; mortuus est autem *Tiguri* sub finemanni 1562. vt *Surius* in commentario refert, plura verò de hoc homine *Florimundus Ramundus* de ortu hærel. 3. cap. 5. num. 2. 5 & 6. commemorat, nempe duaseumduxisse moniales.

MASBOTHENI circa ann. 40.

Ex *Masbotheo*, vno videlicet ex septem primis illis hæreticis, qui cum Ecclesia adhuc virgo, ac nullo hæreticæ prauitatis semine commaculata esset, *Masbotheni* sunt prognati, discipuli nimirum *Simonis magi*. Qui pro se quisque proprias seorsum opiniones induxerunt. De quibus e *Euseb. Casariensis* & *Nicephorus* agunt.

e Lib. 4. hist.
c. 22.
f Lib. 4. cap.
7.

MASSALIANI circa ann. 360.

Præter multiplicia aliarum hæresum monstra, quæ sub *Constantio* Imperatore Ecclesiam vniuersalem pessum dederunt, auctor est quoque *Epiphanius* coaluisse in *Mesopotamia* eidem temporibus *Massalianorum* errores: qui quidem prodierunt ex monachis Christianis, *Mesopotamia* solitudinem incolentibus; quorum nomina h *Theodoretus* recensens, vocat eos *Daoden*, *Sabbam*, *Adelphium*, *Simeonem*, *Hermam* &c. Qui ex illa *CHRISTI* Saluatoris admonitione, qua docebat *semper orare oportere*, affirmabant orationes tanti esse momenti, vt solùm sufficerent ad omnes potestates aduersarias superandas; vnde cum essent monachi, qui subinde manuum labori incumbebant, relicto hoc corporalis exercitij genere, i cibum aiebant esse operandum qui non perit. Vnde etiam *Precatores* & *Spirituales* se ipsos nuncupabant, alios autem *Carnales*. Cæterum ad preces coibant permixti mulieribus, quod à sanctis Christianorum institutis penitus abhorrebant. Quin & nefandum insuper illud dogma excogitarunt, vt dicerent Sacramenta Ecclesiæ nec prodesse nec obesse, sed oratione solummodò peccata laxari, dæmonesque fugari. Habere item vnumquemque hominem habitantem in se dæmonem, quo nec Apostoli quidem ipsi caruerint; eum verò oratione fugari, qua aiebant posse quoque homines effici impassibiles. Duas insuper possidere homines animas, quarum alteram esse supercœlestem, seque

g Hæres. 50.
h Lib. 6. hæret. fabul.
Massalianorum hæreses.
i Luca. 8.
k Iohan. 6.

seque capaces esse corporeis oculis videndi sanctissimam *Trinitatem*, atque id genus ridicula alia complura.

De quibus equidem *Massalianis* agens *Damasceus*, dicit eis ex dogmatis præscripto fas fuisse iurare ac peiurare: docuisse item, ad libitum posse dirimi coniugia, suadereque filiis neglectum parentum, negasse pariter quemquam initiari Sacramentis, nisi super quem visibilis gratia Spiritus Sancti descenderet. Phantasticis enim huiusmodi visionibus à dæmone illudabantur, ut super eos visibili signo apparere ille videretur. Quod verò ad habitum corporis spectat, eos comas producere muliebres, & sacco conspicuos incedere solitos *Epiphanius* tradit: unde & *Saccephori* quoque nuncupati reperiuntur. Qui non solum in *Oecumenica in Ephesina Synodo* damnati sunt, verum etiam in celebri, sub *Theodosio* Iunioris habito *Concilio*, ab Ecclesiæ, quam sæpe relapsi deluserant, ingressu, penitus eliminati.

1 Hæres. 86.

m Ann. 431

n Ann. 427

MASSILIENSES seu Semipelagiani.

Hi fatebantur contra *Pelagium* & *Cælestium*, non solum gratiam externæ prædicationis, sed etiam internæ inspirationis necessariam ad salutem, nec quemquam sine illa posse seruare Legem, iustificari, perseuerare, aut vitam æternam impetrare. Et hoc quidem rectè, sed totus illorum error in eo consistebat, quod arbitrarentur in nobis quoddam esse initium, quo sine gratia, per solas naturæ vires possimus ita incipere, & conari benè agere, ut deinde gratia Dei ad nostrum conatum & desiderium promouendum, subsequeretur. Unde aiebant, gratiam subsequentem dari ex merito liberi arbitrii, non quidem de condigno, sed de congruo, & initium salutis esse ex libero arbitrio.

Beccanus

tom. 4. Con-

trou. tracta-

tus de Deo &

attributis

diuinis cap.

16. pag. 30.

MATHEMATICI, & nunc & olim.

Philastrius Brixienis Antistes, libro quem de hæresibus scripsit, etiam *Mathematicos* iisdem annumerat, veluti plurimorum scelerum & errorum authores, creaturis potius, quàm Creatori seruietes. Atque ideo *Mathematicorum* error tanquam maleficus, prohibitus est veteribus Romanorum gentiliam legibus (de *maleficis* & *Mathematicis*). Hinc & *Claudius* Imperator anno Christi quinquagesimo sexto *Mathematicos* Vrbe expulisse legitur, & *Alexander* publicam eorum in scholis professionem vetuisse, *Honorius* quoque, omnibus ciuitatibus eijci eos iussisse anno 409. Quorum gentiliacas superstitiones meritò damnant Sanctorum Patrum scripta, & maxime Pontificum Romanorum. E quorum numero non nemo ita ait o damnantur & illi qui totam humana vita conditionem de stellarum pendere effectibus mentiuntur; & quod est aut diuina voluntatis, aut nostra, indeclinabilem dicunt esse fatorum. Quæ tamen ut cumulatiuè noceant, spondent posse mutari, si illis quæ

o Leo Serm.

7 de Nestis.

Domini.

Fatorum
obseruatio
& Solis ve-
neratio su-
perstitiosa.
p Greg. hom
10. in. Euan.

aduersantur syderibus supplicetur. Vnde commentum impium sua ratione destrui-
tur: quia si prædicta non permanent, non sunt facta metuenda; si permanent, non
sunt astra veneranda. Hæc Leo. Et alius quidam arguens Priscillianistarum
hæreticorum, vnumquemque hominem certis sub stellarum constitutio-
nibus nunci existimantium, vanitatem, absit inquit, a fidelium cordibus, vt ali-
quid esse fatum dicant. Vitam qui; pe hominum solus conditor eam qui creauit, ad-
ministrat. Neque enim propter stellas homo, sed stella propter hominem create sunt.

MAXIMVS Arrianorum Episcopus, circa ann. 405.

Hic cum *Arrianae* factionis esset, asseruisse legitur Patrem Filio esse po-
tentiolem, eò quod Filium genuerit; Deum creatorem, Filium autem non.
Item Patrem potuisse gignere, non Filium & ideo potentiolem esse Filio,
Contra quem scripsit B. *Augustinus* libros tres.

MAXIMILLA circa ann. 173

q Ad Cresi
phont.
r Lib. histor
& cap. 10.

Maximilla, sicuti & *Priscilla*, ambæ fuere opulentæ fæminæ, quas *Mon-*
tanus viris ereptas, sui sceleris administras habuit, easque pariter maligni spi-
ritus suggestionem afflatas, prophetare docuit; ac per illas veluti idonea dia-
bolicæ cooperationis instrumenta, plurimas Ecclesias, primùm quidem au-
ro, dein verò hæresi, vt q *Hieronimus*, inquit, polluit. De quibus r *Nicepho-*
rus hunc in modum: *Montanus* mulierculas duas coniuges suas, *Priscam* & *Max-*
imillam, Prophetissas suas vocauit, earumque scripta Propheticos libros esse dixit.
Maligno autem spiritu plenus, sicuti & dua illa mulieres, noua quadam & insolentia
dicere cœpit, insania apertè, & dæmonum intemperis actus. Sed tandem &
Montanus & *Maximilla* spiritu velano correpti, seipso ad instar *Iuda* prodi-
toris laqueo suspenderunt.

MELCHISEDECHIANI circa ann. 196.

Theodotus
somniauit
Melchise-
dechum
Christo esse
maiores.

Circa annum *Victoris* Papæ quartum *Theodotus* quidam hæreticus erupit,
qui CHRISTVM hominem tantummodò esse asseuerauit, ex Spiritu quidem
Sancto & *Maria* Virgine pariter conceptum & natum, sed inferiorem quàm
Melchisedech quod dictum sit de eo, sicut sacerdos secundum ordinem *Mel-*
chisedech. Nam illum *Melchisedech* præcipuè gratiæ cœlestem esse virtutem;
& quod agat CHRISTVS pro hominibus, deprecator & aduocatus eorum
factus, *Melchisedech*, verò facere pro cœlestibus Angelis atque virtutibus, ef-
seque illum adeo CHRISTO meliorem vti, apator, amator, agenealogitus
sit, cuius neque initium, neque finis comprehensus sit, aut comprehen-
di possit. Fuit autem *Theodotus* argentarius seu trapezita, prorsus vt mirum
non sit, si etiam nostro hoc æuo argentarij, coriarij, cetarij, in cathedras con-

uolantes.

volantes, sua delirantis cerebri phantasmata, *Euangelici* nominis prætextu, impudenter ebuccinare conspiciantur.

MELANCHTONICI anno 1530.

Philippus Melancton huius sectæ architectus, ex *Brettano Palatinatus* oppido anno 1497. oriundus, non solum *Augustana* fabricator *Confessionis*, verum etiam plurimarum excitator *tragædiarum* tam apud suos quam nostros non immeritò audit. Qui etsi primarius esset *Lutheri* discipulus, eas tamen cum *Caluino* collusiones per epistolas habuit, ac factiones fouit, vti *Melanctonè* à suis sterili partibus sæpè gloriatos fuisse *Caluinistas*, manifestum sit. *Johannes enim Pincierus* subiicit multas Epistolas *Melanctonis*, quibus euincit eum *Lutheri* sententia de cœna Domini repudiata, in *Caluinistarum* castra secessisse. De quo & *Beza*, & *Lambertus Daneus* non sine causa gloriantur; quorum hic contra *Selueccerum* scribens de *Philippo* inquit, nullo modo dubitari potest, quin postremis cogitationibus suis nobiscum de cœna Domini senserit: iste verò in vita *Caluini*, & contra *Vestphalum* rem agens, idem omnino fatetur. Vnde implacabile sibi odium peperit *Philippus* apud suos, quòd tam varius & instabilis instar *Promethei* fuerit: prorsus vt discipuli eius turpissimam hanc instabilitatem ex scriptis eius deprehendentes, eum tantum non æternis inferorum flammis adiudicent, quem aiunt v. spiritus vertiginis & cecitatis à Deo percussum, vt postea ex vno errore in alium sit prolapsus, & tandem nesciuerit, quidnam fuerit credendum: quod manifestè veritati diuina contradixerit turpiter, & cum perpetua nominis sui ignominia.

QVOD etsi, nulla alia ex re constare posset, ipsa tamen *Augustana* per *Philippum* toties mutata, mutilata, castrata deprauata *Confessio*, vel potius *Confusio* manifesti sceleris eum latis superque arguit. Cuius quidem mutationem tam fœdâ esse dicit *Lindanus*, in dialogo *Ruevvardi*, vt eius pudore victi ipsi *Protestantium* vel primipili rogati de vera *Confessione Augustana*, quam semper crepitare solent, non habeant nisi cum pudore quod respondent: vti de *Illyrico Heshusio*, alijsque liquet. Et *Heshusius* quidem *Lutheranismi* olim apud *Heidelbergenses* professor, ingenuè agnoscit *Magistri sui Melanctonis* furtum plus quàm sacrilegium, dum loca quædam à *Græcis* petita recitat ex prima *Apologia* editione, nunc fraudulenter omissa, quæ manifestam habuerunt quondam *Zvinglianismi* refutationem. Quæ quidem *Apologia* à *Melanctone* consarcinata, pugnat ex diametro cum ipsa *Augustana confessione*; estque etiam istius crambe sæpè ab auctore cocta ac recocta, quemadmodum ipsemet ingenuè faretur ad *x Lutherum* scribens, dum ait, in *Apologia* quotidie multa mutamus. Subinde enim mutanda sunt, & ad occasiones accommodanda.

Melanchton
Melanchtoni
contrari-

Tom. 1.
thesauri
Cathol pag.
1054. & seq.
In Apolog.
confess. Aug.
c. In libello
quo Sacer-
dotum con-
iugium de-
fendit.

Eius errores
& hæreses.
& In locis
communib.
an. 1521. edi-
tis.

Arguitur à
suis Pela-
gianismi.

Capit. de
num. Sacra-
ment.

Cæterum, quàm sit sibi ipsi contrarius, quàmque enormiter secum ipse
dissideat, ex eiusmet scriptis ostendit ad oculum a *Indocus Cocus*; possuntque
& alia eius mendacia satis euidenter tum ex proprijs *Philippi* libris, tum ex
aliorum lucubrationibus, probari. Mentitur enim dum *b* ait, ante *Georgii*
Magni tempora nihil de Inuocatione Sanctorum in Patrum scriptis repe-
riri: mentitur, dum ait, manere etiam nū in Græcorum Ecclesia consuetudi-
nem, vt Sacerdotes nubant, & non solū mariti eligantur ad Sacerdotium,
nec vt nubant semel duntaxat, sed quoties voluerint, etiam decies, si ita res
tulerit. Mentitur denique, dum aliquoties affirmat (nunquam autem pro-
bat) Sacramenti Eucharistiæ oblationem pro mortuis non fuisse *Augustini*
ætate. Sed quis paucis mendaciorum eius commenta perstringere possit?
satis igitur fuerit, præcipuos aliquot eius errores ac hæreses enumerare.

Deum facit in primis peccati authorem, dum liberum negans arbitrium,
omnia ineuitabili quadam necessitate fieri *d* adleuerat, licet postea suam
hanc sententiam non nihil castigasse legatur. Accusatur porro ab *Illyrico*,
quod doceat hominem posse ad gratiam Dei recipiendam sese præparare
ex puris naturalibus viribus; sicque ex olim *Stoico* & *Manichæo*, nunc factus
sit *Melanchton Pelagianus*, vnde & *Cothurnum* illum nuncuparunt, seu cal-
ceum cuius pedi conuenientem. De baptismo verò ita sentit, vt etiam si
concedat peccatum originale per illum dimitti, neget tamen eius virtute
& efficacia peccata deleri. Fatetur quidem bona hominis opera mereri præ-
mia, sed ea tantū corporalia & spiritualia, non autem vitam æternam. Ad-
serit proinde nullum esse peccatum mortiferum præter crudelitatem. Non
distinguit inter præceptum & concilia Euangelica sed omnia vult esse præ-
cepta. Idque in lib. *de locis communib.* titulo de discretione præceptorum &
conciliorum, quos tamen libros *Lutherus* iudicat *Canone Ecclesiastico* dig-
nos, & omnium Ecclesiæ Patrum monumentis præstantiores. Negat insu-
per Euangelium esse Legem, iuxta veram & propriam Legis rationē. Quin-
& fidem ita extollit, vt per eam bonis detrahat operibus. Docet præterea
non solū omnem hominem iustum esse certum de sua gratia, verūm eti-
am omnem talem esse obligatum ad credendum se esse in gratia. Omnia
quoque necessariò euenire secundum diuinam prædestinationem, non se-
mel affirmat: licet de Sacramentorum numero ad minus quater sententiam
mutauerit, & locos suos communes (*iocos* alij vocant) identidem recusos, cum
tædio etiam ad incudem ita reuocauerit, vt sibi ipsi nunquam satisfacere po-
tuisse visus sit. Certè de Sacramentorum numero loquens in locis commu-
nib. tria duntaxat posuit; vt pote *Baptis.* *cœnam Domini.* & *confessionē*. Verūm
nec hoc in numero cōsistendum sibi ratus, in iisdem locis an. 52. recusis, ex
censura sua contra *Symmystarum* omnium sententiā, quartum etiā additum
voluit, dum *Ordinationis* Sacramentū cæteris adiungit. In iisdem porro *iocis*,
locis.

locis scribere intendebam an 58. postremò reuifis ac recoctis, ad *Matrimonii* quoq; Sacramentū animū inclinare cœpit, cū diceret sacræ rei signum esse, certā promissionē habens. Sed de hac tā frequenti dissensione, ac Sacramentorū recoctione *f. olim quidā interrogatus, cur apud Lutheranos nō admitterentur septē Ecclesiæ Sacramenta, faceret admodum respondit, duo esse supra septem, numerumque efficere nonarium. Nam Wittenbergæ teneri quatuor, Lipsiæ tria, Magdeburgi duo. Tandem verò adseruit Melancthon, non esse de numero sacramentorum altercandum, utpote cum ipse in dubio id relinqui velit.*

f. Staphylus defens. aduers. Melancthon. & alios. Babylonica turris edificatores.

SED eiusmodi solutionibus, dubijs, incertis, ac sæpenumerò contrarijs, ipse nequaquam suis potuit satisfacere discipulis ac Synergistis; à quibus diuersis imperitus est conuitijs, quibus eum tanquam hominem *subdolum, versipellem, inconstantem,* tum publicè tum priuatim exceperunt. Equorum numero est cum primis *Ioachimus Morlinus,* qui publica in lectiōne aliquando auditus est dicere. *Was Philippus in causa Bremensi gethan/da er den Sacramentschender Harden bacchium geschuset/ vnd ihme lange zeit der rücken gehalten / das vergebe ihm Gott (so es ihm anders zuvergeben ist / vnde auch fur ihn zu betten stehet.)* Ambigit hic omninò *Morlinus* de salute Præceptoris sui *Melancthonis,* utpote pro quo vix putat vllas posse prodesse preces. Idq; formalibus etiā hilce verbis testatur, dum ait, *Er ist vnser Præceptor. Vnd wir müssen ihn einen Præceptorem nennen: wens aber kompt ad locum de coena Domini, de libero arbitrio, de iustificatione hominis peccatoris coram Deo, de Interimisticis actionibus, da lobe dich der Teuffel Philippe, ich nimmermehr: ereptus est enim ex hac vita ad iudicium & horrendum tribunal Filii Dei uiuentis, ubi iam causam suam dicit: dabey müssen wirs bleiben lassen.* Nec est quod quisquam miretur discipulum de Magistro ita sensisse, quando etiam alius quidam ex popularibus *Melancthonis* monuit illum, ut nigredine ac falgine expurgatus (alludit enim ad hocce eius cognomen quod terram designat nigram) mentem induat nitidiorem, idque hoc disticho.

Si quid habes nigri, quaeso te chare Melancthon:

Eluito, & magnos maximus inter eris.

Sed quis *Æthiopem* vnquam dealbari vidit? Suppuduit quidem *Philippum* cognominis germanici quod ideo in Græcum commutauit, sed hæreticæ deformitatis nigredinem haudquaquam deposuit, prout lepidus quidam nostræ ætatis Epigrammatarius eidem obiicit his versibus.

Tentonico nigro pudefactus nomine terra,

In Græcum mutas, triste sed omen idem est.

Quid nigredo sibi tua vult? non (obsecro) salum:

Terrenum te vis esse, sed & Stygium.

Alba ut honorificis terra est aptissima vasis,

Sic te ignominia vas nigra terra facit.

And. Fralsius.

Cæterum quod diximus *Melanchtonem* à Caluuii stetit partibus potius quàm *Lutheri*, maximè in re Sacramentaria, constat ex *Peucero* eius genero, qui fateatur, sæpè se vidisse socerum suum *Philippum* flentem, quòd in causa cœnæ Lutherani Calvinistis non accederent. Anno enim 1545. hunc in modum *Theodoro Vito* scripsisse *Melanchton* legitur: *Scio me videri à multis, & facile fero, vellem & illos & alios introspicere meum cor. Si tantùm lachrymarum fundere possem, quantum undarum noster Albis pleno vehit alueo, non posset exhauriri meus dolor, ortus ex hac dissensione.* Hæc ille: qui fœlix planè fuisset, ac magnus inter magnos censendus, si consilium quod nobili cuidam *Iohanni Bartholomæo* à *Welberch* olim dedit, ut nimirum à Catholico communicandi atque orandi ritibus non discederet, ipsemet amplexus secutusque fuisset, & idem faciendum *Hermanno* à *VVeda* Archiepiscopo Coloniensi, cum *Bonna* eidem anno 1543. adesset, suggessisset. Verùm uti nuper aiebat ille: ereptus est ex hac vita (quod contigit anno 1560:) ad iudicium & horrendum tribunal Filii Dei uiuentis, ubi iam causam suam agit. Causam, inquam, quam dum adhuc viueret ipsemet detestatus legitur. Quando ad præfatum *Ioh. Bartholomæum* à *Welberch*, ita scripsit: *nullum habeo dignum in manu mea, cuius iactura non optarim, me nunquam ad scribendum de rebus Theologicis accessisse. Verùm longius progressus sum, quàm ut regredi possim. Unde das bey willen wirs auch bleiben lassen.*

Scribit hoc
VVolffgan-
gus agricola,
Decanus
Spaltel. in
concione de
marimon.
Melanchton
obijt. 1560.

MELCHIOR RINCK. sub Carolo V.

Heresiarcha
huius vita,
ac morum
descriptio.
In fine lib.
2. histor.
anabapt.

Præua eius
dogmata.

Illa tempestate qua *Anabaptistarum* furor longè lateque grassabatur, fuit in superiore Germania primarius quidam eorum Dux *Melchior Rinck*, homo si quisquam alius, fraudulentus sanè, & in promouenda hæresi singulari quodam præ alijs, uti f. *Meshowius*, ex quo hæc desumpsimus, de eo testatur.) astu præditus. Vtpote, qui à primo sectæ exortu cum *Pelargo* & *Muncero* Versatus, eorum imposturas, atque alias circumueniendi alios astutias probè obseruauerat & imbiberat. Quem eius idcirco discipuli, uti veteranum militem, nedum Prophetam insignem suspiciebant. Vtpote cum vitam quidem ille duceret asperam & rigidam, mores autem haberet comes ac ciuiles: frequentes insuper de Deo, visione beatifica, præmijs in cælo suis repositis, sermones misceret, prorsus ut alterum quasi *Moysem* nuncuparent. Qui præter cæteros quos cum *Anabaptistis* errores communes habuit, aiebat opera suæ sectæ hominū, quantūlibet fœda & turpia viderentur, sancta tamen esse, & apud Deum meritoria. Neque enim se arbitrari, multò minus credere posse, eos qui semel mundo renunciasent, vel leuissimum peccatum admittere posse: quapropter non magno-perè curandos esse, qui carnem Spiritui subiiciendam damnandamque præ-

præscriberent. Hæc summam ex *Meshouio*; qui quo mortis genere sceleratus hic impostor interemptus sit, incompertum se habere asserit.

MELCHIORITÆ eodem planè tempore.

Trahunt hi nomen à *Melchior Hoffmanno*, Anabaptisticæ factionis homine. De quo superius actum in titulo *Hoffmannista*. Qui adeo turgebat superbia, ut anno Christi 1532. Argentoratum profectus, Euangelicis ibidem Ministris disputationem offerret. Cuius dogma fuit, Dei verbum non ex Maria Virgine carnem assumpsisse, sed ipsum in carnem esse mutatum. Docuit etiam, positum esse in hominis cuiusque viribus, ut æternam salutem mereatur. Item, si quis post acceptam gratiam, vel semel volens sciensque peccet, eum nunquam in gratiam recipiendum esse, qui *Novatianorum* error est. Sunt qui *Hoffmanno* quoque huic tribuunt corporale Christi regnum per annos mille cum *Chiliasis*.

MELETIANI. anno 306.

Meletius Lycopolis in *Agypto* Episcopus, infaustum planè schisma anno g *Apolog.* 2^o Christi 306. iuscitavit. Quem g *Athanasius* oculatus quodammodo testis, ait multis conuictum criminibus, & in primis quod idolis sacrificasset, in communi Episcoporum Synodo depositum à *Petro* Episcopo *Alexandrino*, in quem ideo multa conuitia calumnialque confinxit. Quinimò constare ait h *Baronius* hunc *Meletium* non solum fidem negasse & idolis sacrificasse, verum etiam pro *Maximino Imperatore*, tum aduersus ipsum *Petrum*, tum aduersus cæteros eiusdem *Alexandrina Ecclesia* fideles diram persecutionem exercuisse, & multos præuaricari coëgisse. Cuius quidem *Meletiani Schismatis* occasione aliqua ex parte constat *Nicanum* coactum Concilium; in quo etsi sedatum illud schisma fuit, ipse tamen *Meletius* haud longè post k *Lycopolim* ad Ecclesiam suam reuersus, non solum contra *Synodi* huius decretum ordinavit *Arsenium* Episcopum *Hypselitarum*, verum etiam *Iohannem* vnum ex familiaribus suis *Lycopolis* suam in locum successit; sicque Ecclesias denuò conturbandi, auctor & causa extitit. Cuius sectatores post ipsius obitum *Arrianis* sese sociauerunt.

MENANDRIANI circa ann. V. Lini Pontificis,

l *Tertullianus* recensens aliquot primæuæ ætatis hæreticos, *Simonem* Magistro immediatè subiungit patriotam ac primogenitum suum *Menandri* Magistro discipulum, Samaritano Samaritanum, Magum denique mago. Qui natus in vico *Carparetaia*, sectatoribus suis minimè morituros esse persuasit. Vnde m *Tertullianus* salibus suis eidem egregiè illudit, quod licet

l Li. de præscrip. in primici. cap. 46.
Menandri patria & hæreses.
m Lib. de anima cap. 50.
licet

licet tanta suis polliceretur, per paucos tamen discipulos acquirere potuerit. Negabat proinde, quemquam salute potiri posse, qui in nomine suo baptizatus non fuisset; addens mundum non tam à Deo, quam ab Angelis conditum, ut habet *Damasceus*.

MENAS Diaconus sub annum 315.

m Lib. 8. hist ca. 8. De *Mena* agens *Prateclus*, dicit eum primò quidem Catholicum fuisse Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconum, sed *Arriane* postmodum perfidiæ adhæsisse, ideoque ab *Alexandro* eius vrbis Episcopo ab Ecclesia proscriptum, locoque motum. Cuius ea de re apud *m Nicephorum* reperitur Epistola: in qua percensentur huius *Mena* aliorumque lociorum eius *Arrianorum* impiæ de Christo sententiæ; scilicet non semper Dei Verbum fuisse, sed ex non existentibus factum esse; peregrinum quoque & alienum, segregatumque fuisse Verbum à substantia Dei, atque id genus alia.

MENOPHANTES tempore Concilii I. Nicani.

n Orat. de Patrib. Nicani Concil. Fuit hic *Ephesiorum* Episcopus, Philosophicis facultatibus insigniter imbutus, sed *Arrianismo* infectus, qui anno Domini 325, dum concilium Nicænum celebraretur, conspicatus præstantissimos aliquot ibidem Philosophos à simplicibus nonnullis ac non admodum eruditis Episcopis, ita confundi ac superari, ut penitus obmutescerent, deserto mox *Arrianismo*, uti testatur *n Gregorius* Presbyter, Orthodoxis adhærescere cœpit.

MENOPHYSITÆ, circa ann. 452.

Horum Princeps exiit *Theodosius* quidam Alexandrinus, à quo etiam *Theodosiani* nuncupati sunt, uti suo loco dicetur, qui respuebant Concilium *Chalcedonense*.

MENONITÆ sub Carolo V.

Menno bo- mo sedia riosus & polygamus Lindan. Dial. 2. Dubitant. pag. 171. Sicuti *Lutheranis* dignum erat habere Patriarcham sacrilego se matrimonio contulerantem; *Caluinistis* verò etiam præpostera libidine flagrantem; ita quoque *Anabaptistas* decebat habere factionis suæ incitatore seu propagatorem, polygamix fœditatem consecrantem suosque ad eandem cohortantem. Is autem fuit *Menno Simonis*, natione Frisius, vasticie verustissimus: qui in *Vitmarsum* Pastor, cum tumultum in Frisia, occupato à discipulis Monasterio veteri, vulgo *Dide Closter* / & multorum recuperato, concitasset, diuersos suæ perfidiæ ministros reliquit, qui *Bataviam*, *Frisiam*, & circumuicinam *Embdanam* regionem miserè contaminauerunt.

Non

Non enim contentus violasse baptismatis Sacramentum, etiam CHRIS-
 TVM negavit ex virginis carne seu humana substãtia proinatũ, sed ex Patris Mennonitarum hæresis.
 substãtia cœlitus attulisse corpus, ut ait in colloquio *VVismariensi*, & o alibi:
Credimus, inquit, totũ Christum Iesum cœlestem & terrenũ, internum & externũ,
visibilem & invisibile, esse primogenitũ & proprium Dei filium, imperceptibile atque o In lib.
eternũ verbũ &c. Solent *Mennonita* etiã hoc insuper observare, ut eos qui ex a- Germ. de
 lijs *Anabaptistarũ* sectis ad ipsos transire cupiunt, tertio baptizent. Alias quo vera fide
 ad externæ vitæ cultũ attinet, magnã pietatem atque modestiam præ se fe- pag. 329.
 runt: verũ si intimos eorum recessus penetrare liceat, non ea sanctitas pe- Tertio bap-
 nes eos invenitur, quam externa morum compositio promittit. Hi se post tizant.
Anabaptismum negant posse peccare, cum caro duntaxat peccet. Vxores p In Dubi-
 quoque habent communes, nec patiuntur eas suis maritis infidelibus de- tant. pag.
 bitum conjugale reddere, uti est apud *p Lindanum*, qui se improbum hunc 171.
 hominem *p* novisse asserit gloriantem de miraculis suis *VVismaria* anno q Ibid. pag.
 1555. perpetratis; & maximè circa *Vincentium* quendam Lutheranum, qui 277.
 cum pro suggestu minitaretur *Anabaptistas* sese infamaturum, dum os sibi
 esset patulum confestim obmutuit, ægerque domum deportatus est. *Sed si-*
dem inquit, *hu habeant, qui perfidis impostoribus aures præbere solent.* Et mox sub-
 iungit *Certè si hæc sui Evangelij vi fecit Menno, mirum cur se tot per annos clau-*
dicantem, sanare nequiverit.

METAMORPHISTÆ sub eodem.

Hi *Sacramentaria* factionis sunt, asseuerantes CHRISTI corpus, post-
 quam, ascendit in cœlum, planè Deum esse factum: omninoque propriè di-
 ci debere, *corpus Christi est Deus*: Ita sentit inter cæteros *Svvenckfeldius* in li-
 bro de duplici statu Christi, testante *Staphylo*.

MENTAGISMONITÆ circa ann. 221.

Horum quidem hæreticorum mentionem facit *r B. Augustinus*, sed quis r Lib de hæ-
 eorum dux & antesignamus extiterit, haud quaquam prodit. Vocantur au- ref. cap. 58.
 tẽ ab *αγγειον* quod latinè vas significat, & *μεταγγεισμος* dictione cõposita,
 quæ infusio unius vasis in aliud dicitur quasi *Transuasantes* vel *Inuasantes*.
 Vtpote qui Filium esse in Patre dicebant, sicuti vas paruum in vase maiore; lib. de hæ-
 ita Filium minorem Patre facientes. De qua hæresi etiam *s Philastrius* agit. resib.

MICHAEL Balbus Imperator obiit ann. 829.

Extant annales publici *Zonara Cedreni*, & aliorum, qui res gestas Græ-
 corum Principum percensentes, quis qualisue hic Michael cognomento ac
 re *Balbus* fuerit, manifestè produnt. Quippe qui *Copronymum* in omni-
 bus

*Eius crude-
litas & ha-
ereses.*

bus imitatus. Orthodoxos oppugnauit, & exilio mulctauit; homo nimirum impius ac scelestus: plus Hebraicæ superstitioni, quàm Christianæ religioni addictus. Qui resurrectionem carnis pernegauit, & ob id Prophetas & Apostolos, qui eam prædicauerant, irrisit: qui fornicationem licitam esse docuit, & cœlibatum sacrum vsque adeo contemptui habuit, vt Virginem sanctimonialem è monasterio extractam, sacrilegè sibi sociaret. Qui *septimam* insuper *Synodum* Oecumenicam, atque ab *Adriano* Pontifice approbatam, respuit, sacrasque imagines nullo honore dignas censuit; qui *Iconomachis* denique impensissimè fauit, & plurimos orthodoxæ fidei professores exilio, carcere, morte affecit.

MICHAEL Sellarius sub Carolo V.

Fuit hic vti antea monachus, ita postmodum *Anabaptistarum* Rotenburgi ad Neccarum antesignanus, docens non esse in Sacramento Eucharistiæ corpus & sanguinem Christi, non esse baptizandos pueros, non præstandum iuramentum superioribus, non resistendum Turcis, non inuocandos Sanctos &c. Qui idcirco ibidem à magistratu apprehensus, meritas luit sceleris sui pœnas, anno vt habet *Surius* 1527 die 17. Maij. Nam excisa est illi primùm per Carnificem lingua. Deinde super currum alligato forcipibus candentibus bina sunt carnis frustra in foro extracta. Quod platearum quinquies adhuc contigit, postremò verò corpus eius in cineres reductum est.

MICHAEL Seruetus, de quo in titulo Seruetiani.

MOLOCHITÆ & Remphamnitæ in Veteri Testamento.

*rLeuit. 18.
& 20. Et
Hierem. 3.
v In theatro
terra Sanctæ
pag. 169.*

Hi idololatriæ seruentes, & *Moloch*, sicuti & *Rempham* Ammonitarum idolo liberos suos sacrilegè immolantes, malè passim in Scripturis audiunt, utpote contra expressam Dei & Legem agentes, eumque grauissimè offendentes. Erat autem idolum *MOLOCH*, vti ab *Adrichomio* describitur, æneum figura Regis fabrefactum, intus concauum, cuius caput vitulum, pars verò reliqua hominem exprimens, brachia ad immolandos pueros habebat extensa; qui vehementi idoli calore inter hoïce nefarios amplexus comburebantur. Cum enim ex igne in idoli concauitate subiecto, id totum factum esset ignitum, tum impijssimi parentes crudelitate incredibili charissima sua pignora filios & filias detestandis hisce complexibus cremanda tradebant, eaque diabolica quadam deuotione, in holocaustum foedissimi odoris dæmonio *Moloch* offerebant. Ne verò in horrendis illis tormentorum cruciatibus miserabilis puerorum clamor exauditus, parentū viscera posset commouere, Sacerdotes *Moloch* quã diu sacrificiū durabat, rauco tubarum clangore, atq; ingenti tympanorum strepitu æthera vndiq; & aëra complebant

MONAS

MONASTERIENSES anno 1534.

Monasteriensis vrbs, *Westphaliae* totius metropolis, vti olim ob sordidam illam *Anabaptistarum* hæresim, de qua superius dictum, infamis fuit; ita postmodum celebris reddita est, & nunc longè sub Venerabilium Societatis IESV Patrum cura celebrior, inque orthodoxa fidei soliditate constantior facta, vtpote clero splendens, ciue frequens, & studiosa iuuentute florens. Prorsus vt quidquid tunc maculae (quæ tamen externorum potius istorum nebulonum nequitia, quam domesticorum operâ eidem iniusta est) contraxit, abundè nunc eluisse censenda sit.

MONOPHYTISITÆ anno 535. sub Agapeto Pontif.

Hæresis huius authores ac propagatores fuere *Iohannes Philoponus*, *Petrus Cnaphæus*, *Seuerus Antiochenus*, *Dioscorus Gainus*, alij: ideo Monophysitæ dicti, quòd vnâ illi duntaxat Verbi & carnis naturam, post ineffabilem vñionem in CHRISTO esse senserint ac docuerint. Qui etiam *Monothelita* ideo nominati sunt, ab vna tantùm voluntate & actione diuina, quam CHRISTO videlicet tribuebant: vnde & *Theopaschita* quoque audiunt. Quorum hæresis, *Nestoriana* ex diametro repugnabat. Quam damnauit non Solùm *x Seuerinus* & *y Iohannes IV. Pontifex*, verum etiam *z Theodorus Papa* in Synodo Romana & *a Martinus* in Synodo Lateranens. Imo ipsa quoque *b Synodus Sexta Oecumenica*, in qua plenissimè confutata fuit, atque in perpetuum damnata. Huic hæresi addictus fuit *Heraclius Imperator*, qui ad eam stabilendam, publicum promulgauit edictum, quod *ethesin*, hoc est expositionem nominauit eandemque toties damnatam, *c* postmodum restituere nequicquã conatus fuit *Philippicus Bardanes Imperator*. Quin & *Monothelitarum* errorem iterum reuocarunt *Svvenckfeldiani*, *Mennonita*: quia *Monothelita* ramusculus erant *Eutychetis*.

MONTANISTÆ anno 173.

De *Montano* hæresis huius initiatore dictum est aliquoties superius, & maximè in titulo *Cataphryges* & *Maximilla* Qui quidem fuit natione Phryx, prognatus viro quodam cui nomen *Ardaba*, cœpitque venenata sua dogmata spargere sub annum *Aniceti Pontificis* septimum. Christi verò 173. Quorum hæresis eò fuit perniciosior, quòd in omnibus speciem quandam pietatis præ se ferrent & donis prophetiæ ac miraculorũ ornati apparerent. Atq; ideo (vti docet qui de ijs *d* scripserunt) non solùm Scripturas oēs cum Catholicis reciperet, ac de Patre, Filio ac S. Sancto paria cū Ecclesia sentiret: sed & discipl. Ecclesiasticã arctissimè seruare, ieiunia, martyria, continetiam, aliaque

Epist. 54.
ad Marcell.
Montanus
fuit eunu-
chus Prophe-
tæ insanum a-
gere cepit.
Afferit se
esse Paracle-
tum à Chri-
sto discipulis
promissum.

Ex Monta-
ni secta mul-
ta fuere ex-
orta secta
dissecta.

Lib de
præsc. cap. 52

g Ann 398.

H Euseb. lib.
5, histor. c. 15

aliaque cuncta quæcunque in pretio apud Catholicos essent, excolere diligentissime curarent. Quod verò ad ipsum *Montanum* spectat, eum *B. Hieronymus* abscissum & semiuirum appellans, eunuchum fuisse testatur. Qui quidem nuper baptizatus, propriæque gloria excellentiæ elatus, insatiabili primatus cupidine inflammatus; malo spiritu exagitatus, furioso impetu ac peregrinis vocibus Prophetam profiteri cœpit; nactus ad eam rem duas quas seduxit, & à maritis abduxit, nobiles & opulentas fœminas *Priscam* (quam alij *Priscillam* nuncupant) & *Maximillam*. Cuius quidem *Montani* primarius maximusque error fuit, quòd diceret se esse *Paracletum* illum spiritum veritatis, qui promissus esset Apostolis, doceretque insuper Trinitatis vnicam duntaxat personam esse. Præter quæ & alios etiam errores ac hæreses *Montanistæ* docuerunt, absurdaque plurima obseruanda instituerunt, utpote tres quadragesimas, mortuorum baptismum, monogamiam, Prophetarum contemptum; utpote quos aiebant arreptitios esse, non intelligentes ea de quibus loquuntur aut affirmant. Aduersus quos scripsit *Claudius Apollinaris Hieropolitanus Episcopus*.

E T. quidem ipso sectæ *Montani* exordio, mox a seclæ eius, uti & nostro hoc æuo in *Lutheranis* & *Caluinianis* cernimus, inter se diuidi cœpère, ita ut eorum quilibet de suo nomine sectam erigere adamauerit; nonnulli enim eorum dicebatur κατὰ *Phrygas*, alij κατὰ *Proclium*, quidam κατὰ *Æschenem*, uti de illis fatetur *Tertullianus* priusquam *Montanizare* inciperet. Quam seuerè autem exagitati sint *Montanistæ* ab *Arcadio* Imperatore g. decreto nimirum capitali supplicio in eorundem receptores & occultatores, constat ex *Codice Theodosiano* de hæreticis l. 34, h. Iple verò *Montanus* sua cum *Maximilla* laqueo tandem sibi ipsi mortem conscivit, fœdeque expirauit.

M O S E S Pseudopropheta in Creta circa ann. 437.

i Lib. 14 ca.
40.

Iudæis hic
impostor
Mosen se
fingit: uti
Montanus
Paracletum.

Nicephorus de hoc Pseudopropheta rem lepidam scribit, quam totidem verbis *Prateolus* describit, dicens se illum ob suam perfidiam & lumnam imposturam cæteris hæreticis annumerare. Persuaserat enim *Cretensis* cretizando planè ac mētiendo, se *Mosen* esse Prophetam, qui Iudæos per undas maris tanquam per continentem ducturus esset, modò facultatibus omnibus, ac pecuniis spontaneè renunciantes, fidem sibi commodarent, certoque tempore præsto forent. Dictum factum. Adest constitutus profectiois dies, adsunt Iudæi cum liberis, coniugibus; conscēdunt scopulum quendam editissimum in pelagus excurrentem, è quo iubentur præcipites se dedere, ac natatui tradere. Parent similiter; sed plerique illorum vel scopulis illisi, vel in profundū demersi piscibus escafacti sunt, nisi quos piscatorum quorundam sedulitas, prælentissimi periculi discrimine eripere potuit.

MUNTZERICI sub Carolo V.

Thomas Mun'zerus seu Monetarius homo non solum profligatæ conscientiæ sed & obstinatæ malitiæ ac sæuitiæ, ex nido *Nicolai Eiconia*, velut mali corui malum ouum exclusus, sub initium Caroli quinti; circa annum Christi 1524. cornua sua cœpit erigere, ac gloriari, se totum orbem Gedeonis gladio, diuinitus sibi tradito, subacturum, ac nouum Christi regnum postliminio restauraturum; docens puerorum baptismum non esse ex Deo; libertatem per Principes extinctam, armis vindicari oportere; infideles omnes cum Principibus & Magistratibus è medio tollendos. Unde plebem ad arma concitans, funesti illius tumultus Author exstitit, quem *Rusticanum bellum* vocitare consueuimus; in quo ultra centum hominum millia, intra vnus anni decursum interiêre. Qui quidem *Muntzerus* suo cum collega *Petro Pfeiffero*, Scripturis contemptis, visiones suas atque apparitiones multum iactabat, & sacra interim Biblia despectui habebat, idētidem cachinnans, ac dicens; *Quid? Bibel, Babel, Babel, Babel*: atque hoc ipsius quasi dicterium erat. Cæterum quantæ crudelitatis fuerit, patet ex epistola, quam in ipso seditionis furore ad furibundos fratres scripsit, cuius notabile fragmentum aliquod reperitur apud *Calparum Vlenbergium* causa 22. pag. 797. Colonien: editionis. Cui eum à *Georigo Saxonix Duce* in tortura obijceretur, quod tantam hominum multitudinem turpiter deceptam in exitium præcipitasset, his verbis sublato cachinno respondisse dicitur: *non aliter voluerunt*. Quem tamen antequam capite plecteretur (captus enim fuit *Francusi* vnâ cum præfato Collega suo *Pfeiffero* apostata k *Ad an. Monacho*) k *Surius* scribit ex animo doluisse, errores reuocasse, exemolo- 1525. gesin instituisse, ac sub altera denique specie Eucharistiam accepisse.

MVNDANITÆ.

Tali nominis clatura indigat *Philastrius* sectarios illos, qui mundum non mutari, sed in eodem statu semper mansurum, etiam post communem & generalem omnium nostrum resurrectionem, asseuerauerunt. Quod cum 1 Matth. 24. 35. diuinarum testimonijs literarum repugnet, erroneum planè censendum est. CHRISTVS enim expressè ad discipulos ait; *l' cælum & terra transi- m Isai. 65. vers. 17.* bunt. Et apud m Euangelicum vatem dicit Dominus: *ego creo cælos novos, & n 2. Petr. 3. vers. 10.* terram nouam. Et n Apostolus; *cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem & quæ in ipso sunt opera, exurentur.*

MYSORITÆ. ante natum Christum.

Idem quoque *Philastrius* eodem illo libro de hæres, asserit apud Iudæos olim

1 Reg. 6.

04. Reg.
cap. 14

olim fuisse idololatrias, qui sorices colerent, ducta huius abominationis origine ab *Allophylorum* Sacerdotibus & diuinis; à quibus, vti primo Regam volumine legitur, Philistinorum Principes & Satrapæ, cum propter arcam à se captam, diuinitus punirentur, quinque mures aurei facti sunt: quorum exemplo Iudæi illi insistentes, mures colere cœperint, indeque *Musorita* nuncupati sint.

MVSCARONITÆ.

Deriuatio huius nominis seu sectæ venit à *Musca* & *Accaron*, regia Philistæorum Vrbe, in qua musca & muscarum Princeps *Beelzebub* iolemni ritu colebatur. Quem cum super ægritudine sua coluisset *Ochofias* rex Israel; diuini numinis indignationem incurrit; cui idcirco per Prophetam dictum, *o de lecto super quem ascendisti non descendis, sed morte morieris.*

MVSCVLANI sub Carolo V.

Ab *Andrea Musculo* dicti sunt *Musculani*, suntque *Lutherane* factionis. Qui in *Stancarum* & *Osiandrum* inuectus, docuit Christum esse non modo secundum vtramque naturam Iustificatorem, verum etiam diuinæ eius naturam in cruce & passam & mortuam. In cuius blasphemiam confirmationem asserit *Lindanus* libellum eum edidisse nomine *Lutheri* idem affirmantis. Quem quidem *Musculum* lepidis aliquot versibus alloquitur *Erasmus*, è quibus eccum istos.

p Epigram-
mate 26.

*An tibi non censes hominemq; Deumq; timendum
Muscule? non selem muscipulamque canes?
Sacrilego violas diuina charismata rictu,
Sordibus ac fuscis mystica vasa replet.
Sanctorum rodus mutilasq; volumina Patrum;
Quàm timso pereas, Muscule stulte, male.*

N.

NAASIANI circa ann. 120.

q Ad Ann
120.

De hoc nomine non habeo quod dicam, nisi quod q *Baronius*, cum de *Gnosticis* agit hæreticis, eos diuersis fuisse nominibus appellatos, affirmet, fuisseque etiam *Naasianos* nominatos.

NAZARÆI ante Christum & post.

1 Panar. 17.
cap. 8.
Iudæi Naz-
arenæi.

Sciendum apud veteres *Iudæos*, sectam olim *Nazæorum* fuisse valde celebrem: qui vt r *Epiphanius* Author est nec sacrificia nec libros *Mosis* cum cæteris communia haberent, & ab animatis insuper velut

velut immundis abstinere. Post natum verò Christum, contigit etiam Christianos hoc nomine vocitatos fuisse, & ipsam Christianam religionem, *sectam Nazarenorum* nominatam fuisse in Apostolorum actis legimus; perseveravitque eiusmodi nomenclatura quousque omnes æquè ceperunt dici *Christiani*. Tunc etenim *Nazarenorum* nomen hæresis duntaxat remansit. Quorum duplex equidem extitit differentia. Alij namque fuerunt ante Christum Iudæi scilicet, vt diximus. Alij post Christum, de quo similiter ex *Epiphano*, quòd nec sacrificia nec Mosaicos libros cum cæteris agnoscerent. Cùm interim circa annum 74. post cladem Hierosolymitanam in *Berrheorum & Decapoli* emeruisse *Nazareos* nonnullos t *Epiphanius* t *Hæres.* 29. inquit, qui quòd Christo credidissent, nacti sunt Euangelium *Matthæi*, licet v *Theodoretus* dicat vsos esse Euangelio apocrypho secundùm *Petrum*. Cuius quidem *sectæ* asseclas suo tempore in Oriente viguisse, ac *Minaeos* nuncupatos esse ait. Christianè Nazarenè. sca. 24. v. 5. Hæretici Nazarai. u Lib. 2. hæret. fabul.

NEPOS AEGYPTIORUM Episcopus an. 260.

Quiescente bellorum tumultu Aegypto, extitit ibidem circa annum Christi 264. *Nepos* quidam Episcopus Catholicus, qui *Millenariorum* sententiam, à magnis viris assertam, & tunc nondum satis ab Ecclesia proscrip- Chiliasarū errorem confirmat Nepos. tam, editis aliquot voluminibus propugnatum iret, sibi que complures sectatores acquireret. Cui opinioni iam in hæresim succrescenti, vt tempestiuè obuiam iretur, & malum ipso in germine enecaretur, x *Dionysius* A- x Lib. 7. histor. cap. 19. lexandrinorum Episcopus illud tum scriptis contrarijs, tum viua voce compressit. Addit porro y *Nicephorus* eundem hunc *Nepotem*, in Legem, Prophetas, & Euangelia blasphemum extitisse, eaque pro nihilo habuisse. y Lib. 6. histor. cap. 21.

NESTORIANI circa ann. 430.

Nestorius ex monacho & Presbytero Ecclesiæ Alexandrinæ magni quò- Nestorius zelosus antea Catholicus extitit. dam nominis adscitus est ad Sedem Constantinopolitanam anno Christi 428. deditque pellendis hæreticis non solum salutare *Theodosio* Imperatori consilium, sed & *Arrianorum* Ecclesiam, in qua clam preces fundebant, demolitus est, aliosque quoscunque, prout vt magni erat zeli vir, hæreticos insectatus, interque illos etiam *Novatianos*. Sed aliquantò post ex pastore in lupum conuersus Christi gregem lacerare cœpit, fontem hæreseos hauriens (hoc etenim hæreticis omnib. familiare ac proprium) ex Quidnam hæreticis omnib. proprium. more mentis, neglectaque SS. Patrum, antiquarumque Ecclesiarum traditionum contemptu. Qui sicuti *Pauli Samosatani* hæretici nepos legitur extitisse, ita quoque discipulus fuit *Theodori* nefarij illius *Mopsuesteni* Episcopi, ita vt ab illis quoque eò facilius hæresim didicisse cense- Qui meritò queat.

Nestoriana
hæresis ac
blasphemia.

z Ann. 431.
Ab Episco-
patum ab-
soluitur.

In exilium
relegatur.

Horrenda
tandem
morte ex-
tinguitur.

Scripta eius
edicto Theo-
dos. Imp.
conquirun-
tur ac com-
buruntur.

a Dial. 2.
Dubit. pag.
193.

b Epist. ad
Calosyr.

d In locis
com. mun.

loco de Ec-
cles. pa. 481.

Qui dū se duas in CHRISTO substantias distinguere simulauit, duas intro-
duxit repētē personas; & inaudito scelere duos voluit esse Filios Dei, totidē-
que Christos, vnū qui Deus sit; alterū qui ex matre generatus. Atq; ideo sa-
crilegè asseruit Deiparā Virginem Mariā non *Theotocon* sed *Christotocon* esse
dicendam. Quia scilicet ex ea non ille CHRISTVS qui Deus, sed ille qui e-
rat homo, prognatus sit. Quem confutare aggressus est *Cyrillus* Alexan-
drinus, hortarique ab errore desistere, edens duodecim capita aduersuse-
ius hæresim. Qui z *Ephesum* veniens ad Concilium Oecumenicum, cū
monitus acquiescere nollet, non solū damnatus est ac sede deiectus, ve-
rū etiam scripta illius omnia flammis exuri iussa sunt. Cū autem qua-
driennio in Monasterio Sancti *Euprepii* Antiocheno pro agenda pœniten-
tia demoraretur, maioreque obstinacia animum induraret, denuò aggres-
sus est impietatis dogmata cudere ac publicare: ita vt necesse fuerit & illa
igne concremare, & ipsum in teterrimam *Oasenam* solitudinem *Petras* no-
minatam relegare: vbi plurima perpeffus ob mutata sæpius exilij loca, tan-
dem lingua vermibus exesa, ac toto computrescente corpore, miserandum
in modum extinctus est anno Christi 436. *Theodosius* verò anno superiore,
vt discordiarum diuersarum leminarium tolleret, ipsos *Nestorij* libros da-
mnans, illos vbique conquiri ac comburi mandauit: ac ne quis deinceps le-
gere, retinere, aut in disputationibus allegare auderet prohibuit, adhibita
pœna publicationis bonorum.

DE nostris porrò *Novatoribus Nestorizantibus* agens a *Lindanus*, dicit
Lutherum in comment. ad Hebræos, interprete *Bucero* cū *Nestorio* disertè
negasse Christum esse hominem omnipotentem, & posse eiusdem Christi
diuinitatem pati. Quin & *Antimariani* cum eodem inficiantur, Mariam
Virginem Christi esse matrem. Similiter etiam *Lutherani* cum *Nestorio* ne-
gant, sacram Eucharistiam habere corpus Domini extra vsum Sacramen-
ti, sicuti teste b *Cyrillo* olim ille negauit.

NICOLAUS Ciconia sub Carolo V. circa ann. 1522.

Nicolaus hic, cognomento *Ciconia*, vulgò *Sterck*, homo fuit male feria-
tus, & *Anabaptistica* sectæ profeminator, adeo quidem demens & temera-
rius, vt iactaret, se, si quem intueretur, ex solo duntaxat intuitu iudicium
facere posse, an is in electorum numero esset, nec ne. Ex cuius *Ciconia* nido,
primū *Thomas Muntzerus*, cū tumultuantium rusticorū agmine proserpsit.
Qui quidē *Ciconia* prout homo sui erat cerebri, videri volebat se peculiari
quadam diuini Numinis virtute afflatum, quemadmodū d *Johannes Mau-
lius* hisce verbis testatur. Solebat, inquit, referre Angelum Gabrielem secum
locutum esse ac promississe, se fore Reformatorem Ecclesie, sibi que promissum esse
regnum Ecclesie. Sed quis dubitet quin idem ille Angelus fuerit, qui intem-
pestæ

peſtæ noctis ſilentio cum *Luthero* de Miſſa miſſa faciendâ dilceptare ſolitus ſit, quique *Zvvinglio* inſuper apparuit, ipſomet, *aterne an albus fuerit*, ignorante? Solet enim facilè e transfigurare ſe *Satanas* in angelum lucis, apud tales maximè quos videt ſtudio decipiendi animas teneri, vt eos diabolicis ſuis artibus inſtructiores efficiat, vtpote mille artifex.

e 2. Corinth
11. verſ. 14.

NICOLAUS Galecus circa ann. 1434.

De hoc hæretico ſcio nihil me apud quenquam legiſſe, præterquam, *Prateolum* aſſerentem illum fuiſſe Presbyterum atque artium Baccalaureum, vnumque eorum qui legati à Bohemis ad Concilium Baſileenſe ſint *Sigismundi* Cæſaris tempore. Quem dicit inter reliquos ſuos errores docuiſſe, nullum hominem iuſtè occidi poſſe nouæ legis tempore, etiamſi id fiat ex Iudicis præcepto, quòd id teſtamentum nouum non dictitet; eaque de cauſa *Iohannem Huſſ*, ſicuti & *Hieronym. Pragenſem* Conſtantia in-
iultè interemptos vtpote, quos Catholicos fuiſſe doctores contendebat, Doctrinam quoque *Vicleſſi* Pragæ à doctiſſimis viris & examinatam, & veram Catholicamque repertam fuiſſe aſſerebat.

Galeci erro-
res.

NICOLAITÆ circa ann 68.

De hoc *Nicolao* aduena Antiocheno, ab Apoſtolis in Diaconorum numerum adſcito, magna eſt inter authores diſſenſio, cuiusnam ſectæ author extiterit. Nam *f Irenæus*, *g Tertullianus*, *h Epiphanius*, *i Hieronymus*, & alij complures, aſſerunt ipſum, cum poſt ſuſceptum Diaconatum, ad inuitationem eorum quos Deo addictos videbat, ab vxore, quam comprimis formoſam habebat ſe continuiffet; & à concupiſcentia ſuperatus eam iterum ſuperinduxiffet, eaque de re ab apoſtolis argueretur, mox ſordidiſſimam hæreſim excogitaſſe; qua aſſereret neceſſarium eſſe ad ſalutem conſequendam, quotidie inquinari luxurijs. Alij verò dixerunt, ſic *Nicolaitas* eb eo eſſe nuncupatos, vt tamen ipſe culpa vacaret: ita nempe, vt cum elegantis formæ coniugem haberet, eique ab Apoſtolis zelotypia exprobrata, ipſe eadem in medium adducta, permiffet cui vellet nubere; hocque eius factum dictumque abſolutè ſecuti nonnulli fuerint; quaſi docuiſſet carni vti oportere, effuſeque formicari. Cum tamen ipſe *Nicolaus* nulla vnquam alia, quam ea quæ ei nupſerat, vxore vſus fuerit, & ex eius liberis filia virgines conſenuerint, filius etiam permannerit incorruptus. Ita *k Clemens Alexandrinus*: quæ re-
citatur probatque *Eusebius*, nec non *m Theodoretus*, iſdemque ſuffragatur anti-
quiſſimus omnium *Ignatius*. Quod etiam habetur apud *o Clementem* Romanum. Idque etiam *Baronius* dicit ſe verum putare. Nam & eundem *Nicolaum* Diaconum, vti virum Catholica fide probatiſſimum, ab

f Lib. i. cap.
27.

g De præſc.
cap. 47.

h Hæreſ. 25.
i Epift. 1. §
4. 8.

k Stromat.
lib 3.

l Lib. 1. hi-
ſtor. cap. 23.

m Lib 3. hæ-
retic. fabul.

n Epift. ad
Trall.

o o. Conſtit.

o o. Conſtit.

o o. Conſtit.

o o. Conſtit.

Nicolaitarum
hæresis.
p Epist 9.
q Lib. 3. cap.
21.

Apostolis *Samaritanorum* Episcopum creatum, *Hippolytus*, cuius fertur liber de LXXII. duobus discipulis testatur, eique *Dorotheus* in Synopsi consentit.

VERVM ut quænam essent praua *Nicolaitarum* dogmata cognoscamus, p B. *Ignatius* ait iplos negasse *CHRISTVM* fuisse Deum, sed in eo Deum habitasse. Meminitq; pariter q *Irenæus* de *Nicolaitis* *CHRISTI* diuinitatem negantibus. Quos *Iohannes Euāgelista* æquè atq; *Cherinthianos* scribendo Euangeliū cōfutaui; & in eosdem *Iudas* Apostolus sententias iaculatur, dum eos damnat qui *IESVM* Christum negarunt. Subdit *Ignatius* eos insuper affirmasse, illegitimos concubitus bonorum esse, finemque ac beatitudinem constituisse voluptatem; *Irenæus* quoque præter licentiam in mæchando nulla habita distinctione, idolothyta vti gentes comedere consueuisse.

NOETIANI ann. 260.

1 Hæres. 57.
2 Lib. de hæ.
res. cap. 53.

Fuit *Noëtus*, vnde hi nomen traxere, *Sabelli* Pentapolitani Præceptor, homo *Smyrnensis* vel *Ephesinus* vt *Epiphanius* vult: qui tradit eum in tantum fuisse factum elatum, vt auderet se *Moysem*, fratrem verò suum *Aaron* asserere. Quanquam s *Philastrius* tradat *Noëti* fratrem non *Aaron*, sed *Eliam* ab eo nuncupatum fuisse. Qui quidem *Noëtus* in diuinis personarum numerum negabat, vnam duntaxat in eis personam esse asseuerabat. Ex cuius fontis corruptione hunc etiam vitiatæ prauitatis riuulum deducebat, vt Patrem affirmaret non minus esse passum, quàm Filium sicuti etiam *Patripassiani* ante illum affirmabant. Cæterùm *Noetum* ab Ecclesia eiectum & paulò post cum fratre suo mortuum fidelium neminem à quo sepelirentur reperire potuisse, *Epiphanius* author est.

NOVATIANI ann. 254.

3 Epist. 49.
ad Coral.
Novati E-
piscopi mo-
res & im-
probitas.

Novatum Africanæ cuiusdam Ecclesiæ (nomen autem non proditur) Episcopum describens t *Cyprianus* qui familiariter eum nouerat, dicit fuisse hominem rerum nouarum cupidum; auaritiæ inexplebili repacitate furibundum, arrogantia superbi tumoris inflatum: quasi hæreticum semper & perfidum, omnium Episcoporum voce damnatum, curiosum, vt proderet, adulatorem, vt falleret, facem & ignem ad conflanda seditionis incendia, turbinem & tempestatem, ad fidei facienda naufragia, hostem quietis, pacis inimicum; spoliatos ab eo pupillos, fraudatas viduas, pecunias Ecclesiæ denegatas; patrem eius in vico pane mortuum, & ab eo in morte postmodum nec sepultum, vterum vxoris calce percussum, & abortione prope-rante in parricidium partus expressum. Ob quæ cum ab Ecclesia eijciendus foret, ipse malè sibi conscius sententiam præueniens, seipsum ab Ecclesiæ

gremio

gremio exemit, & à communionem Catholicorum præscidit. Qui Romam sub annum Christi ducentefimum quinquagesimum quartum veniens, & ibidem *Novatianum* Presbyterum, aduersus Cornelium Pontificem inuidiæ stimulis concitatum reperiens, cœpit vnà cum illo contra eundem *Cornelium* agere; & plurima de eo falsa iactans, alios quoscunque ab eius communicatione retrahere, sicque factum est, propter coniunctionem ac conspirationem hanc, vt nonnulli antiqui Scriptores nominum similitudine *Novatum* pro *Novatiano* interdum vlturpauerint, & alij ambos in vnum conflauerint: licet *Novatiani*, sic dicti schismatici & hæretici à *Novatiano* vt principaliori denominati fuerint: quemadmodum ex præfato B. *Cypriano* constare potest, dum alicubi *Novatienses* eosdem nuncupat.

Et quidem *Novatianus* hic pseudopontifex à schismaticis quibusdam electus, lapsos Dei iudicio relinquendos esse, nec vllum eorum habendum discrimen, criminumue discretionem. Qui proinde in *Montani* hæresim propendens in mæchiam prolapsos in Ecclesiam recipiendos negavit. Cuius impia *Novatiani* dogmata ab ipsius successoribus aucta sunt postmodum, ac turpius deformata; vtpote secundas nuptias non admittentibus, & baptismum insuper, eaque quæ illum præcedunt, fidem scilicet & confessionem inficiantibus, ac *mundos* seu *Catharos* sese nuncupantibus.

Novatus autem in Africa primò vnà cum suis, Lapsos aduersus *Cyprianum* concitavit, quòd non protinus in Ecclesiam lasciperentur, sed ex decretis Ecclesiasticis prius pœnitentiam agere iuberentur. Qui licet *Felicissimo* Presbytero schismatico aliquamdiu adhæsisset, seiungens se tamen ab illo & more omnium hæreticorum & schismaticorum mutans pro occasione larvam, foroque se parans, Romæ existens in gratiã Confessorũ quos ea fraude demulfit, negotium *Cornelio* facessit, quòd Lapsos pœnitentes in Ecclesiam reciperet. Quod autem de *Novato* seu *Novatiano* apud *p Epiphanius* legitur, Trinitatis confusionẽ eũ docuisse, quam postea *Paulus Samosatenus* asseruit, putat *Baronius* nomen in textum aliunde irrepsisse. Nam & *Novatum* & *Novatianum* rectè de Trinitate sensisse ex *Nicana* posse Synodo constare, manifestum est.

NVDIPEDES sub Carolo V.

Sunt hi ex *Antilutheranorum*, seu *Anabaptistarum* colluie, qui cum in Moravia Apostolicam conseruari vitam vellent videri, omnia missa & communia faciebant, dispersis que facultatibus, ac liberis ædibusque posthabitis, palabundi ac discalceati per agros passim vagabantur, vnde & *discalceati* seu *nudipedes* nuncupari cœpère.

NYCTAGES seculo fortassis 500.

De his nihil habeo compertum, nisi quod B. *Isidorus*, quem constat vixisse anno sexcentesimo, de illis obiter agēs, dicat eos à somno Nyctages nuncupatos esse, quod vigiliis noctis respuentes, supersticiosum autumarent nocturni temporis horas, ad quietendum à Deo humano generi indultas, in precum vigiliis velle vertere: haud considerantes id quod Regius Psalter aiebat *a se media nocte consurrexisset ad confitendum Domino*; cum & alibi ait *b*

a Psal. 118. vers. 9.
b Esaiæ 26. vers. 9.
c Psal. 118. vers. 15.

O.

OLLARIJ sub Carolo V.

d dial. 2. De his loquens *d Lindanus*, & in *Anabaptistarum* numerum eos recensens, dicit Frisios appellare eos solitos Zetelgeesten, quòd suos coniuratos non nisi mensa bellè instructa (quod illi den vettenzetel nuncupant) inuiserent, atque ita fratrum quos dicunt, bona abligurirent. Quos idcirco instituti scopus experientia notus, facilè dissipavit.

e Pag. 143.
f Pag. 198.
g 370.

OECOLAMPADIANI sub eodem.

Tam in dialogo *e Dubitantij*, quàm in *f Ruevvardi* agit *Lindanus* de sectæ huius auctore, *Iohanne* scilicet *Oecolampadio*, *Birgittanæ* familiæ ex professo Monacho. Qui ut nomen suum varijs de Græco translationibus, audacia planè sacrilega, mutilatis & corruptis contaminavit; ita eum à Magistris suis inter se discordibus dissentientem, alij *Sacramentariorum* Duces facilè oblcurarunt. Cum interim ille, *Euangelica* domus quasi *lucerna* quædam dici ac haberi vellet. Ad quod suaviter alludens *g Frusius*, eiuscemodi eum epigrammate dignatur.

Fortè tibi atque tuis placeas de nomine pulchro,

Dictus Athenæa voce lucerna domus.

Displiceas potius: nam planè extincta lucerna est,

Ac tetro plenam liquit odore domum.

Si tenebra sunt ergo domo quod lumen in ipsa est.

Ab tenebra quanta *h* (Christus ut inquit) erunt?

Et iterum;

Si cupias à Luce tuum deducere nomen,

Lucifer hoc ut habet iuris, habere potes.

h Matth. 6.
vers. 23.

Hæc

Hæc quidem ille de nomine scilicet *Oecolampadii*, cum interim h *Erasmus*, de moribus illius agens, affectatæ tyrannidis eum insimulat. Nam qui illum *Basilea* nouerunt (ex horum autem numero *Erasmus* esse potuit, quem ibidem obiisse constat) testes sunt, quantum imperij sibi in Magistratum vsurpauerit: prorsus vt qui eius nutibus non parebat, mox ordine moueri debuerit. Qui porro auaritiam eius culpabant, quod scilicet *Domum* domui, agrum agro copularet, haud multum ferebat. Quàm dubia autem atque anxia mente primum *Sacramentariæ* causæ patrocinium susceperit, ipsimet *Lutherani* fatentur. Nam cum ad disputationem *Bernensem* proficisceretur, quidam *Iohannes Cellarius* (hic autem ob hanc *Oecolampadij* dubitationem à *Sacramentarijs* delciuit) ita eum orantem in cubiculo suo audiuit. *Herr Gott ist vnser Lehr gerecht/so gib gnade darzu &c.*, id est *Domine Deus; si nostra doctrina est recta, eam gratiâ tua promoue.* Ad quam *Oecolampadij* orationem tum *Cellarius*: *Tunc dubitas tua de doctrina? sic tibi diabolus in posterum credat.* Scribit hoc non Catholicus aliquis, ne in dubium res vocari ab hæreticis queat, sed i *Alberus Erasmus*, dicens se ex ipsius *Cellarii* *Francofurtensis* *Concionatoris* ore haussisse. Huc pertinet, quod alius quidam *Lutheranus* *concionator* k *Iohannes Schütz* de eodem *Oecolampadio* scriptum reliquit, fuisse illi aliquando à Principe quodam obiectum *Habent profecto Lutherani textum ipsum pro se; vos autem nudum glossema.* Atque *Oecolampadius*. *Verum est, inquit, itaque dextram mihi amputatam optarim, antequam vllum à me verbum in hac causa scriptum est.* Atque hanc dubitationem ad mortem vsque animum illius lancinasse testatur l *Nicolaus Selueccerus*, qui eum in morbo sub vitæ finem dixisse scribit. *Ah Domine Iesu Christe, aperi mihi queso ipsam veritatem, num hætenus rectè de tua coena locutus sim & scripserim, nec ne.* Quis igitur fidem habeat, quisue tutò se eiusmodi homuncionibus atque *Ecclesiasticis* committat, quos videt de rebus fidei quam prædicant, sudantes, laborantes, dubitantes?

QVAM autem perfidè ac nequiter *Oecolampadius* egerit intransferendis nonnullis SS. Patrum lucubrationibus, ostendit ad oculum m *Lindanus* vtpote *Theophylacti*, *Athanasij* &c. Verùm quid mirum, si is, qui Deo fidem in monachismo iuratum violare sacrilegus non timuit, non etiam veri honestique viri officium in aliorum interpetrandis scriptis, præstare negligat? Nam à patre mendaciorum obsessus, semelque mancipatus, inquit *Lindanus*, cum ad veteres Patres de Græco conuertendos instigaretur, ita sui Patris iste non degener filius expressit ingenium, vt vix alius quisquam magis; volens hac ratione suam quam semel exorsus erat hæreticæ prauitatis telam prætexere ac solidiorem efficere, *Lutheranis* interim falsè inultans de opinionum suarum varietate ac dissensione: vtpote de quibus quodam in loco hunc in modum scribit. *Si ad vestras dissensiones respiciendum est, certè inter vos septuaginta septem mutationes, non tantum in explicatione scripturæ, sed etiam*

h Epist. ad Goglenium

Oecolampadij de doctrina sue veritate dubius fuit.

i Lib. 7. contra Zwinggl. artic. 230 k In Lib. german. causa. 15 H. 2.

l Parte i. e. narration. in Psal. German. fol. 215

m Dial. 2. Ruevvardè pag. 200. & sequent.

n In Lib. German. qua responsio ad Lutheri Prefas. B. 4. b

Inter Lu-
theranos
tempore Oe-
colampadij
fuere dissen-
siones 77.

Interitus
Oecolampa-
dij miseri-
mus.

o Tom. 2. de
fig. Eccles. lib.
23. cap. 3.

in quibusdam phantasjs propemodum inueniuntur. Hæc Oecolampadius anno 1526. scripsit; qui si nunc viueret, infinitum opinionum chaos inter Lutheranos inueniret. Circa quod tempus Sueuici aliquot Lutherani doctores, nempe quatuordecim Hale Sueuorum conuenientes, scriptum quoddam promulgarunt, quod *syngramma* intitularunt, quo Oecolampadium erroris condemnarunt.

VERVM his missis, de obitu quoque atque epitaphio Oecolampadii non nihil dicendum, de quo hunc in modum o *Thomas Bozius*. Oecolampadius ante Lutheri interitum, nocte dum dormiret, improuisa morte strangulatus est. Id cum percepisset Lutherus, Oecolampadio infensissimus eò, quod ab ipso secessisset, editis, scriptis exclamabat. sibi esse exploratissimum Oecolampadium igneis diaboli telis confossum. Mirum profectò, etsi forsitan non falsum hæretici de hæretico, monachi de monacho, sacrilegi denique de sacrilego (vterque enim legitur monialem sibi in thori sociam delegisse) testimonium. De cuius tamen interitu variant authores, quando nonnulli ad vxoris latus in lectulo mortuum fuisse deprehensum adserunt, alij verò ab ipsamet vxore strangulatum: quidam autem proprijs suis manibus interemptum. Quidquid id est, satis constat hominem nec benè vixisse, nec benè mortuum esse: vt mirari penitus liceat, *Basileenses* tam celebri eum dignatos epitaphio. Quod cum ante annos admodum decem ibidem in cathedralis Ecclesiæ sacrario legerem, risum continere non potui: quod viderem illum vocari *verum* templi istius *Episcopum*, ac si *B. Pantulus*, qui tempore *Vrsalanarum* virginum ibidem eidem præfuit, & quotquot illum insecuti, veri nequaquam Episcopi fuissent, sed potius adulterini. Sic autem de verbo ad verbum habet.

Eius Epi-
taphium.
Spectatum
admissi, ri-
sum teneatis
amici.

Surius ad
annum 1531.
quando Oe-
colampa-
dij inter-
emptus.

D. Iohannes Oecolampadius, professione Theologus, trium linguarum peritissimus, author Evangelicæ Doctrinæ in hac vrbe primus, & templi huius verus Episcopus, vt doctrina, sic vita sanctimonia colendissimus, sub breue saxum hoc reconditus iacet.

Ita quidem *Basileenses* pro suo in *verum suum*, vt aiunt, *Episcopum*, affectu. Quando interim alius quidam non incelebris, sed bonæ fidei ac vitæ Author, dum idem epitaphium suis inserit commentarijs, aliter sentiens, hunc in modum subiungit. Ita *Apostata monachus*, qui diu in incesto vixit coniugio, & aliquot proles reliquit, Orbemque horrendis blasphemijs infecit, vocatur vita & doctrina sanctimonia colendissimus, & verus *Basileensis Episcopus*. Quasi tum primum *Basilea* conuersa sit ad fidem Christi: quod certè illi vrbi vel maxime probrosus est. Sed satis est *olida lampadis, est que domus.*

OPHITÆ circa ann. 145.

Author O-
phitarum
Euphrates.

Ex Valentini Hæresiarchæ schola, quæ & *Gnosticorum* hæresis dicta fuit, progressa est etiam *Ophitarum*. Cuius authorem fuisse, *Euphratem* quendam

trahit

tradit q̄ *Origenes*. Qui quidem ita dicti sunt à serpente, quod *Sapientiam* serpentem factam assererent, & agnitionem hominibus immisisse. Imo r̄ *Ter-*
tullianus eos in tantum serpentem magnificasse tradit, vt illum ipsi *CHRISTO*
 præferrent, atque etiam introducerent ad benedicenda Eucharistica sua: cum
 videlicet (vt s̄ *Epiphanius* & *Augustinus* describunt) eorum Sacerdotes
 incantationibus quibusdam operarentur, vt egrediens de cauerna serpens,
 ascenderet super altare, & oblationes eorum laberet, inuoluens se circa eas:
 sic verò quasi à serpente *CHRISTO* sanctificatas, confringebant in Eucha-
 ristiam, ac populo tradebant; qui & salutabat serpentem, & adorabat, eun-
 demque præstigijs quibusdam mansuetum redditum, sed & blandientem,
 ore osculabatur. Detestabantur quoque *Ophita* Deum omnium creatorem,
 quem humano generi inuidentem, dicerent esse Deum Iudæorum. Sed de
Ophitis plura *Epiphanius*, *Philastrius*, *Theodoretus*, *Augustinus*, *Isidorus*, & alij
 qui hæreticorum, maximè antiquorum Catalogum texuerunt.

q̄ Lib. 6 con-
tra Cels.
De præscr.
c. 47.

De hæres. 37.
De hæres. ad.
Quod vult
Deum.

OPINATORES circa ann. 175.

Hi sunt ijdem illi qui etiam *Docita* nuncupantur, docentes Christum corpus assumpsisse phantasticum, nec verè, prout v̄ *Theodoretus*, sed solâ vi-
 sione & apparitione fuisse *Incarnationis*.

v̄ Diuin. de-
cret. lib. 5.

OREBITA circa ann. 1418.

De his agens x̄ *Aeneas Sylvius*, fuit, inquit, & alia in *Bohemia* hæretico-
 rum factio, fratrum *Orebitarum* appellata; quæ territorium *Gracense* vicinal-
 que gentes magnis affecit cladibus; pestifera atque immanis, neque *Thabo-*
ritarum crudelitate vlla ex parte inferior. Aduersus quam *Martinus V.* huius
 nominis Pontifex Max. nominatim *Cruciadam* decreuit, neque tamen in
 plures annos extirpare potuit. Huius sectæ homines quoties Sacerdotes
 nostros intercepère, aut igne cremauerunt, aut nudos rigente hyeme super
 glaciem colligatos dimisère, & quos adeo parui momenti existimarunt, vt
 defectis virilibus abire permiserint. Hæc quidem *Sylvius*, qui tamen quos
 errores seu hæreses habuerint, non profert articulatim.

x̄ De orig.
Bohemor. c.
43.

ORIGENISTAE circa ann. 230.

De *Origenistis* eorundemque authore ad longum agens *Prateolus*, sensa
 impleuit folia, eò quod hæresis hæc magnos habuerit in Ecclesia patronos
 ac defensores. Quorum nonnulli in ea erant sententia, vt dicerent *Orige-*
nem benè & sensisse & scripsisse; alij verò aiebant eius scripta per maleuolos
 falsificata ac adulterata esse. Nos verò ex *Baronii* tomo secundo ea summa-
 rim hic in compendium contrahemus, quæ ad rem ipsam quàm vicinissimè

acce-

Non duo, sed
vnus Ori-
genes Ada-
mantius
fuit.

a Hæresi 63.
b De hæresi
45.

Origenes
hortatur pa-
rentem ad
martyrium.
Ipsè quoque
eius deside-
rio flagrat.
c Hæresi 64

iuuenis ad
huc sacras
litteras profi-
setur.

accedere videbuntur. Putarunt autem nonnulli, duos fuisse *Origenes*: quo-
rum alter *Adamantius*, quo de hic agitur, dictus sit, alter planè ignotus, ex
quo *Origenista Turpes* sunt cognominati, quod cum matrimonium damna-
rent, in omnium libidinum cœno velut sues volutarentur. Quorum memi-
nerunt a *Epiphanius* & b *Augustinus*. Verùm secundùm *Baronii* sententiam,
latius fuerit existimare non nisi vnum *Adamantium* extitisse aliquando *Ori-
genem*. Qui verò illum effinxerunt, ideo fecerunt, vt de *Origene* labes asper-
sas in illum egerent, vel quod *Origenis* sectatores in deterius prolapsi, eti-
am *Gnosticorum* sordibus sint infecti, & ad differentiam aliorum *Origenista-
rum*, sint à dogmate dicti *Turpes*, non autem ab authore *Origenista* nuncu-
pati.

I P S E autem *Adamantius Origenes* à primæua ætate Catholicè inter Ca-
tholicos educatus, eiulcemodi in fide propugnâda zelum exhibuit, vt & pa-
rentem, & alios quàm plurimos ad martyriũ pro Christo fortiter obeundũ,
magnopere hortaretur, cuius ipse quoque flagranti desiderio ita tenebatur,
vt parum abfuerit, quin voto fuisset potitus suo. Nam in persecutione *De-
ciana* circa annum Christi ducentessimũ quinquagesimum tertium, *Alex-
andria* cum degeret, egregium pro fide Christiana certamen obiens, vincula
& verbera sustinuit, tractus per urbem, probris affectus, catenis oneratus,
cruciatibus denique immanibus applicatus, quemadmodum c *Epiphanius*
litteris prodidit. Qui statim post parentis supplicium, annum agens septi-
mũ decimũ & grammaticorum scholam aperiens, magna continentia
ac frugalitate vitam (ob proscrip̃tas videlicet bonorum paternorum facul-
tates) pauper tolerauit. Paulò verò ætate prouectior, cum necdum annum
attigisset vicesimum, *Alexandria* quoque, accepta à *Demetrio* Episcopo eius
rei facultate, diuinarum Professorum literarum insigni cum laude nec mi-
nori cum fructu se præstitit. Nam complures discipulos suos tam huius
quàm alterius sexus (è quibus *Potamiana* ac *Barbara* virgo) tum ex ijs qui
iam Christiani essent, tum ex Gentilibus, quos ad fidem conuerterat, ad
martyrij palmam consequendam promouit. Qui & hæreticos numero
non paucos, inque eis *Ambrosium* quendam *Marcionitam*, & *Beryllum* *Hære-
siarcham*, ad saniolem fidei semitam postliminio perduxit, seque ipsum amo-
re castitatis (indiscreto tamen zelo) castrauit, quò securius cum virginibus
in gynæceo diuinarum literarum commentationi animum intenderet.

P R E S B Y T E R autem ordinatus *Cæsarea* Palestinæ ab *Alexandro* Hie-
rosolymitano Episcopo, *Cæsarea* in Palæstina scolam aperuit, ac consueta
disciplinæ munia resumpsit. Ad quem ingens fuit celeberrimorum aliquot
doctorum virorum, tam domesticorum, quàm externorum confluxus. E
quibus præcipuè *Theodorus* & *Athenodorus*, quinquennio eum audientes, eos
sacris in literis progressus fecêre, vt vterque aliquantò post in *Ponto* Episco-
pus sit creatus. Verùm *Origenes* dum in eo docendi munere progreditur, &
altio-

altiora se conari aggreditur, abusus nimirum ingenij profunditate, ac nominis celebritate, libros cœpit nonnullos prouulgare hæreticos. Quos inter fuit ille *Periarchon*, siue de *Principiis*, qui præ cæteris omnibus densioribus erroribus refertus est. Vnde prolata est in eum excommunicationis sententia à *Demetrio Alexandrino* Episcopo: quam cæteræ quoque Ecclesiæ ratam habuerunt. Cùm interim ille Orthodoxæ fidei confessionem conscribens, & sub annum Christi ducentessimum quadragesimum octauum *Romam* ad *Fabianum* Pontificem veniens, purgare se conatur.

Libros scribit hæreticos.

Excommunicatur ideo ab Episcopo.

Venit Romam ad Pontificem.

Cuius hîc errores aliquot ac hæreses recensere, operæ pretium fuerit. Errauit enim in eo cum primis, quòd quæ in scripturis accipienda erant simpliciter, accepit frequenter figuratè, vt docet d *Epiphanius*, & *Hieronymus*, dicens *Origenem* sic *Paradisum* terrestrem, allegorizare, vt historię veritatem auferat; dum pro arboribus, Angelos, pro fluminibus virtutes cœlestes intelligit; & tunicas insuper pelliceas *Adami* & *Eue*, corpora humana interpretatur, quasi ante peccatum sine corpore vixerint.

Eius precipui aliquos errores ac hæreses.

d Epist. ad Pammach.

de errorib. Ioh an. Hierosol.

Argumentabatur etiam, Patrem Filio esse maiorem, impingens Filio blasphemias: quas tamen alij ab *Arrianis* scriptis eius insertas asserunt. Sensit quoque infernum nihil esse nisi conscientię errorem, & daemones damnatosque aliquando saluatum iri; negatque in futuro seculo sexuum distinctionem futuram. Quin & possibilem credidit incarnationem Diaboli, & Angelos nonnullos voluit verè esse incarnatos. Fuit & in ea quoque sententia, quòd diceret purgari debere post hanc vitam tam bonos quam malos, vno Christo excepto. Afferit proinde Sanctos paulatim in alia vita proficere, atque id genus alia satis absurda, propter quæ non immeritò Ecclesiæ centuram meruit, deceptus ex *Platonis* philosophia, cui plus æquo deditus erat, atque ideo *Platonici* opinionibus, simplicem Apostolicorum dogmatum sinceritatem, vt f *Nicephorus* inquit, miscens atque confun-

e Hieron. epist. 59. ad Auitum.

f Lib. 17. cap. 27.

dens. Cuius interim tam fuit amœna, tam leta, tam dulcis oratio, vt mihi ex ore ipsius (verba sunt g *Vincenii Lerinensis*) non tam verba quam mella quædam fluxisse videantur. Qui quidem aliquantò post notatu quædam digna subiungit, dum inquit. *Hic talis ac tantus, dum gratia Dei insolentius abutitur dum ingenio suonimum indulget, sibi que satis credit; cum parui pendit antiquã Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere presumit, dum ECCLÉSIASTICASTRADITIONES* & veterum magisteria contemnens, quædam *Scripturarum capitula* nouo more interpretatur, hinc &c.

g Lib. contra hæres. cap. 23.

Inualuit autem penes antiquos de *Origene* illa à h *Cassiodoro* recitata sententia: *Vbi benè, nemo melius; Vbi male nemo peius*. Et ideo cautè, inquit, sapienterque legendus est. Et quidem operum eius lectionem, sicut nec *Tertulliani*, vel horum similium, non inuenimus penitus improbatam: licèt, quod spectat ad dogmata, ea sit de scriptis *Origenis* censura *Gelasi*, vt illa duntaxat quæ *S. Hieronymus* non repudiat, suscipienda esse dicat, reliqua verò

h De instit. diuin. lection.

Quid de Origenis libris censendum.

i. Collat. 8.
canon. 11.
Damnantur
à Pontificib.
suo cum
Auctore.

suo cum Auctore reijcenda. Quod quidem factum esse constat. Nam non solum anno Christi quadringentesimo *Anastasius* Papa *Originem* suis cum scriptis hæreseos damnauit, verum etiam anno 553. in quinta i Generali *Constantinopolitana Synodo*, dicitur anathema *Origeni*, & scriptis eius, non lecus, quam *Arrio*, *Eunomio*, *Macedonio*, *Nestorio* & *Eutychetti*. Prorsus vt mirum sit post damnationem eius auctoritate Pontificia inflictam, post eiusdem reprobationem præfata in *Synodo* pronunciata, post tot antiquorum Patrum (*Epiphani* videlicet, *Theodoret*, *Hieronymi*, *Augustini*, *Vincenzii*, &c.) in idipsum conspirantium sententias, etiamnum recentiores quosausos esse pro eodem *Apologias* scribere & auctoritate *Vniuersalis Ecclesie* decisas sæpius controuersias, denique reuocatum ire. Quod equidẽ vilis est haud pridem fecisse *Sixtus Senensis*, & *Gilbertus Genebrardus*, & ante illos *Iohannes Picus Mirandulanus*. Adde quod in libro, cui titulus *Pratum Spirituale*, in quadam reuelatione visus est *Origenes*, vnã cum *Arrio*, alijsque hæreticis gehennæ ignibus torqueri.

k. cap. 25.

l. Dial. 2.
Dubitant.
pag. 195.

k Nec omittendum interim, quod *Lindanus* affirmat impium *Origenis* dogma, de dæmonibus ac damnatis omnibus tandem aliquando saluandis, ab inferis reuocasse *Anabaptistam* quendam *Iohannem Denckium*. *Origenes* autem obiit anno 256. annos natus vnde septuaginta.

O R P H A N I circa ann. 1420.

m. lib. 3.
Normic.
cap. 9.

n. De orig.
Bohem. cap.
48.

Orphanorũ
scelera &
sacrilegia.

De *Orphanis*, Hussiticæ factionis Sectarijs, differens *m Iohannes Nider*, tres ait præcipuas hæreticorum sectas in *Bohemia* extitisse, *Pragensium* videlicet, qui alijs tolerabiliores & mitiores, *Orphanorum*, & *Thaboritarum*, qui pessimi erant. *Orphani* verò dicuntur, teste *n Aenea Syluio*, quod *Iohanne à Zischa*, strenuo eorum Duce, quem insuperabilem credebant, ac tantum non parentis loco colebant, defuncto, mœrore atque animi tristitia cõfecti veluti *Orphanos* se relictos arbitrarentur, qui *Morauiam* vicinasq; regiones assidujs incursionibus infestantes, Ecclesias inuadebant, sacraria spoliabãt, monasteria destruebãt, monachos ac Sacerdotes ferro enecabãt, imagines aut igne exurebant, aut in frustra comminuebant, sub vtraq; specie communicabant, perfidiam denique suam armis defendebant. Imo in eam prolapsi sunt dementiã vt se mutuò inuaderent, ac conficerent, hæreticus scil. hæreticum, schismaticus schismaticum, quos iustas tandem scelerum suorum pœnas persoluisse, atque eorundem numerum ingentem in horreis exustos esse, idem *Syluius* commemorat.

O S I A N D R I N I sub Carolo V.

Nomen huic sectæ indidit *Andreas* quidam *Osiander* Euangelij nimirum *Lutherani* primùm quidem *Nuremberge*, post verò in *Prussia* Minister, tantæ arrogantie homuncio, vt se alterum *Enoch* prædicaret. Qui pri-

primarium ac summum religionis nostræ caput, de *Iustificatione hominis coram Deo*, pestilenti admodum & periculoso errore inuecto, fœdè contaminavit: docens nimirum, homines tantùm esse essentiali Dei iustitia, eaque in nobis habitante, iustos & beatos effici; prorsus vt nulla res alia Iustitia nostra esse queat, præter ipsum solum Deum, aut tres in Diuinitate personas, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Item, CHRISTVM mediatorum esse, & iustificare homines secundùm diuinam duntaxat naturam. Cuius quidè *Osiandri* filius, est *Lucas* iste *Osiander* cuius operâ *Gibhardus Trucesius*, Colonienfium aliquando Antistes, Bonnæ vñs est in *Lutheranismo* inibi introducendo.

CÆTERVM de *Andrea Osiandro* scribit *Hofius*, quod cum in articulo *Confessionis Augustanæ*, de Iustificatione non nihil immutasset, aut clarius expolisset, grauè admodùm *Melanchtonis* indignationè incurrerit, nec illius duntaxat, verùm etiam cæterorum complicum vocantium eum identidem *hereticum, Antichristum, Iudeum, hominem nefarium, hostem Christi, nigrum diabolum*; vtpote, quem legantur duo dæmones, in specie canum, quos tamen non cuius videre liceret, quacunque incederet, comitari soliti, quorum operâ forsitan etiam hinc emigrauerit, & ad eorundem locum peruenerit, è quo nec ipsis, nec illi vlla redemptio. Nam de illius ex hac vita egressu ex *Palladio* memorat *Lindanus*, quòd planè mutus velut bestia horribiliter extinctus sit, anno 1525 die octob. 17. Cui *Frusianus* hocce *Epigramma* in fine pag. quod in effrontem eius impudentiam scripsit, *Epitaphii* loco ponere haud quaquam piget, sic enim habet.

Sic tibi mens demens, sic frons, Osiander, Effrons,

*Vt sancti cupias nomen habere Viri? **

Tam procul, imo magis distant à nomine mores,

Quàm Nero dicantur, si Numa; Galba, Cato.

Vis dicam quid sis, Osiander, Hypocrita planè es.

Nomine dissimulans impia facta pio.

Te fœdam ob Venerem tua Nurembergæ fugauit,

Hereticos alios qua studiosa fouet.

Moribus ergo tuis condignum delge nomen,

Nec sanctum te scis esse, nec esse virum.

Vel tibi Grammatico notam dic esse figuram,

Antiphrasin, dicit sed tua vita satis.

OSSENI tam ante Christum, quàm paulò post.

Epiphanius sectas aliquot *Iudeor.* necdùm nato Christo exortas cõmemorãs, illas inter etiã *Osenorũ* ponit; qui deinde post excidiũ *Hierosolymitanũ* coniuncti sunt *Ebionais* hæreticis; sub *Elxaiò* *Iudæorũ* pseudopropheta militãtes: qui *Traiani* Imperatoris tẽpore circa annũ 105. Ecclesiã perturbans, Virginitati aduersabatur; asserẽs in super nõ esse peccatũ in perlecutione, fidẽ abiurare,

dummodò

o Lib. 1. de
heres.

p. Dialog.
3. Dubitãt.
in fine pag.
28.

* Enoch
scilicet.

r. t. panar.
17. & 18.

modò corde retineretur. Christum porrò nomine duntaxat confitebatur, ac creaturam solummodò esse aiebat, &c.

P.

PACIFICI sub Carolo V. circa ann. 1530.

[Dial. 2.

Dubit. pag.

178.

De hilce *Antilutheranis* in *Hollandia* potissimùm agentibus, agens *(Lindanus)*, inter *Anabaptistas*, inquit alij se *Pacificos* iactant, vnde & sese apud imperitam plebeculam, nomine *domus pacis* venditant. Quam quidem pacem tam diu amplectuntur, quoadusque impunè in omnium fortunas, adeoque corpora grassari liceat, quemadmodum suo exemplo docuère *Amsterodami* anno 1535. & sequenti *Leidis*, vti & varia per alia *Hollandia* ac *Frisia* loca, vtpote in *Pœldyko*, *Haserffon*, & *Oudekloëster*.

PARMENIANISTÆ circa ann. 370.

Eorum hæreses.

Parmenianus, homo non tam eruditione præstans, quàm seditione flagrans, cum esset à *Donatistis*, quorum factiones sequebatur, in locum *Donati* anno 368. *Carthaginensis* designatus *PseudoEpiscopus*, plurimas in *Africa* inquietudines excitauit, scribens aduersus *Catholicos*; ac docens *Filiam* non esse æqualem *Patri*, nec *Spiritum Sanctum* *Filio*. Dicebat etiam hominem ita suum habere arbitrium, vt si velit, in *Deum* credat, vel non credat, si illi ita videre videatur & placeat. Tum etiam *Novatianorum* errorem secuti *Parmenianista*, cum se *Catharos* nuncuparent, censebant se *puros* esse, & ab omni peccati labe alienos. Cuius equidem hæresim & acta non solum *Optatus Mileuitanus* ad viuum descripsit, verùm etiam *B. Augustinus* aduersus eundem ternos conscribere libros coactus est, ipseque *Ticonius* quidam *Donatista*, quærens hac ratione occasionem sui reconciliandi *Orthodoxis*,

PASCHATITÆ sub annum 182.

Pascha à Schismaticis Iudaico olim more celebratum. Victor Papa excommunicat Ecclesias aliquot Asian.

Fuit olim ingens de seruando *Paschatis die* in *Ecclesia* concertatio. Quando nonnulli *Judaizantes*, quarta decima luna, vnde etiam *Quartadecimani* audiunt, mordicus illud peragi quorannis volebant; eamque ob causam *Polycarpus* venit *Romam* ad *Anicetum* *Papam* anno 164. Et quidem constat sub *Victore* aliquantò post plurimis vbiq; celebratis *Concilijs* statutum, celebrandum esse vno eodemque die *Dominicæ*. Cui *Asiana Ecclesia* reluctantes, ab eodem *excommunicati* sunt. Quod quidem *Victoris* decretum, confirmatum legitur in *Concilio Arelatensi* primo, anno nimirum 314. nec non & *Oecumenico Nicano*. Quippe, quando *Paschatis festum* è *Synagoga*.

goga piè translatum ab Apostolis in Ecclesiam, Veterum traditione constat; Verùm *Audaus* quidam hæresiarcha cum circa annum trecentefimum quadragefimum eandem de Paschate controuersiam, quam & *Blastus* hæresiarcha olim mouerat, ac Iudæorum more celebrandum vrserat, resuscitasset, damnatus fuit in *Concilio Antiocheno*.

SED quid mirum si veteres Hæresiarchæ olim id fecerint, vt Ecclesiæ vnitatem scinderent, ac neochristianos inquietarent, quando etiam nostris *Novatoribus* ac *Quint-euangelicis*, idem planè studium cordi esse cernitur? Sunt enim *Sabbatharij*, inquit *t. Lindanus*, qui an cum Sabbatho & Dominicam colant, incertum habeo. Sanè huic fabulæ præludium Diabolus studuit per *Lutherum* edere. Qui libro de *Concilijs*, Principibus persuadere conatur, festum Paschæ esse inter immobilia festa computandum, vt in quamuis diem incidere queat; sicuti dies Natalis, Purificationis, & Apostolorum. Iudaizare enim & nimis superstitiosè agere Ecclesiam & Patres *Nicanos* ait quòd post plenilunium Martij, diem Paschatis in diem Solis collocarunt.

t Dial. 2.
Dubit. pag.
235.
Lutherus
festum Pas-
cha vult
transferen-
dum inter
festa immo-
bilia.

PASSIONISTÆ.

Hi sunt teste *Philastrio* hæretici qui circa Passionem CHRISTI aberrantes, nugabantur CHRISTVM sua in passione ita carnem dimisisse, & in cœlum sic ascendisse, vt non sit iam in carne diuinitas. Neque enim post passionem resurrexit in carne, neque cum carne ascendit, inquit, in cœlum, cum salus omnis hominum in passione carnis ipsius, resurrectione, & ascensione in cœlum consistat, sine cunctatione nobis & credentibus vniuersis. Hæc *Philastrius* Brixienfis Antistes, qui vixit quarto Christi seculo, ita vt constare queat veterem hanc fuisse sectam, licèt de authore non ita.

PASTILLARII sub Carolo V.

Hos asserit *v. Lindanus* illos esse, qui corpus quidem Domini in sancta Eucharistia præsens esse fatentur, sed in pane, aut sub pane, vt in farina in pastillo, aut pillulæ in ovo reconditæ. Sic quatuordecim illi *Pastores Suenici* quorum tunc *Brentius* fuit antesignanus, cum *Oecolampadium* oppugnantur communi scripto. Sunt autem factionis *Lutheranae*.

v. Dial. 2.
Dubitant.
pag. 131.

PASTORICIDÆ sub eodem.

Pastoricidas vocat idem *x* auctor, qui in Pastorum Ecclesiæ, aut Sacerdotum Catholicorum necem coniurant. Quorum scelere per *Rynlandiam* & *Galliam* plurimos interemptos esse dicit; iniecto vel in collum laqueo strangulatos, vel in puteum deorsum præcipitados. De quo *Claudius Sanctesius* libro quem de de templorum direptione anno 1562, in lucem protulit.

x *Ibidem in:*
princip.
pag. 179.

PATRICIANI.

Dicebant
carnem ho-
minis à dia-
bolo factam.

A *Patricio* quodam hos nomen esse sortitos *Philastrius* author est; licet non dicat quo Christi anno exorti sint. Asserebant autem carnem hominis à diabolo factam, ideoque contemnendam, & modis omnibus abijciendam prorsus vt etiam eorum nonnulli mortem sibi ipsis consciscere non dubitauerint.

PATERNIANI.

Neque de his vel ex *Philastrio* vel *Augustino*, quando vixerint, constare quidquam potest: licet à *Paterno* quodam nomen traxerint, & eadem ferè quæ *Patriciani*, docuerint; nisi quòd cum discrimine loquentes, inferiores duntaxat humani corporis partes, non à Deo sed diabolo factas esse effatierint, & omni spurcitie se contaminarint.

PATROPASSIANI circa ann. 200.

Qui à *Praxea* ceu Hæresiarcha progressi sunt hæretici, primò quidem *Monarchici*, quod vnã duntaxat personã Sanctissimæ Trinitatis statuerent; dein verò *Patropassiani*, quòd Patri æquè crucè ascriberent, nuncupati sunt. Vnde fallitur in eo a *Epiphanius*, dum affirmare videtur neminem ante *Noetum* hæresiarcham dicere ausum, Patrem esse passum. Nam diu ante inno-
c *De præscr. cap. ult.*
c *aduers. Prax. cap. 1.*
d *Epist. ad Philip.*
tuisse *Patropassianorum* hæresim, constat ex b *Cypriano* æquè ac c *Tertulliano* tribuente eam *Praxee*. Immo & ex d *Ignatio*, Apostolicorum temporum *Vi- ro*, qui similiter testatur suo tempore diabolum ore suorum iactasse, Patrem & natum & passum. *Theodoretus* verò illam hæresim ab *Epigonio* quodam primùm excogitatam putat,

PATTALORINCHITÆ.

e *Psal. 38. vers.*
f *Psal. 140. vers. 3.*

De his tam *Philastrius* quàm *Augustinus* agit, licet eorum neuter vel authorem sectæ vel tempus quando vixerit, prodat. Quorum nomen à dictione Græca πᾶτταλος latinè *palus* & ῥιγνος quod est *nasus*, deriuatum est. Vnde apparet, librariorum vitio apud *Philastrium* scriptũ *Passalorinchita* pro *Pattalorinchita*. Qui quidem *Pythagoricum* quoddam silentium præ se ferentes, palum vel digitum, in modum pali, naribus suis vel labijs supponebant, quò difficilius in loquelam os solueretur. Aiebant enim mordicus isti Psalmographi admonitioni ac praxi inhærescendum. e *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam.* Qui idcirco pro hoc linguæ silentij dono consequendo, alibi Deum orasse legitur, f *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantia labijs meis*, rogans nimirum

rum

rum sibi gratiam istam dari, vt sciret quando cum fructu loquendum, quando silendum, non verò vt nunquam, aut quàm inuitissimè, vti hoc hominum genus persuasum sibi habebat, loqueretur.

PAULIANISTÆ tempore Concilii Nicani anno 314.

Paulus Samosatenus, Hæresiarcha, qui hisce nomen suum impoluit, *Syrus* Hæreses eius natione exstitit, homo multæ quidem arrogantia, sed nullius propemodum sapientia, negavit Dei filium, è cœlis descendisse, sed in vtero Virginis initium habuisse; Docebat item Christum Deum, Dei filium, non substantiuum ac personalem, & sempiternum cum Patre, sed prolatiuum tantum, id est, quasi aërem quendam esse. Prædicabat ergo CHRISTVM fuisse quidem hominem iustum, non autem verum Deum. Circumcisionem quoque obseruandam docebat; & *Psalmos Davidicos* in Ecclesia cantari solitos, prohibuit, illorumque loco alios in suã ipsius laudem substituit, atque à fæminis ibidem decantari permisit. In nomine denique Trinitatis *Paulianista* minimè baptizabant; quapropter in *Concilio Nicano* præceptum fuit, vt cum illorum aliqui ad Ecclesiam postliminio reuerterentur, iteratò baptizarentur, quòd veram baptismi formam nequaquam tenerent.

PORRO *Paulus* creatus anno 262. *Antiochenus* Episcopus damnatus est in *Concilio Antiocheno* anno 266. sedeque pulsus ann. 272. dataque est ad vniuersos Orthodoxæ Ecclesiæ epistola *Synodica*, qua præter hæresim, reliqua etiam eius scelera ac sacrilegia descripserunt; vtpote turpitudines, fraudes, luxuriam, fastumque in sedendo ac incedendo, &c. Fuitque primus omnium qui viam aperuit appellandi ab Episcopis ad Imperatorem. Cuius sceleratam hæresim, quòd vna scilicet solummodò sit in Deo persona, renouasse videntur *Seruetus, Farellus, Calvinus*.

g Extat a.
pud Euseb.
lib. 7. hist.
cap 24.

PAUPERES de Lugduno, circa ann. 1160. de quibus agendum titulo VValdenses.

PELAGIANI circa ann. 405.

Hæreticæ huius prauitatis origo sparsa est à *Pelagio* versutæ cum primis nequitia monacho; cœpitque in Oriente innotescere anno post natum CHRISTVM quadringentesimo quinto, quando ouina pelle, sub qua aliquamdiu delitiuit eidem detracta, lupus est agnitus. Quem quidem *Pelagium* B. *Hieronimus*, qui eodem cum ipso tempore vixit, voluptuosum monachum nuncupat; & stultissimum Scotorum pultibus pregrauatum, quòd ex *Scotica* gente origenem traheret, & collegam *Cælestinum* hæreticum haberet. Aduersus quos scripsit B. *Augustinus* librum de gratia Christi, sicut & *Prosper Aquitanicus*. Quinam verò *Pelagii* errores potissimùm fuerint, constare potest ex *Concilio Diospolitano* anno 415. apud *Liddans*

Pelagij erro-
res in Con-
cilio Diostro-
politano dam-
nati.

Liddam Palestine urbem celebrato, in quo non solum articulatim enume-
rantur, verum etiam damnantur, suntque bis deni, utpote Adamum morta-
lem factum esse, adeo ut siue peccasset siue non, mortuus tamen esset. 2. Pec-
catum *Adæ* ipsum solum laesisse, & non genus, humanum. 3. Infantes nuper
natos, in illo statu esse, in quo fuit *Adam* ante præuaricationem. 4. Per mor-
tem vel præuaricationem *Adæ* non omne genus humanum mori, nec per
resurrectionem *Christi* omne genus humanum resurgere. 5. Infantes etsi
non baptizarentur, vitam tamen æternam habere posse. 6. Diuites baptiza-
tos, nisi omnibus abrenuncient, si quid boni visi fuerint facere, non repu-
taritamen illis nec eos posse habere regnum Dei. 7. Gratiam Dei atque adiu-
torium non ad singulos actus donari, sed de libero arbitrio esse, vel in Lege
atque doctrina. 8. Gratiam Dei secundum merita nostra dari. 9. Filios Dei
non posse vocari, nisi omnimodè absque omni peccato fuerint effecti. 10.
Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio, quoniam in propria
voluntate habet vnusquisque facere aliquid, vel non facere. 11. Victoriam
nostram non esse ex Dei adiutorio, sed ex libero arbitrio. 12. Petenti-
bus veniam non dari secundum gratiam & misericordiam Dei, sed secun-
dum merita & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miseri-
cordia. Hæc ibi, & etiam ipse B. *Augustinus* agens de peccato Originali. E-
rant tamen & alij eiusdem *Pelagij* errores & blasphemix, quas recitat *Hiero-
nymus* in tribus illis Dialogorum libris, quos contra *Pelagianos* scripsit, vbi
sub *Critobuli* nomine *Pelagium* denotat.

h Lib. 2.
cap. 11.

Et licet in præfato *Dioffpolitano Concilio* errores suos reuocauerit ac dam-
nauerit, fecit id tantum cæterorum more hæreticorum, dolosè nimirum, ne
ipse cum iisdem damnaretur ac proscriberetur. Cuius tamen hæresis iam
ante damnata fuit *Rome* in *Ioviniano* primario Hæresiarcha, à quo illam *Pe-
lagius* sumpsit. Quin etiam post vnà cum *Cælestino* in Concilio Carthagi-
nensi, & *Milenitano* anno 416. damnata est, & rursus *Carthagine* anno 418.
cui quidem Concilio septendecim supra ducentos interfuisse Episcopos au-
ctor est *i Prosper*. Et In Chron. haud longè post à *Zosimo Papa* vniuersali
decreto, tandem suo cum auctore proscripta.

In Chron.

k De Lu-
theranorum
inter se con-
cord. pag. 154.

NON tamen ita penitus extincta, quin tot modis damnata ac doctissi-
morum virorum scriptis (*Augustinus* enim in ea profliganda quæ dictis quæ
scriptis, totum impendisse decennium legitur) erroris conuicta, restituta
sit ac resuscitata sub *Iohanne Antiocheno* & *Nestorio*, *Ephesino* in Conciliabulo,
anno nimirum quadringentesimo trigésimo primo; imo etiam patrum no-
strorum memoria, quemadmodum tum ex *k Lindano*, tum ex *Staphylo* ad o-
culum videre licet. Quorum hic recentes sui temporis hæresiarchas e-
numerans, noui inquit, surrexerunt, *Pelagiani*, qui dicunt non esse in paruulis
peccatum Originale, sed esse morbum quendam non morte damnandum. Ita *Zuvin-
glius*

glus in libello de Baptismo contra Urbanum Regium. Item quod Numa, Cato, Scipio, & similes prestantes viri Ethnici, quamuis caruerint vera fide venturi CHRISTI, saluos tamen factos virtute Legis natura. Idem, l'Zvinglius ibidem; & Lutherus Zvinglianis hoc exprobrans in ultima sua confessione de cœna Domini. Iste verò ita: Pelagius Christiane gratia hostis, suum diu coxit monachali sub pallio venenum, quod variis Patrum Conciliis etsi fuerit damnatum; tamen nunc quoque à Lutheri discipulis in lucem reuocatum, Euangelii titulo recrudescit in Saxonia. Iohannes enim Pessingerus Pastor Lipsiensis vnà cum schola Lipsiensi docet, hominem naturalibus libri arbitrii viribus sese ad gratiam disponere ac preparare posse. ut ipsi sanctus infundatur Spiritus, &c. ibidem, de alijs Pelagii erroribus, nostri æui hæresiarchis cum eo communibus, quando interim etiam in Calvinus cum Pelagio negans in filijs fidelium peccatum esse originale (hos enim dicunt Sanctos nasci;) saluari eos posse asserit sine Baptismo.

1. In Dial. Rucwardi lib. 1 pag. 121.

m. lib. 4. Instit. cap. 15. §. 20.

NOTANDVM porrò hoc loco, errore deceptum Prateolum, qui in titulo n Pelagius, allegat nonnulla Melanctonis verba, doctrinæ Catholicæ, ac sacri Tridentini Concilii sententiæ omnino contraria; idque verbatim, ac si essent B. Augustini; qui tale quid ea de re scripsisse, aut sensisse, nulquam omninò reperitur. Paragraphus autem sic incipit. Aduersus hunc errorem grauisimè scripsit Augustinus.

n. pag. 389. col. 1. edit. Colon. ann. 1569.

PEPVZIANI circa ann. 153.

De his agens o Epiphanius, dicit apud eos fæminas fuisse Episcopos, easque sacris operatas; offerentes puerum quendam iuuenem, eumque acubus compungentes. Quorum lecta à Montano originem traxit, dictique sunt Pepuziani à Pepuzia Phrygiæ vico, quem & Hierusalem nuncupabant.

o. Hære. 47.

PETILIANI circa ann. 415.

Fuit Petilianus Donatistica factionis consecrator quàm acerbissimus. Quem contra B. Augustinus cordatè non minus quàm eruditè scribit; utpotè docentem, eos qui se pro peccato interimunt, martyres nuncupari oportere, eò quòd in se puniant, quod se commisisse dolent. Item malos Sacerdotes non conferre vera Ecclesiæ Sacramenta, & malorum mundiciem bonis obesse.

PETROBVSIANI ann. 1126.

Petrus de Bruis temporibus B. Bernardi Abbatis Clareuallensis, ac Petri Cluniacensis (scripsit enim hic Petrus cognomento Venerabilis ex professo contra eius hæreses:) errores suos per annos viginti in Prouincijs Arelatensi ac Nonempopulana impiè seminavit. Magister nimirum Henrici de Bruis; docens baptismum nihil prodesse paruulis ante intelligibilem ætatem; templa & altaria diruenda esse, nec esse Christianis necessaria sacra

Hæreses Petri de Bruis.

loca ad adorandum. Cruces abominationi esse oportere, atque succendi quòd in eiusmodi signo C H R I S T V S tam dirè interemptus sit. Sacrificium corporis & Sanguinis Domini quotidie in Ecclesia offerri solitum, nihil esse, neque Deo offerri debere. Sacrificia, orationes, eleemosinas, & alia vitiorum pro defunctis suffragia & bona opera nihil omninò prodesse illis. Qui tandem dignum impietate sua finem consecutus, apud S. *Agydium*, à fidelibus igne crematus est; ita vlciscente numine nefandissimi celestissimi hominis sacrilegia, cum inter alia (vt habet *Petrus Cluniacens.*) ad inauditam Diuinitatis contumeliam, magno de crucibus aggere constructo, ignem immisisset, pyram fecisset, carnes coxisset, & ipso passionis Dominicæ die Paschalem Dominicam præcedente, inuitatis publicè ad talem esum populis, comedisset. Cuius quidem hæresim *B. Bernardus* & scriptis, & miraculorum signis exagitasse, in vita eius legitur.

P E T R V S *Gnaphæus, ann. 408.*

Damnatur
exilio, ac
sede depelli-
tur.
Diuersorum
hæreticorū
consecratur
hæreses.

Fuit hic cognomento Fullo, professione monachus; verùm ob hæresim *Eutichyanam* à monasterio expulsus, ope *Zenonis* comitis Sedem inuasit *Antiochenam* anno Christi quadringentesimo septuagesimo primo. Vbi associans se *Apollinaristis* hæreticis, plurimosque è clero populoque seducens, tam à *Leone* Imperatore, quàm à *Zenone* exilio damnatus est, ac sede sua depulsus. Quippe qui ostendit se non *Eutychnianum* duntaxat hæreticum esse, sed & *Apollinaristam*, ac *Sabellianum*; dum videlicet sacro *Trisagio*, in omnibus Orientis Ecclesijs cantari solito diuinitus hominibus impertito, quo dicitur *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, addidit blasphemiam in hæc verba, qui *passus es pro nobis*; adscribens nimirum passionem Sanctissimæ Trinitati. Quem constat damnatum esse *Rome* ceu hæreticum primo *Felicis* Pontificis anno, Christi verò 383. cum interim ille obiit 486.

P E T R V S *Abailardus ann. 1142.*

Hunc nonnulli natione, Anglū alii verò Gallū fuisse autumant, ac *Parisiensis* scholæ Theologum Philosophumque mirè ingeniosum & acutum. Quibus quidem doctrinis probè instructus, suapte sponte petijt cum *Clareuallens.* Abbate *Bernardo* in disputationis arenam descendere. Quem cum *Arrio* de Sanctissimæ Trinitatis mysterio prauè sentientem in publico *Senonensi* Concilio luperauit, quin & de C H R I S T I persona *Nestorium*, de gratia *Pelagium* sapientē, tam scriptis quàm viua voce adeo solidè ac eruditè cōfutauit, vt tandē coactus sit hæresim reuocare suam simul ac scripta, quæ

pro-

promulgauerat, vlttricibus flammis concremare. Appellauerat quidem ille cum victum se cerneret, ad *Sedem Apostolicam*; sed hæreseos conuictus, proscriptus est. Qui diuertēs *Cluniacum*, mansit ibidē apud Petrum venerabilē, * * *eius locē* cuius monitu, monachū induit, ac pœnitens ad vitæ vsq; finem laudabiliter *Abbatem.* perseueravit, fœlicique tandem fine quieuit. Quem post obitum idem ille *Resipiscens* Pater verè Venerabilis, magnoperè laudauit epistola ad *Eloysam* Abbatil- *induit mo-* tam, eius quondam coniugem; quæ & ipsa eruditione excellens, idem *nachum ac* vitæ iustitutum arripuerat. *piè moritur.*

PETRVS *Dathenus sub finem seculi XVI.*

Fuit hic vti natione *Flander*, ita factione *Caluinista*, professione verò monachus, ex *Dominicanorū* familia qui *Franckenthalia* in *Palatinatu Mi-* *nistrum Calvinistarum* anno 1564. agens, & epe dimiæ morbo correptus tam *Francis.* nuptas quàm innuptas licentius libentiusque inuisens, dum de adulterio *Costerus in* fornicationeque apud Iudices accusaretur, ille suæ actutum pelli consu- *Orthodoxa* lens, relicta ibidem coniuge ac liberis, fugam capessit ac *fidei Demō-* *strat. Propo-* *sit. 4. pag.* *125.* *Prusiam* diuertit, vbi *Ministerii* officio posthabito, iatraliptem & circula- torē se insignē prestitit: cum non longè ante *Daudicos Psalmos* rithmicè ad modulos coaptasset, idque more penitus plebeio, parum de *Hebraici* idio- matis, quo primùm conscripti sunt, veritate sollicitus: volens nimirum plebeculæ gratificari, vt haberent nœvias quas pro concione psallerent. Quem in *Arrianismo* miserè expirasse idem author ad marginem citatus commemorat

PETRVS *Iohannis circa ann. 1199.*

Fuit hic olim discipulus *Ioachimi* abbatis ex diœcesi *Biranensi* oriundus, qui *De hoc etiam* erroneè scribens in *Apocalypsin Iohannis & Matthæi Euangelium*, non solum *supra sub ti-* priuatorum quorundam sententia, sed & *Romani Pontificis* proscriptione, *tulo Gra-* *phai.* damnari meruit. Negauit enim in primis animam rationalem esse for- mam corporis humani, non absolutè quidem, sed in quantum rationalis est. Docuit etiam præceptore *Ioachimo* Apostolos non prædicasse Euan- gelium Christi iuxta spirituales intelligentiam, sed tantum secundum li- teram. Asseruit insuper in baptismo gratiam & virtutes, quas *Theologicas* dicimus, minimè infandi. Effudit etiam, CHRISTVM vulnus lanceæ dum adhuc viuus esset iustinuisse quin & per *Babylonem* meretricem mag- nam, vniuersalem Ecclesiam *Romanam* militantem intelligendam esse do- cuit, quam & bestiam & Satanæ synagogam nuncupabat. Qui etsi post o- bitum sacro esset loco tumulatus, iussu tamen *Cælestini Pontificis* extumula- tus est, ac veluti manifestus hæreticus incineratus.

PETRITÆ circa ann. 535.

Hos nomen habere asserit *Baronius*, anno iam nominato, à *Petro* quodam *Acephalorum* lectatore. De qua secta superius à nobis dictum.

PETRVS Diessensis circa ann. 1410.

p. Cap. 36.

Patriâ hic *Germanus* extitit, vtpotè *Misnensis*, qui *Valdensium* insanias confectatus, *Pragam* se contulit, vbi puerorum instituendorum curam suscipiens, magnoperè vrsit sub bina specie communicandum esse. De quo agit p. *Aneas Sylvius* lib. de orig. *Bohemorum*.

PETRVS Richerius circa ann. 1560.

Richerii
hæreses ac
blasphemia.
q. in epist.
ad Eccl.
Christ. operi
suo præfixa,
quod pro-
dyt Colon.
apud Choli-
num. 1563.

1. Dial. 2.
Dubit pag.
154. in fin.

Fuit hic *Carmelitana* familiæ ex professo monachus, qui *Geneua* *Caluino* familiarem se exhibens, in *Franciam Antarcticam* *Euangelicæ*, si non *diabolicæ*, iaciendæ sementis gratiâ transmitti meruit: vbi huiuscemodi edidit, & missionis & religionis suæ specimen, vt *Nicolaus Gagnonius*, *Rhodiensis* militiæ Eques, cum primis strenuus ac eruditus, qui ea tempestate eo in loco degebat, quo oculis conspiciebat suis, hominem non solum vt improbum aspernari, verùm etiam vbi *hæresiarcham* venenatum execrari cœperit. Affirmavit enim, vt q. inquit, auritus atque oculatus hic bonæ fidei testis, CHRISTVM in Deo Patre, non in humana carne adorandum, nec viuos ac mortuos iudicaturum, sed Deum Patrem in Filij persona ad iudicium appariturum. Asserens interim suis cum asseclis, *Indam* non potuisse CHRISTVM non prodere; vtpotè eam in rem destinatum. Atque id genus alia, propter quæ dicit se *Gagnonius* ab eorum conuersatione ac instructione abstinuisse. Cuius equidem generosi *Equitis* meminit *Lindanus*, adstruens eundem *Richerium* impio cum *Marcione* carnis resurrectionem inficiatum esse.

PEVCERVS prænominè Casparus ann. 1560.

Peuerus
Lutheranus
Melanchto-
nis gener.

1. fol. 41 edi-
tionis *VVite-*
tenbergensis
ann. 1565.
ardet odio
Pontificis,
quæ pro An-
tichristo ha-
bet,

Deuisset hic superius poni sub litera C. verùm quia vacillans memoria id non suggessit, translatus est ad hunc locum, si hoc nomine melius forsitan queat innotescere. Fuit autem *Philippi Melanchtonis* gener, & eiuldem cum socero *Lutherana* factionis; Summorum autem *Olor Pontificum* acerbissimus. Quos equidem gestit *Imperatoribus*, *Regibus*, ac *Principibus Christianis*, vel maximè inuisos reddere. Quemadmodum ex professo facit in chronico *Carionis*, quod suo pro arbitrato auxit & exposuit. Vbi quodam in loco ita ait. *f. Vt precedens, ita tota sequens historia euidenter testatur, verè fuisse Pontifices αλα'σος Ecclesia & Imperii, & flagellum Dei, vt de Attila vetustas prodidit. Qui si Euangelicæ (pro talibus enim haberi ac nominari volunt) memor fuisset modestiæ, ac diuini obseruator mandati, sciuisset vtri-*
que

que ac præstitisset id, quod Supremus Legislator unicuiq; præcipit, dum ait: *Principem populi tui non maledices.* Sed ne solos videatur Romanos expugnasse Pontifices, bonus hic *Euangelicus Peucerus*, voluit & Christianos quoq; Imperij principes iniuria ac contumelia maculare: dū post paginas aliquot inquit: *v Vetera Burg grauiorum iura multis in locis paulatim fregerūt Episcopi, cum impatiētia alterius imperii potestatem politica gubernationis rapuerunt; vsq; occasio- nibus superstitionis, qua fascinata turbantur mentes omnium Ordinum.* Ac si omnes Imperij Romani Ordines superstitiosi fuissent, seque ab Episcopis fascinari permisissent. Addit verò etiam hoc. *Pontifex Romanus prerogatiuam in Ecclesia Christi nullam habet præ aliis ullo iure, sed sola consuetudine introducta tyrannidis.* Quam vnus duntaxat *Bernardus* facile mendacij cōuicerit, *Eugenium* Pontificem hisce verbis alloquens; *x Tu sacerdos es magnus & Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, tu primatu Abel. gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, indicatu Samuel, potestate Petrus, vntione CHRISTVS; Tu es cui clau- nes tradita, cui omnes creditæ sunt. Sunt quidē & alii cæli ianitores, & gregū Pasto- res, sed tu tantò gloriosius, quantò & differentius utrumque præ cæteris nomen hereditasti.* Hæc *Bernardus* in lib. de consideratione, in quibus a *Calvinus* ita eum loqui asserit, vt veritas ipsa loqui videatur. Quod quidem testimoni- um etsi à *Cretensi* prolatum, verissimum tamen est. Sed quis *Peucero* id faci- lè persuaserit, qui de Magno illo, imò ter Maximo Pontifice *Gregorio Pri- mo* scribens, audet illum appellare *superstitionum architectum*; suum verò so- cerum cognomento *nigrum Philippum* dico *Melanchtonem*, *sanctissima me- moria hominem.* Sed valeat *Peucerus* hisce cum nugis suis.

t. Exod. 22.
ver. 28. &
Actor. 23. 5.

v. fol. 56.

x. Lib. 2 de
consider.
cap. 9.

Roma. Pöt.
præminētia

a. Lib. 4:
Instit. cap.
11. § 10.

S. Gregor.
est Peucero
superstition-
nū architect-
us.

PHARISÆI ante Christi tempora.

Testatur b *Hieronimus* non multò antè aduentum Christi exortos in b. In cap. 8.
Judæa Scribas ac Phariseos: qui etsi videri vellent se Legem Mosaicam *Isaie Proph.*
studiosè obseruare, Christus tamen sæpè eos de vitiosa eius interpretatio-
ne, arguisse legitur. Erant autem eorum hæc dogmata, vt *Fato* cuncta tri-
buerent: animarum iudicia sub terra fieri affirmarent: transanimationem *Phariseorū*
Pythagoricam hoc temperamento astruerent, vt solas bonorum transire in *dogmata.*
alia corpora, malorum autem animas interminato supplicio cruciandas
existimarent. Denique, in astronomiæ cultu *Græcorum* vanitates sectaren-
tur. Cæterum nundinaria quadam sanctitate, ac rigidâ virginitatis ad præ-
scriptum tempus obseruatione, victulque asperitate, sic omnium animos
sibi conciliarent (quod ait c *Iosephus*, & ipse gentilis eorum, atque *Pha-
risæus* lecta) si Regibus aduersarentur, aut Pontificibus, fidem tamen

e. Lib. 13:
cap. 18. &
lib 17. ca. 30.

aduersarentur, aut Pontificibus, fidem tamen eis vulgus haberet. Dictos autem vult *Phariseos Epiphanius*, eo quòd separati essent ab alijs propter spontaneam superfluam religionem ab ipsis receptam.

d. In *Penes*.
lib. 1. ca. 18.

PHILETVS Apostolorum tempore.

e. 1. *Timot.*
1. vers. 20.
Phileti hæ-
resis.
f. 1. *Timot.*
2. ver. 18.

Hic ex eorum numero vnus extitit, quos B. *Paulus* ob hæresim ac blasphemiam, in sanam Christi doctrinam, diris deuouisse e legitur. Vtpotè futuram corporum resurrectionem inficiantem; imò, f. resurrectionem iam factam esse, alijs persuadere conantem, & per hoc quorundam fidem subuertentem.

PHITONISSÆ, ante & post natum Christum.

g. In *Act.*
Apost. cap.
16. um. 16.

Phitonissa, vel vt alij correctius scribunt, *Pythouissa*, mulieres erant, quæ sciscitantibus responsa edebant, de quibus hunc in modum *Lorinus*:
g Si qua mulier diuinandi artem acciperet, in tripode sedens *Apollinis*, per genitalia spiritum admittebat impurum, qui ventrem obsideret, eamque tanto furore compleret, vt soluto crine, ore spumans ac debacchans, verba proferret insana, & sic demum de rebus oculis responderet. Quæ aliàs ventriloquæ latino sermone dicebantur: eratque h. sacris in literis prohibitum, tales consulere: Quas *Saul* primus *Israëlitarum* Rex, è medio sustulisse i legitur. Vnde postmodum ab eiusmodi diuinatricibus, hæresis *Pythonica* denominata est. De qua non solum *Philastrus*, verùm etiam *k Augustinus*, reprehendens illos grauitè, qui tales consulunt, eò quòd malignus spiritus eiusmodi se rebus ingerat, animasque Christi fidelium per eas decipere studeat.

h. *Deuter.*
18. ver. 11.

i. 1. *Reg.* 28.
ver. 7.

k. Lib. 2. de
doct. *Christ.*
cap. 23.

PHOTINIANI anno 344.

l. Lib. 2. ca.
25.
m. li. 4. ca. 5

Impia Pho-
toni dogma-
ta.

Photinus fuit aliquando *Syrmiensis* Episcopus; qui negaret diuinam in Filio cum Patre substantiam, & diceret *CHRISTVM* solum hominem, quem antè *Mariam* extitisse negaret; eum pestiferum Hæresarcham Patres *Concilij Sardicensis* anno 347. damnarunt, sicuti etiam *Armini* in *Syrminiano*, anno 357. Testantur de eius *Syrmi* facta damnatione *Socrates*, *Sozomenus*, & alii. Qui tradunt eum *Sabellij*, & *Pauli Samosatani*, nec non & *Cherinthi*, *Ebionisque* damnatas de *CHRISTO* hæreses, refutasse. Ob quam causam apparet eundem ab *Hilario* sæpè numero *Ebionem* nuncupatum esse: licèt deterior fuerit *Ebione*. S. quidem *Ebion* *CHRISTVM* negabat omnino; *Photinus* autem id minus habuit, vt diceret non antè fuisse, sed tunc *CHRISTVM* esse cœpisse, cum *Spiritus Sanctus* visus est super illum

illum. Quamobrem ex Spiritu Sancto genitum esse dicebat, ut *Epiphanius* tradit. De diuinis quoque personis idem sensisse, quod *Samosatenus* & *Sabbellius*, author est in *Theodoreto*, vnamque duntaxat operationem Patris & Filij & Spiritus Sancti docuisse. Quem & post damnationem pro defensione hæresis multa in exilio scripsisse, iidem *Sozomenus* & *Socrates* testantur. Cuius sectatores dicti quoque sunt, *Homuncionista*, eò quòd *CHRISTVM* hominem solummodò assererent. Qui quidem *Photinus* decessisse putatur anno *Valentis* Imperatoris duodecimo qui est Christi, 375.

n *Harct. fabul. lib. 2.*

Homuncionista dicti

Photiniani

PHOTIVS Patriarcha Constantinop. an 856.

Photino porro *Syrmieni* Exepiscopo haud immeritò subiungendus venit *Photius* Expatriarcha; homo insigniter improbus & astutus, de quo facile ambigas, doctiorne in scribendo, an in decipiendo veritior extiterit. Tot enim difficultates & inquietudines non solum *Romana*; sed & *Constantinopolitana* annorum aliquot spatio faceffuit, vti parem vix habuisse vilus sit. Nam *B. Ignatio* violenter eiecto, & in exilium anno 857. relegato, *Photius* confestim in *Sedem Constantinopolitanam* intrusus est, laicus videlicet & eunuchus. Cuius res improbè, ne dicam sceleratè ac sacrilegè gestas, ad longum ex *Niceta*, cognomento *Dauid*, qui ætate ista vixit, percenset *Baronius* toto passim tomo annalium suorum decimo. Ex quo nos hæc paucula (quippe, quando nulla huius *Photij* apud *Prateolum* mentio) delibauimus. De cuius promotione ita in primis ait *Nicetas*: prima die ex laico factus est monachus, secunda efficitur Anagnostes, tertio Subdiaconus, quarto Diaconus, quinto Presbyter, sexto denique Patriarcha, sedem Patriarchalem conscendens, alta voce populo pacem annūciauit, nihil pace dignum cogitans. Vtpote qui duos post promotionem suam menses, diram mox persecutionem excitauit aduersus Metropolitanos omnes Episcopos; qui *Ignatij* prædecessoris sui partibus studebant. Neque hic stetit res, quin etiam hoc nomine implacabilem se exhiberet *Romanorum* aliquot Pontificum hostem. De quo *Baronius* suum proferens iudicium formalibus hisce utitur verbis: mea quidem sententia nullus deterior persecutor ita prostravit Orientalem Ecclesiam ac *Photius*; vtpote qui manibus pedibusque conatus sit eam à communicatione Ecclesie Romana diuellere: cuius damnà in dies grauiora, in hanc usque horam experiatur infelices Orientales. Qui vt *Nicolaum* eius nominis Primum *Romanae Sedis* Prælulem astutius circumueniret, scripsit ad illum epistolam mendacis plenam ab eodem p *Baronio* verbotenus recitatam. Imò ipsas etiam litteras apostolicas nonnunquam falsificasse ac detruncasse conuictus est,

Photius fuit

ex laico

monachus,

& tandem

Patriarcha.

Persecutionem excitat

in Antistites.

Fit hostis

Pontificum

Tom. 10.

ad ann. 858.

num. 55.

p An. 859.

num. 61.

scribens

Est auctor.
Nomocano
nis.

Vocatur mi-
morum Pa-
triarcha,

Fauet turpi-
tudini Ca-
sarea

q. ann. 863.
num. 4.

Eius errores

scribens *Nomocanonem*, & varios insuper addens ad *Septimanam Oecumenicam Synodum* Canones. Fauit etiam impensè iuuenilibus desiderijs ac flagitijs *Michaelis* Imperatoris, aliorumque sceleratorum hominum; adeo vt hoc nomine in *Octaua Oecumenica Synodo* vocetur *mimorum res sacras eludētium, Patriarcha*; vti appareat hominem omni ex parte turpissimum extitisse, eneruatum penitus, roboris virilis eunuchum, totum effæminatum & emol- litum, in Sacrilegos cum Imperatore ludos pariter defluxisse. Cuius per- uersa acta summarim à *Nicolao Papa* in epistola quadam apud *q. Baronium* enumerantur: à quo etiam ideo excommunicari ac damnari meruit. Ad- uersus quem odio flagrans, conciliabulū conuocauit, in quo & ipse vicissim anathematis sententiā in *Nicolaum*, mortalium impudentissimus, decerne- ret. *Occidentalem* quoque Imperatorem in eum nequicquam concitans. Eius porro error fuit, quod doceret vnumquemque hominem ex duabus animabus consistere, fuitque insuper antesignanus in schismate *Gra- corum*, negans Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere. Quem *Octa- ua Synodus Oecumenica* anno 868. *Constantinopoli* sub *Hadriano II.* ha- bita non solūm damnauit, sed & Sede priuauit combustis eius libris: duos enim scripserat blasphemos, vnum in *Nicolaum* Pontificem, alterum in *Ignatium* prædecessorem suum. Qui tandem anno 886. iteratò è thro- no electus, & in *Armeniam* relegatus, vitam ibidem in monasterio fi- niuit.

P I C A R D I circa ann. 1441.

Picardita
nudi incede-
bant.

Promiscuo
utebantur
concubitu.
de Orig.

Bohemer.
cap. 41.

De hoc hominum genere *Hofius* scribens libello de vtriusquæ speciei communiōne, dicit eos *Heterodoxis* non minus, quàm *Orthodoxis* exosos fuisse, referentes sectam suam ad *Gallobelgam* quendum è *Picardia* oriun- dum, qui *Adamitarum* hæresim in *Bohemiā* inuehens, & exiguo tempo- ris spacio ingentem virorum mulierumque turbam ex infima plebe sibi adsciscens, nudos iussit *Adami* more incedere. Vnde & *Adamitæ* nuncu- pati sunt, quibus promiscua erant connubia, ita tamen vt non nisi de *Picar- di* huius consentu consuescere liceret. Effutiebant insuper cæteros homi- nes seruos esse, se verò & qui ex eis nascerentur, liberos. De quibus *Aeneas Syluius* commemorat, quod cum eorum quadraginta circiter villas hinc inde peragrarent, easque ferro ita depopularentur, vt ducentos rusticos interimerent, *Iohannem Ziskam* immisso in illos exercitu omnes è medio sustulisse, ita vt eorum duo duntaxat euaderent.

CÆTERVM qui nunc in *Bohemia* *Picardita* vulgo nuncupantur vtrum ab eodem illo *Picardo*, de quo *Syluius* loquitur, nomen sortiti sint, an verò ab ipso *Caluino*, quem *Nouioduni* in *Picardia* natum diximus, non vsque adeo compertum: nisi quod *Caluiniana* factionis esse dicantur. Quia alios inter errores etiam illum tuentur, quod C H R I S T V S non sit perlo-

personaliter, corporaliter, & substantialiter, sed sacramentaliter duntaxat in *Eucharistia* atque ideo in ea adorari non debeat. E quorum numero refert ^{In com- ment. ad ann. 1503.} *Surius* fuisse *Lutetia Parisiorum* nonneminem, qui in *facello*, quod *sanctum* dicitur, ex manibus sacrifici ad aram stantis, & rem diuinam peragentis, vi sacram hostiam extorlerit, comminuerit, atque adeo etiam, prò scelus, in terram coniecerit, ignisque exustione sceleris sui pœnas haud immeritas persoluerit.

PISCATORIANI sub initium seculi XVI.

Johannes quidam cognomento *Piscator* *Argentina* oriundus, artium magister, & *Caluinistica* *Theologiae* in gymnasio *Herbornesi* ebuccinator, homo ^{In desperata Caluini causa cap. 7. Piscatoris fastus & superbia. In prefat. suorū bibl.} *aspectu* simplex, & gestibus humilis, mente verò & spiritu (formalibus vtat clariss. viri *D. Petri Cudsemij* hominem probè noscentis, & scholam illius aliquamdiu frequentantis, verbis) ita elatus & turgidus, vt omnes sui ordinis Doctores despiciat, & non modò ipsorum singulorum, sed etiam vniuersalem *Academiarum* *authoritatem* suo postponat iudicio, ausitque publicè dicere *sibi plus ceteris omnibus diuinitus esse concreditum*. Item, se habere exercitatos in scripturis sensus. Qui nouus inter *Caluinistas* nuper exortus *Heresiarcha*, non solùm v negat subsistentiam Verbi naturæ Christi, ^{In thesib. suis.} humanæ per vnionem communicatam, verùm etiam dum anno huius seculi primo publicè præsideret disputationi cuidam, (referente id eodem *Cudsemio* ceu aurito ac oculato teste) de *Scripturis* *sacris* motæ, agereturque de *authoritate* *librorum*, *Tobia*, *Sapientia*, *Ecclesiastici*, cum rilu aspernatus est eos, dicens. *Sie gehören zu der Bibel/wie ein Schwalbennest zum Haus:* id est, tam faciunt hi libri ad *bibliorum* contextum, quàm *hirundinum* nidus ad *fabricam* *domus*. ^{Eodem c. 7. pag. 89. Eius hareses Eius hareses}

NEQVE his contentus, a docet legem ciuilem *Mosaicam*, quoad pœnarum genera, non esse abolitam, verùm etiamnum sanctè seruandam. b *Diuidit* quoque *CHRISTI* *iustitiam* in eam, quam ex legis obedientia, vitæque sanctitate habet, & in eam, quam ex passione & morte acquisiuit. Quæ ideo ^{In suis Aphor. de lege Dei. b in expositione ca. e. chif. c Ibid.} in scholis *Caluini* *anis*, vbi refutatur, *iustitia* *Aeterna* & *Passiva*, nominari consuevit. c Docet porro eundem *CHRISTVM* sibi etiam aliquid sua passione & morte meruisse, ex loco ad *Philippenses* secundo. Atque in eo sequitur *Catholicorum* *sententiam* contra *Caluinum* eiusque asseclas d Clamitat porro ^{In Aphor. de cena Aphor. 6.} *fractionem* *panis* in *cœna* *dominica* *essentialem* esse *cæremoniam*, adeoque necessariam, vt quisquis illam missam fecerit, *cœnam* non mutilet modò, verùm etiam tollat. In omnibus denique *Theologiae* capitibus de peccato, de prædestinatione, de pœnitentia, de satisfactione Christi, &c. singulares ferè habet sensus, terminos, & distinctiones alias à cæteris *Caluinis* *quis*, ideoque *Catechismum* *Heidelbergensium* (hunc autem nuper *Antonius* *Coppensteinius* mirâ cum dexteritate *excaluinizauit*) *Piscator* passim castigauit, in que eius locum nouas *catecheticas* *expositiones* subrogauit, nouamque *Bibliorum*

bliorum translationem in vsum se etiariorum suorum confarcinavit; cuius censuram *Amandus Polanus* dicitur egisse, inque solius *Pentateuchi* versione centena aliquot vitia & errata, non tam typographi quàm Interpretis reprehendisse. Hæc ferè totidem verbis ex nominato iam aliquoties auctore *Cudsemio* dicente *Piscatorianos* hocce totum ferè *Nassouensem* comitatum occupasse, atque inde porro in *Hassiam* ac *Palatinum*, imo & inferioris Germaniæ loca nonnulla prorepisse.

*Piscator à
Gallicis Hu-
gonotis hæ-
reticus pro-
clamatur*

NEC solùm *Polanum* aliosque Germanicos *Caluinistica* sectæ Theologos nouitate ista sua exosos sibi reddidit *Piscator*, sed & *Hugonotharum* in Gallia plerisque; qui eius scripta ac dogmata longo examine discutientes, communi decreto *hereticum* eum pronunciarunt, atque anathematis sententia proscipserunt. Quod malè habenti *Iohanni Comiti Nassouio* simul ac *Dillenbergico*, occasionem subministravit mittendi anno 1604. media hyeme, mense Februario legatos suos ad *Heidelbergenses* binos nimirum sententiæ suæ Theologos *Crocium* & *Matthiam Mantinium*, vt deplorata *Piscatoris* causa ibidem accuratius ad incudem reuocaretur, ipseque in integrum restitueretur, qui etsi non omnino voto potiti sunt suo, vt nimirum ab hæresi eum immunem declararent, ab *Anathematismo* tamen absolui posse impetrarunt.

PNEVMATOMACHI ann. 380.

Huius hæresis inuentores fuere *Macedonius Constantinopolitanus* (à quò & *Macedoniana* hæresis appellata) & *Marathonius Nicomedensis* Episcopus, cum nonnullis alijs quidam nati sunt *Constantinopoli* in Synodo Oecumenica, ibidem habita anno CHRISTI 381. Pontificatus verò *Damasi* quinto decimo. Ad quam conueherunt Antistites numero centum quinquaginta, quos inter præcipui fuere *Timotheus Alexandrinus*, *Cyrillus Hierosolymitanus*, *Melétius Antiochenus* *Gregorius Nyssenus*. Et quidem *Pneumatomachi* illi Spiritui Sancto bellum indicentes, eum ex sacre Triadis numero eliminandum prædicabant, vtpote honoris ac dignitatis expertem.

PNEVMATICI sub Corolo V.

Hi ab *Ambrosio* quodam, vnde & *Ambrosiani* nuncupantur, denominationem acceperunt. qui tantopere sui spiritus suggestiones, & Dei reuelationes iactabant, vt vtrumque Testamentum valere iusserint, quemadmodum contra confessionem *Zvinglii* habet *Eckius*.

POE

P O E N I T E N T I A R I I *sub eodem.*

Hi verò sunt secta molles *Confessionista*, qui teste *Staphylo* septem crassissimos errores doctrinæ de Poenitentia (vnde & *Poenitentiariorum* nomen eisdem adhæsit) immiscuerunt. Hoc etenim nomine acausantur ab *Illyrico VVittenbergenses* simul ac *Lapsiens. theologastri.*

P O L Y G A M I S T Æ *circa annum 1525.*

Anabaptista non solum *Monasterienses*, verum etiam alii passim docuerunt, vno eodemque tempore licere multas sibi vxores adsciscere, quo humanum genus iuxta diuinę legis, vt aiunt præscriptum, facilius crescat ac multiplicetur. Vnde *Johannes Leidens. Monasteriensium* pseudorex legitur reginas habuisse ad minus quindecim; quarum nomina & cognomina videre licet apud *e Meshonium*. Is verò de quo nuper dictum, *Ludouvicus Hetzerus* apud *Lutherum* f legitur viginti quatuor vxores matrimonij fœdere sibi copulasse. quem tamen mirum est ideo ab eodem culpari, cum ipsemet huius doctrinæ sementem iecisse sit vilus; quando inquit posse adscisci ancillam, si difficilem se vxor exhibeat, sitque non minus secundum naturam rei Venerę operam dare, quàm edere, bibere, excreare &c. quin etiam *Bernardinus* ille *Ochinus* insignem se *Polygamia* Patronum suis in libris præstitit, vt de eo *g Beza* his verbis commemorat. *Polygamiam nemo vnquam callidus defendit, quàm Bernardus Ochinus quibusdam dialogis à bono illo viro Sebastiano Castalione conuersis. Et h Lutherus* ipse affirmat polygamiam Iudaicam non esse magis abrogatam, quàm reliqua Mosaica, hoc est, liberam, nec præceptam, nec prohibitam. Hinc cum matrimonium apud *Novatores* nostros pro Sacramento non habeatur, sed tantum sit officium naturę, ad generis humani conseruationem diuinitus iustitutum, quemadmodum olim apud Iudæos, eò liberius impuniisque ad polygamiam frequentandã putant se animum posse adijcere corpusque impendere; maximè quando fœmina continenter viuere non valens, mariti præsentia opus habeat; vir etiam videns se carere dono castitatis & naturę repugnare cœlibem vitam agere, obsequentem se in eo fœmineo sexui præbeat: exemplo nimirum *Saxonici Pontificis* iuapte sponte fatentis, quod sub initium Euangelici sui Apostolatus (antequam monialem illam sibi copulasset) i propter libidinis vehementiam, & amorem mulierum, ad insaniam propemodum redactus fuerit. De quo quidem illicito mulierum plurimarum coniugio; copiosè agit author *Caluinoturcismi* toto capite decimo & vndecimo libri secundi varia adducens *Lutheranorum*, tum aliorum hæreticorum testimonia, quibus *polygamiam* licitum esse contendunt.

e. Lib. 7.

histo. Ana.

bapt. num.

730

f. In colloq.

mensal. fol.

415.

g. De poly-

gamia pag. 8

h. De bigamia

Episcop. pro-

pos. 62.

i. In collo-

quiiis vna.

fol. 4 150

P O L I T I C I tam nostro quàm superiore aeo.

Politicorum
errores

Licet illi quos vulgus *Politicos* nuncupat non videantur pertinere ad peculiarem aliquam sectam, cum & apud *Catholicos*, & *Lutheranos*, & *Caluinistas* permixti reperiantur, quandoquidem tamen illorum plurimi *politiam* quam profitentur, faciunt veram *C H R I S T I* fidem, hinc eorundem quoque meminisse voluimus, & quænam ab ipsis in quæstionem potissimum vocentur paucis insinuare. Non desunt enim ex illis qui existimant vnumquemque sua in fide saluatum iri; aduersus quos ex professo disputant, eosq; erroris arguunt duo doctissimi ætatis nostræ Theologi *Leonardus Lessius* in peculiari quodam tractatulo, & *Nicolaus Serrarius* in oratione quam super hac re in *Academia Herbipolitana* habuit anno 1584. Putant etiam *Politicorum* nonnulli, licere nonnunquam fidem *C H R I S T I* negare, ad vitandam nimirum mortem, & per simulationem cum hæreticis orare, conciones illorum audire, libros legere, sacramenta cum illis participare, atque id genus alia frequentare. Quod bonis rationibus instruit ac reprehendit *Martinus Becanus* libro quinto *Controuersiarum* manualis, *Ferdinando* Augusto nuper dedicatarum.

Porphyrius
antea Chri-
stianus

k. lib. 5. cap.
13.

Deficit à
fide

1. In vitis
philosoph.

Scribit Vi-
rulentè in

Christianos.

Calumnia-
rum pa-

rens nun-
supatur

m. *Cyrillus*
Alexand.

lib. 3. contra
Iul.

n. apud *So-*
crat. lib. 1.

hist. cap. 6.

Eius libri
combusti.

Arriani cur
dicit *Por-*
phyriani.

P O R P H Y R I V S anno 300.

Fuit hic philosophus *Platonicus*, & *Origenis* quondam condiscipulus, *Plotinum* habens magistrum. Cuius quidem *Porphyrii* præter alia exstat *Isogoge*, quæ *Aristotelis* *Logicæ* præmittitur, & in scholis etiamnum publicè docetur. Qui etsi Christo olim nomen dederit in persecutione tamen, uti *Nicephorus* commemorat, deficiens, & Christianæ fidei renuncians, hostis eiusdem cæpit esse infensissimus. Cui patriam fuisse *Tyrum* l. *Eunapius* tradit, & in initio *Malcho* nomè inditum; qui sub annum *Gallieni* decimum Christi verò 264. Romam veniens *Plotino* adhæsit, *Platonica* sectæ tunc facile Principi; annum ætatis agens tricesimum, acerbi ac contumeliosi vir ingenii. Quem ad extremam senectutem peruenisse, *Romanaque* in vrbe mortem obiisse ex eodem *Eunapio* manifestum est, relictis post se virulentissimis aliquot in Christianos libris; prorsus ut hoc nomine non immeritò *Calumniarum Patrem* m. *Cyrillus* eum nuncupet; extatque *Constantini* imperatoris edictum, quo edixit ut quemadmodum *Porphyrius*, qui nefarios contra religionem Christianam libros edidisset, mercedem laboribus dignam recepit, ut videlicet ipse turpissima infamiæ labe aspersus fuerit, impiaque eius scripta deleta penitus & extincta; sic etiam *Arrius* eiusque sectatores *Porphyriani* nuncupari deberent. Ut cuius secuti essent mores, eius quoque nomine censerentur.

P O S T E L L A N I sub *Carolo V.*

Horum Antesignanus hæreticorum fuit *Wilhelmus* quidam *Postellus* natione

natione Gallus ex prouincia *Narbonensi*, quem disciplinarum linguarum-
 que propè omnium exoticarum ad miraculum vsque doctissimum fuisse al-
 ferit o *Lindanus*, multas verò inaneis ex *Rabbinorū* & *Talmudistarū* somniis
 nœnias induxisse, quas pijs reuelare indignum censeat *Palladius*. Nam anno
 1550. de Trinitate mundi, corporis & animarum, de *Veneta* virgine, de Chri-
 sto intoxicato, de matrice mundi, infanda in Orbem euomuit: clauemque
 insuper absconditorum à sæculo edidit: Vbi se declaraturum profiteretur,
 quæ nec Apostoli, nec ipsa, inquit, Ecclesia potuit ad hanc diem portare.
 Quin & in *Elia Pandocheo* vniuersas omnis generis hominum sectas,
 per Christum saluandas, somniat. Scripsit & de natiuitate Mediatoris
 vltima nunc futura. Cuius operis auctorem disertè in titulo libri scribit
Spiritum Christi. Iactat quoque angelum *Raziel* vel potius *Belial*, varia sibi
 mysteriorum arcana reuelasse. Cuius peruerlorem fuisse *Suvenkfeldium*
 præfatus asserit p *Petrus Palladius*.

o. Dial. 2.
 Dubit. pag.
 164.

Florimūdus
Ramūdus
 lib. 2. de or-
 tu & pro-
 gressu hares.
 c. 15. num 5.
 dicit Postel-
 lum antè
 obitū 1
 ad Cathol.
 fidē conuer-
 sum.

p. Catal.
 hares.

PRAXEANIS sub annum Christi. 194.

Praxeas contra quem scripsisse *Tertullianum* constat asiaticus patria fuisse
 à *Philastrio* asseritur; qui cum prius catholicæ fuisset religionis, & *Anicetum*
 Pontificem de *Montani* profliganda hæreſi monuisset, ipse tandem eadem
 se labe, *Victoris* Papæ tempore contaminauit, estque hæreſeos damnatus;
 Porro iterum iterumque errores reuocando, relapsus est, & in hæreſi ex-
 tinctus. Quem *Tertullianus* ait docuisse, Deum Patrem Omnipotentem es-
 se IESVM CHRISTVM, illumque crucifixum ac passum mortuum prætereà
 seipsum sibi sedere ad dexteram suam. Qui verò ab eo progressi sunt hære-
 tici, primò *Monarchici*, quòd vnam solummodò personam statuerent San-
 ctissimæ Trinitatis: deinde *Patropassiani*, appellati sunt. Meminit porro ei-
 dem q *S. Augustinus*, agitque de *Praxeanis* ab eo deriuatis hæreſicis.

q. Cap. 41.
 de hares.

PRAEDESTINATI circa ann. 500. gliscentes etiamnum in
 Hollandia sæculo hoc XVI.

Prodiere nonnulli post *Beat. Augustinum*, eruditissimum Orthodoxæ
 Ecclesiæ Doctorem, qui ex eius scriptis perperam intellectis, complu-
 res excitauerunt errores. E quorum numero erant, qui *Prædesti-*
natorum hæreſim confingebant, quod scilicet de *Prædestinatione* & di-
 uina gratia disputantes, assererent, nec piè viuentibus prodesse bono-
 rum operum laborem, si à Deo præsciti essent ad damnationem; nec impijs
 obesse, etsi improbè viuerent, si à Deo prædestinati fuissent ad vitam. Qua
 equidem assertione & boni à bonis operibus auocabantur, & mali in malis
 stabiliebantur. Quo etiã errore detentus, tunc fuit *Lucidus* quidam, magni
 nominis in Gallia Presbyter: quem vt ad Catholicã fidem postliminio re-
 uocaret, *Faustus* ex Abbate *Lerinensi* factus Episcopus *Regiensis* in Gallia Nar-

Ex scriptis
 B. Augusti-
 ni perperam
 intellectis
 prodijt Præ-
 destinatio-
 nis hares.

bonensi, epistolam scripsit. Quam quidem *Prædestinatorum* hæresim vñ cumque sopitam, constat postmodum in Gallis itidem resuscitasse sub Gregorio IV. circa annum CHRISTI octingentesimum quadragesimum *Godeschalcum* quendam diæcesis *Suessionis* monachum; hominem videlicet animo elatum, quietis impatientem, nouorum verborum cupidum, insatiabilis honoris ambitione incensum, proteruum & tumultuosum: qui Ordini Sacerdotali à Decano *Rhemensi* contra canones Ecclesiasticos initiatus, regulisque monasticis violatis è monasterio egressus, diuersas terras peragrauit, vti impietates suas longè lateque disseminaret. Qui idcirco damnatus est in *Concilio Moguntinensi* anno 848. sub *Rabano* Archiepiscopo habitus, iussusque est non solum regno Galliarum excedere, verùm etiam firmis carceribus mancipari. In quibus detentus fuit vique ad *Nicolai I.* Pontificis tempora, qui sedere cœpit anno 858.

CÆTERVM quemadmodum damnatæ memoriæ hæreticus hic *Godeschalvus* asseruit Deum quosdam ad vitam æternam prædestinasse, sic etiam alios ad mortem prædestinasse (Non enim velle eum omnes homines saluos fieri, sed eos duntaxat qui saluantur) eodem quoque modo iam nunc apud *Batavos* disceptare & affirmare aggressi sunt è *Caluini* schola exorti *Nonatorum* nonnulli, eandem perniciosam hanc hæresim tam obstinato animo defendentes, vt eam solam ob causam coacti sint *Hollandia* ac *Frisia* Ordines, *Dordracenum* iam pridem *Conciliabulum* indicere: quo exortæ *Arminianos* inter & *Gommaristas* plus quàm tragicæ contentiones, consopiri possent. Cuius rei tantæ tamque difficilis exitum fœlicem se consecutos esse non profitentur, intendisse præ se ferunt. Et quid mirum si inter se conuenire nequeant, qui ipsimet à regulis suis variant, & vnusquisque pro arbitrato suo modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio composuit ille qui tradidit: Animaduertit hoc iam olim Apostolicorum ferè temporum scriptor *Tertullianus* dum ait: *Agnoscit naturam suam, & originis sui morem, profectus rei. Idem licuit Valentiniæ quod Valentino (Arminianis quod Arminio) idem Marcionitæ quod Marcioni (Gommaristis quod Gommaro) Nam penitus inspectæ hæreses omnes, in multis cum Auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.*

QVANTO foret satius s̄ Propheticum acquiescere consilio, & stare super vias, & videre, & interrogare de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulare in ea. & quod alius quidam faciendum monet: t̄ interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga PATRVM memoriam (hesterni quippe *Caluini* sunt, & inter se disiecti) ipsi enim docebunt te, loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia. Iam enim dudum ventilata atque ab ancipiti vindicata est ardua illa ac perplexa de *Prædestinatione* quæstio, vt scilicet quamuis gratia sufficiens omnibus detur, prædestinationis tamen diuinæ nullam rationem ex parte nostri assignari posse. Quam quidem sententiam omnes omnino, qui sanctitatis nomine in Ecclesia claruerunt, apertissime docuif-

Eandem in
Gallijs resus-
citauit Go-
deschalvus
Monach.

1. De præ-
scrip. ca. 42.

s. Hieron. 6.
vers. 16.
t. Iob 8.
vers. 8.

docuisse, constare potest ex B. *Augustino* in lib. de *Prædestinatione Sanctorum* & de *bono perseverantia*, nec non & in libro de *correctione & gratia*. Item epist. 105, ad *Sixtum*. Tum quoque causam reprobationis impiorum (de hac etenim inter præfatos *Calvini* discipulos controuertitur) partim ad solam Dei voluntatem, partim ad peccata præuisa referendam esse, ex eisdem perue-
 tustis Sanctorum Patrum monumentis ad posteros transmissis, facile edo-
 ceri præfati *Ordines* potuissent, ipsamque multò tutius, quam *Caluino* nuper
 exorto fidem habere; perperam nimirum docenti, *Deum authorem esse pecca-*
ti, qui homines ad æterna supplicia, citra ullã ipsorum culpam prædestinauerit, nec
CHRISTVM esse mortuum pro omnibus, nec hominem liberum habere arbitrium,
sed omnia inevitabili quadam necessitate fieri. Quis enim plebeiorum homi-
 num hæc à literatis proferri audiens, non in animi deliquium, ne dum deli-
 rium incidat? Quem non desperandum efficiat, si *Calvinum* ex professo
 docere intelligat, *Dei omnipotentis decretum adeo fixum ac immutabile esse,*
 vt tollat omnem omninò arbitrij nostri libertatem in negotio Prædestina-
 tionis ac reprobationis; neq; vllò modo in potestate nostra esse, saluari aut
 damnari, sed inevitabili quadam, vt dixi necessitate fieri, vt hi saluentur,
 isti verò in æternum pereant, & damnentur? Hinc enim eiusmodi sibi dilem-
 ma faciunt. Vel sum prædestinatus, vel reprobatus. Si prædestinatus, cer-
 tissimè saluabor, quomodocunque tandem vixero. Si reprobatus, necessa-
 riò damnabor, quocunque me vertero. Ita namque v refert B. *Augustinus*
 quendam sui monasterij Religiosum eò miseriarum hac argumentatione
 perductum fuisse, vt tandem à melioris vitæ proposito resiliens, mundanis
 se voluptatibus volutandum permitteret, ac periret. Cuius pectori si aurea
 hæc eiusdem *Augustini* sententia in sedisset, non vtique in istud desperationis
 barathrum prolapsus esset. Sic autem habet: *Bonus est Deus, iustus est Deus.*
Potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest sine malis meritis dam-
nare, quia iustus est. Et alibi in eandem ferè sententiam: *a Reddit Deus, inquit,*
mala pro malis, quia iustus est; bona pro malis, quia bonus est, bona pro bonis, quia
bonus & iustus est: solism non reddit mala pro bonis, quia iniustus non est.

*Calvini blasphemæ de prædestina-
 tione ser-*

*Difficile ac
 perplexum
 dilemma
 ratione Præ-*

*De bono
 perseverant-*

*cap. 15.
 Lib 3. ad-
 uers. Julian-*

*cap. 18.
 De grat.
 lib. arbitrii
 tr. cap. 23.*

*Salvitur
 dilem-*

BONA sunt hæc, consolatoria sunt hæc, ac saluti magis conducibilia,
 quàm quæ *Gommarista* atque *Arminiani* suis iuculcant sectatoribus, vnde
 potius pugnæ & rixæ quam salus & concordia expectanda. Quando inte-
 rim finem huic titulo imponentes, dilemma superius allegatum, secundum
 communem *Catholicorum Theologorum* sententiam ita dissoluendum venit.
 Si prædestinatus sum, id est, si à Deo ordinatus sum ad vitam æternam, per
 certa media quæ in mea potestate sunt, consequendam, certò consequar
 vitam æternam, modò illa media adhibero. Rursum, si sum reprobatus,
 id est, si à Deo ordinatus sum ad perpetuos cruciatus propter peccata mea,
 quæ meapte sponte commissurus sum, certò damnabor, si peccata illa com-
 mittam, & ab ijs non abstineam. *Hæc enim solutio quam Becanus præ cæte-*

ris

b Lib. 3. ma-
nual. Con-
trouers in
fine cap. 3.
in quo capi-
ex professo
de predesti-
ne disputar.

c Philip. 2.
vers. 12.

d 1. Peir. 1.
vers. 10.

Hæreses eius

c Lib. 36.
cap. 14.

ris dat, reddit animum tranquillum & pacatum. Neque eum qui in peccatis est, facit desperare; nec ei qui iustus est, securitatem promittit. Quin potius vtrumque monet, vt cum timore ac tremore salutem suam operentur; fatigantes nimirum, vt per bona opera, sicuti d' Apostolus monet, certam suam vocationem & electionem faciant.

PRÆMONSTRATENSIS Apostata sub Carolo V.

Huius Anonymi Apostatæ superius iam meminimus, facitque errorum eius mentionem Cardinalis *Hofius* libro .i. de hæresibus nostri temporis, idque hisce verbis. *Apostata quidam Præmonstratensis docuit non esse infernum, neque descendisse CHRISTVM ad inferos: Sanctos Patriarchas & Prophetas in inferno non fuisse; quin CHRISTVM etiam ipsum, quoniam cum diceret, Deus Deus meus, quare me dereliquisti, desperare visus est, hoc nomine condemnatum esse. Lindanus* verò eadem asserens, dicit blasphemum hunc hominem, id præter alia præmij meruisse, vt sua cum impietate adeo, sit hominibus execrabilis factus, vt ne nomen quidem eius superesse voluerint. Exemplo vt reor; *Ierostrati* illius, qui cum ex re aliqua præclarè gesta non posset innotescere, templum *Diane Ephesiorum*, quod ab *Asia* vniuersa per annos ducentos, viginti *Plinius* ædificatum testatur, vnius noctis deflagratione absumens, id meruit, vt nullus nominis illius vsquam recordaretur.

PRISCA seu PRISCILLA ann. 170

Impudicæ huius mulieris, & *Montani* Hæresiarchæ sectatricis, sui que ipsius interfectricis, iam paulò ante in *Maximilla* meminimus, à qua nomen sortiuntur *Priscilliani*.

PRISCILLIANISTÆ sub annum. 380.

Priscillianus
hæresiarcha
Hispanias
infect.
Damnatur
in Synodo
Cæsar. Au-
gustana.

Quemadmodum *Abula* veteris *Castelle* ciuitas nobilis ante annos circiter ducentos protulit doctissimum ac plurimorum scriptione voluminum clarissimum Episcopum. *Alphonsum* cognomine *Testatum*; ita *Damasi* Papæ temporibus eidem vrbi præfuit antistes *Priscillianus* quidam, patrio nimirum solo. A quo *Priscillianista* hæretici denominati sunt. Qui vt erat nobilitate eruditione, & opibus pollens, rebus autem magicis iam inde ab adolescentia deditus, ita circa annum Domini trecentessimum octogesimum, magnas in Hispania inquietudines religionis causà excitauit. Ita vt necessum fuerit anno 381. quarto Nonarum Octobris *Synodum Cæsar-Augustanam*, cui etiam *Aquitaniæ* Episcopi interfuerunt, convocare: in qua celebres aliquot eius asseclæ, utpote *Instantius* & *Saluianus* Episcopi; *Helpidius* & *Priscillianus* laici (necdum enim tunc à fautoribus suis *Sedi Abulensi* in-

trusus

trusus erat) vnà cum sectæ huius hominibus absentes damnati sunt & re-
 scripto Gratiani Imperatoris extra *Hispanias* profligati. Quando interim *In-*
stantius, *Saluianus*, & *Priscillianus* cum mulieribus nonnullis (in quibus e-
 rat *Procula*, quæ vulgo credita est *Priscilliani* stupro grauida, partum sibi
 graminibus abegisse) *Romam* præsidij causâ contendentes, in *Aquitania* ad
 breue tempus confederunt, inibique non paucos in hæresim suam adsciue-
 runt. *Romam* porro appulsis, *Damasi* conueniendi potestas non est facta:
 ac ne *Ambrosius* quidem *Mediolani* eorum vocibus aures præbuit, ad noui
 dogmatis insolentiam cunctis exhorrescentibus. Non remiserunt tamen
Instantius & *Priscillianus*, quin corrupto officiorum Magistro *Macedonio*, à
Gratiano ad Episcopatus suos, quibus ob hæresim priuati erant, postliminio
 remearent. Nam *Saluianus* *Romæ* diem suum obierat. Cæterum anno
Theodosii septimo, CHRISTI verò 385. cum nullatenus desinerent prauitatis
 suæ dogmata propagatum ire, indictum est contra illos Concilium *Burde-*
gala in *Aquitania*, in quo *Instantius* Episcopus *Priscilliana* factionis defen-
 sor acerbissimus, damnatus ac depositus est; *Priscillianus* autem in se quo-
 que parem sententiam proferendam veritus, ad *Maximum* tyrannum *Tre-*
ueris tunc agentem fugam cepessit, eiusque se iudicio sistendum cōmisit.
 Apud quem à Catholicis Episcopis accusatus (nouo ad eam diem exem-
 plo, iudici prophano de hæreticis sententiam proferendam committe-
 re) capitale supplicium subiit; conuictus nimirum maleficij, atque noctur-
 nos conuentus cum fæminis religionis specie agitasse.

*Romam se
 confert cum
 Procula
 scorto (no.)*

*Priscillia-
 nus ob flagi-
 tia sua ca-
 pite Treuiris
 plectitur.*

Et hic quidem finis huius Hæresiarchæ fuit, sicuti & aliorum quorun-
 dam. Eius autem hæresis quasi sentina & colluies quædam diuersorum
Hæresiarcharum fuit, maximè verò *Gnosticorum* & *Manicheorum*. Cum ijs
 enim duos introducebat Deos: vnum videlicet bonum, qui nihil rerum
 visibilibus creauerit; alterum malum, à quo omnes creaturas processisse,
 nugabatur. Cum *Noeto* perro & *Sabellio* in diuinis personarum numerum
 (Trinitatis personas confundens) inficiabatur; cum tamen diuersis inte-
 rim appellauerit nominibus; indeque ad eundem esse Patrem, quem Fi-
 lium & Spiritum Sanctum. Cum *Origene* verò aiebat animas ante infusi-
 onem corporis peccasse, & in pœnam peccati in corpora, tanquam in
 carcerem, inclusas fuisse. Cum *Bardesane* autem dicebat, homines esse
 fatalibus stellis alligatos, & ipsum corpus nostrum iuxta duode-
 cim signa Zodiaca, compositum. Cum *Montano* effutiebatur *Prophe-*
tas fuisse arreptitios, neque eos intellexisse ea quæ loquebantur.
 De cuius prauis dogmatibus diuersis in locis scribens, eaque re-
 futans *Beatus Augustinus*, asserit *Priscillianistas* propter occultan-
 das contaminationes & turpitudines suas f habuisse inter cætera hæc
 verba.

Eius hæreses

*f Lib. de hæ-
 res. cap. 70.*

Iura, periura, secretum prodere noli.

g. lib. Re-
tract. ca. 11.

Scribens & alio quodam in loco g dicit, fuisse *Priscilliani* assertionem, mendacium nullatenus esse peccatum, etiam interposito periurio; unde idem *Augustinus* fatetur se permotum fuisse componere librum *contra mendacium*. In quo item de *Priscillianistis* agens solitos ait esse habere librum, quem *Libram* vocitarent, eò quod duodecim quæstionibus velut vnciis explicaretur, quibus horrendæ continebantur blasphemix. Ac pariter vti solitos hymno quodam peculiari, quem eundem illum esse dicerent, quem Dominus post cœnam cecinisset, &c. De quibus ad longum. *Baronius* tomo quarto in fine anni 381.

PRIVATIANI circa ann. 240.

Lambesita-
rum conci-
lium aduer-
sus Privatū
hæreticum.

h. Epist. 55.
ad Cornel.

i. ad ann.
242.

Anno Domini ducentesimo quadragesimo secundo, congregatum est ab Episcopis *Africanis* apud *Lambesitanam* Coloniam, quæ istis in partibus celebris est, nonaginta circiter Episcoporum Concilium aduersus *Privatum* hæreticum. Quem omnium sententia damnatum, *Fabianus* quoque Romanus Pontifex, & *Carthaginensis* Episcopus paribus votis suis literis in famia notatum, Ecclesiastica communione priuarunt. Quorum h. *Cyprianus* utique meminit, cum iterum ipsius temporibus idem *Privatus* novas in Ecclesia turbas commouisset. Cuius tamen hæreses quæ vel quales fuerint, reperire se non potuisse *Baronius* ingenuè fatetur: nisi quòd existimet fuisse eum potius alienæ hæresis, sectatorem, quàm novæ institutorem. Qui *Privatus* circa annum 255. cum magna suorum caterua legatum *Romam* misisse legitur ad *Cornelium* Pontificem, ad obtinendam ab eo Catholicam communicationem, & aduersus B. *Cyprianum* accusationem intentandam (in illius enim locum subrogari curauerat Pseudoepiscopum quendam *Fortunatum*) licet irritò conatu, utpote, qui à *Cornelio* repullam passus est, sicuti constare potest ex epistola *Cypriani* quinquagesima quinta, ad eundem scripta.

PROCLINIANITÆ circa ann. 182.

h. Cap. 8.

Hi fuere natione *Galata*, discipuli videlicet *Seleuci* & *Hermia* hæreticorum, quos *Philastrius* vocat *Prodinatæ* seu *Hermiotitas*. Qui eodem *Philastrio* simul & *Augustino* teste, docebant Christum non induisse carnem humanam, quam ex Virgine sumpsisset. Quin & carnis resurrectionem, & extremi iudicij discussionem inficiabantur. Sicuti & de quatuor animalibus ab *k. Ezechiele* descriptis, erroneè sentiebant. Degentes plerumque in *Galatia* partibus, vbi vulpium instar, ut *Philastrius* loquitur, delitescentes, vineam Domini Sabaoth demoliri conabantur.

PRO-

PROCLUS *sub Zephyrino Pontifice.*

Anno tertio decimo huius Pontificis, Christi verò ducentesimo quinto decimo *Rome* existens Proclus, celeberrimus inter *Cataphrygas* omnes *Montani* discipulus (ex hoc enim exorta est secta quæ *κατὰ Proclum* dicebatur) prauaque sua dogmata dispergens, coactus est publicè coram *Zephyrino* & vniuersa Ecclesia eorum rationem reddere. Aduersus quem *Gaius* spectatissimæ vitæ & eruditionis vir, disputationem valdè insignem habuit, quam & postea edidit. Qua *Proclum* Hæresiarcham manifestæ temeritatis, super noua Prophetia defendenda arguit. Quemadmodum constat ex *Hieronymo* in *Eusebio*.

l. De scriptor. Eccles. in Gaiō.

m. Lib. 6. histo. ca. 14.

PROTESTANTES *sub Carolo V. anno 1528.*

Ea tempestate qua *Carolus* ad clauum Reipubl. Christianæ prudentissimus Imperator residens, ac rerum suarum in propugnanda orthodoxa fide satageret; implorans nimirum ab ipsis Imperij principibus auxilium ac consilium, tum ad resistendum Turcis, tum ad conlopiendum graue illud in negotijs religionis exortum dissidium, quod accidit anno 1528. in publico *Spirensi* Conuentu, reperti sunt ibidem eorum nonnulli, inter quos maximè eminebant *Saxo* elector, & *Hissia* Landgravius, quibus nisi pro voto libertas religionis permetteretur, planè displicuit in re tam utili ac laudabili Imperatori opem ferre, quemadmodum protestatione interposita in celebri illo confesso (vnde & *Protestantium* nomen ijs adhæsit) contestati sunt, secessionem hoc modo à reliquis in negotio religionis facientes, ipsique Cæsari bellum parum illis faustum indicentes. Quorum vt iniquissimæ, postulationes fuere, & orthodoxæ fidei perniciosissimæ, ita nequaquam sine plurimarum pernicie animarum tolerari admittiue potuere.

Protestantiæ postulata.

Volebant enim, vt dictum, religionem cuique relinquere liberam, Missæ sacrificium in perpetuum missum fieri, concilium generale suo pro arbitratu indiciac peragi, in quod *Pontifex Romanus* nihil omnino iuris haberet, nolabant autem *Cameram Spirensis* contra procedere, nec quenquam ad direpta monasteriorum templorumq; spolia restituenda obligatum iri, atq; id genus alia perpetuis literarum monumentis, in sempiternam eorundem ignominiam, consignata. Quod vbi parum pro voto successit, bellum plus quàm *Catilinarium* in Cæsarem, malo concionatorum suorum consilio instigari, machinati sunt. Quod tamen *Sleidanus* suo pro more veluti iustissime susceptum commendare non desinit. Hisce enim *Protestantium* Principes sese verbis defendentes introducitur. Quia Cæsar, inquit, religioni exitium molitur atque libertati, causam præbet cur ipsum oppugnemus bona conscientia. Cum enim in eum casum res deuenit, licet resistere, sicut & sacris & prophanis historijs demonstrari potest. Fuerunt igitur Protestantes dicti germani illi *Lutherani*, qui se *Romana* ac *Catholica* religioni opponentes, armata violètaq;

n. Lib. ii. histor.

manu hæretica sua dogmata, contra legitimi magistratus auctoritatem, expressumque diuini Verbi prohibitionem propugnare nequicquam conati sunt. Quod quia præter ipsos & Angli in *Anglia*, & Scoti in *Scotia*, pro viribus quoque præstiterunt, hinc & ipsi quoque *Protestantium* sibi nomen adsciuerunt. De quibus sparsim agitur in libris *Caluini* *turcismi* *Guilielmi Reginaldi*, potissimum verò lib. 3. cap. 1. & lib. 2. cap. 19. & lib. 4. cap. 15.

P S A L L I A N I circa ann. 360.

o. Lib. 4.
heret. fabu-
lar.

Hi sunt iidem qui & *Euchyta* & *Enthusiasta*, de quibus supra dictum, nominantur, idque ideo quod semper orandum & psallendum dicerent.

P S A T Y R L A N I eodem tempore.

Fuerunt hi ex *Arrianorum* progenie, quorum meminit *Theodoretus*, impiè docentes, idem esse in Deo gignere atque creare.

P S E V D O A P O S T O L I ipsis *Apostolorum* temporibus.

p. 2. Corint.
ii.

Pseudoapo-
stolorum ha-
eresis circa
ann. 1296.
quid doce-
rint.

De his dolenter differens vas electionis, nominat eos *operarios subdolos*, *trāsfigurantes se in Apostolos CHRISTI*: quorum doctrina mera impostura, & errorum plena. Quorum mores & errores secutus, est *Parmensis* quidam *Gerardus Sagarellus*, qui se *Pseudoapostolorum* Ducem professus, sub *Bonifacio* huius nominis VIII. & *Adolpho* Cæsare Germano circa annum Domini 1296. (ita enim apud *Prateolum* reperio) flammis exustus est.

Asserebant enim *Apostolos* nec habuisse, nec recepisse pecuniam, nec aliquid in crastinum seruasse. Quin imò docebant nihil horum *Apostolis* licuisse, nec eâdem ratione illorum successoribus vlllo pacto licere. *Romane* quoque *Ecclesie* Sacerdotibus decimas non dandas; neminem subijci debere cuiquam, nisi Christo soli, quemadmodum *Apostoli* CHRISTO duntaxat subiecti fuissent. Item non licere Christianis vlla ex causa vllū iuramentum præstare. Papam non aboluere posse, nisi esset præditus vitæ sanctimonia, qua ipse *B. Petrus*. Eidem quoque non obediendum, sicut nec alijs *Ecclesie* prælatis.

P T O L O M A E I circa ann. 175.

q. lib. 1. in
prefat.

1. Aduers.
Valent. cap.
4.
s. Epipha.
hæres. 33.

Ptolomeum, sectæ huius authorem, nominat q *Irenæus* ideo *Valentini flosculum*, quod fuerit vnus ex primariis huius *Hæresiarche* discipulis. Quem *Tertullianus* ait nomina & numeros *Æonum* distinxisse in personales substantias: extra Deum determinatas; quas *Valentinus* in ipsa summa diuinitatis, vt sensus & affectus motos incluserat. Quin & duas Deo vxores tribuebat, *Intelligentiam* videlicet & *voluntatem*, ex quibus alios generaret Deos.

PUBLICANI *etate Christi.*

Ex diuinorum textu Euangeliorum manifestum est, penes Iudæos *Publicanos* fuisse malæ existimationis homines. Qui vectigalia à fisco conducentes, non tantum vectigalia à subditis, sed & professionem exigebant. Quos *Judei* idè exosos habebant, quod libertatis asylum viderentur infringere, atque ad seruitutem aditum aperire, cum ipsi genus *Abraham* ex libera liberis se esse profiterentur, nec quicquam alijs debere, nisi decimas Deo; leg. que statutum esset, ne quis filiorum *Israel* vectigal penderet. Hinc malè Iudæos habuisse legimus, quod *Saluator noster* duobus istis *Publicanorum* Principibus *Matthæo* ac *Zachæo* familiarem se exhibuerit. *Quidam* porrò ex *Jamblico* scribit, vitam *Publicanorum* apertam fuisse violentiam, impunitam rapinam, negotiationem nulla ratione fulcitam, inuerecundam mercaturam.

PURITANI, *sub Elisabetha regina circa annum 1574.*

Exortum est non ita pridem in Anglia peculiare quoddam hominum genus; quod, quia parum putum *Caluini* dogma consecrari se asserit, *Puritanorum* sibi nomen adsciuit, tam parum habens *Euangelica* puritatis, quam parum habet claritatis & albedinis, nigerrimus ille *Acherontis* incola *Lucifer*. Quorum equidem hominum mores nullus potuit accuratius describere, quam *Serenissimus Magna Britannia Rex Iacobus*; qui expertus non semel eorum imposturas & insidias, rotundis verbis nominat eos *furiosos & incendiarios, plusque se fidei reperisse in efferis latronibus, quam in illis*. Quando *Regis Angliæ* autem caput inter *Anglos* erigere cœperint, prodit hisce verbis *Sanderus* *glia de Puritanis suis* in origine *Schismatis Anglicani*, haud ita procul à fine. *Dixit*, inquit, *hoc* *sententia.* *tempore Elisabethæ nimirum, in Anglia Deus, linguas hereticorum. Noua enim* *Rigidorum Calvinistarum secta, id est, Puritani, scriptis & concionibus vehementer exagitare cœperunt vulgares Protestantes* (hos autem ipsi contemptim molles vocant *Caluinistas*, seu potius *Anglo-papistas*) *eorum credendi, dānāt mol-* *colendi, gubernandique recentem regiam seu parlamentariam formulam, in supra les Calvinis-* *centum capitibus, ut impiam ac supersticiosam condemnantes. Verùm satius fue-* *stas in capi-* *rit ipsummet Angliæ regem Iacobum loquentem audire. Qui in monitoria* *libus censū.* *suâ præfatione ad Imperatorem, Reges & Principes ita inter cætera ait. Ego à Puritanis non solùm à natiuitate continuò vexatus fui, verùm etiam in ipso* *mat is utero propemodum extinctus, antequam in lucem editus essem. Et iterum:* *pr. clara sanè laus, præclarum encomium, quo Puritanos ornauit, cum me plu fidei,* *vel in illis efferis cum montanis tum limitaneis latronibus, quam in hoc hominum* *genere inuenisse professus sim. Quæ quidem causa fuit, quòd fateatur acerbius* *se Puritanos quam Pontificios calamo perstrinxisse. Hæc enim eius ibidem*

De ritu ca-
remontiarum
quibus Puri-
tani utun-
tur, videa-
tur Cudse-
mius in des-
perata Cal-
uin causa
cap. 9. &
princip. c. 6
Lib. 1. de pa-
ce German.
cap. 4. pag.
59. & seq.

verba. Ego in meo ad Filium libro, multò acrius ac vehementius in Puritanos, quàm in Pontificios inuictus sum. Cui etiam cum secundo ederetur, prolixam in odium Puritanorum Praefationem Apologeticam preposui. Neque id immeritò, quia Serenissimam eius matrem, auiam nimirum moderni Regis paternam *Mariam Stuartam*, primò quidem diuturno carcere, dein verò etiam capitis supplicio (binos enim vel ternos, vt nonnulli scribunt, ictus carnificis ense infligi eidem voluerunt) enecarunt: idque anno 1587. die 18. Februarij. Quot verò centenos, ne dicam millenos, cuiuscunque sexus aut conditionis vario tormentorum genere è medio sustulerint, difficilè fuerit enumerare.

ET tamen hi tam puri *Puritani*, parum purè viuentes, cæteris *Caluinisequis* præstantiores videri volunt, illos enim *Papismi* arguunt, atque horrendè in eos intonant: sicuti constat ex libro *Guilielmi* cuiusdam *Amisii*, rigidioris huius *Puritanismi* assertoris strenui: qui contra *Caluinopapistas* Episcopos scribès, sunt, inquit, insignes aleatores, potatores strenui, religionis officia iusque deque habètes, versuti institores papistarum ambitionibus prauis corrupti, iuratos impij, homines denique vani, iniusti, turpes, & omnes filij *Behai*. &c. per duas integras paginas, quemadmodum citantur apud *t Adamum Contium*, desumpta ex scriptis *Nicolai Greuinchouii*, famosi apud Batauos *Caluinistarum* ministri.

PVTÉORITÆ circa seculum 400.

Philastrius de hisce scribens, dicit eos non tam hæreticos, quàm idololatrias apud Iudæos fuisse: qui puteos colentes, eosque in altum fodientes, inde aquam hauriebant, putabantque illam saluti conducere, ac nescio quid diuini in se continere.

Q.

QVADRISACRAMENTALES sub Carolo V

Hi sunt ex *mollium Confessionistarum* secta, qui teste *Staphylo*, quatuor duntaxat Sacramenta recipiunt; vtpote, Baptismum, Cœnam Domini, absolutionem, & Sacerdotium. Ita enim ex locis communibus *Philippi Melanchtonis* in *Wittenbergensi* districtu seruari asseritur.

QVATVORDECIMANI circa ann. 159.

Hos alio nomine *Quadradesimanos*, de quibus sub titulo *Paschatitarum* nonnihil dictum: qui in *Asia* soliti erant more Iudaico Pascha celebrare luna quarta decima, suntque aliquamdiu ab Ecclesia tolerati. Rea item in schisma & hæresim transeunte, excommunicationi à *Victore* Papa anno 159. subiecti.

QVIN.

QVINTILIANI circa ann. 173.

Numerat inter *Montanistas Epiphanius* hæreticos *Quintilianos*, quorum etiam *Augustinus* meminit, ortos nimirum à *Quintilla*, prophetissa *Montani*, qui in ciuitate *Pepuzæ* CHRISTVM in specie faminea reuelatum fuisse, nugabantur. y Lib. de hares.

QVINTINISTÆ sub Carolo V.

Traxerunt hi nomen à *Picardo* quodam sartore, *Quintino* nomine; qui hæresim in *Gallia* sparserit, cum *Coppino* quodam *Iusulano*. Quorum sententiam collectam ait *Calvinus* ex *Cerdonistarum*, *Manicheorum*, *Marcionistarum* & *Gnosticorum* delirijs, atque abominandis voluptatibus: iacentes pro fundamento *Euangelii* sui, omnia simulare ac dissimulare: omnibusque sacris tam *Catholicorum*, quàm *Euangelicorum* sese intrepidè immiscentes, ac *Scripturas* interim ridentes fabularumque loco habentes. Quin imò illorum *Prophetes Quintinus* vnumquemque *Apostolorum* *Icommate* aliquo denotabat; *Paulum* vocans, vas fractum; *Petrum*, Christi abnegatorem; *Io-* Quintinistarum hareses.
hannem, iuuenem stolidum; *Matthæum*, fœneratorem. Angelos fingunt nihil esse, nihil animas nostras, nihil etiam esse malum, sed Deum peccati esse authorem, CHRISTVM verò ex Dei spiritu, quem in nobis esse contendunt, componunt. Promiscuos laudant concubitus, & nocturnis congressibus tempus impendunt, aliaque id genus, prout latius eorum errores & phantasmata describit *Meshonius*: addens *Quintini* collegam *Coppinum*, *Tornacii* y. Lib. 5. histor. Anabasi- num. 6. & 7.
Neruiorum, extremo supplicio, hæresi prius abiurata, è medio sublatum.

QVINTEVANGELICI nostro hoc auro ac superiore.

Nostræ tempestatis *Sectarios*, qui se *Euangelicos* dici ac haberi volunt; non esse veros *Euangelii*, prout à quatuor *Euangelistis* traditum est, sectatores, vita & mores illorum abundè testantur. Vnde *Quint-euangelici* potius nuncupandi veniunt, qui sibi ipsis nouum euentes *Euangelium*, pro arbitratu suo liberè dicunt, scribunt, faciunt, quod animis eorum quàm maximè adlubescit. Probat hoc exiguo quidem, sed neruoso admodum opusculo *Andreas Iurgievvicus* natione *Polonus*, cui titulum indidit, *Quinti Euangelii professores NVLLVS & NFMO*. In quo ad oculum ostendit, atque ad eum ex ipsismet illorum scriptis euincit, hosce *Quint-euangelicos*, nec *Apostolos* nec *Ecclesiam primitiuam*, nec *Ecclesiæ Patres* aut *Doctores*, nec *concilia Generalia* aut *Prouincialia* fuisse secutos; sed proprijs semper commentis mordicus inhæsisse, eaque plebeis hominibus pro puro putopue *CHRISTI Euangelio* obtrusisse.

RANA.

RANATITÆ ante atatem Philastrii, qui vixit ann. 400.

Hi apud Iudæos & Ægyptios *Philastrio* teste, erant, qui ranas colebant, quas sub *Pharaone*, per diuinam iram & vltionem, *Mosisque* imperium, Ægyptiaca tellus produxit vt earundem infestatione & putore *Ægyptii* defatigarentur. Inque eo scelere eos suo tempore adhuc perseuerasse, existimantes iram Dei ex hoc vanæ superstitionis cultu placari posse.

RATMVNDVS Lullus, de quo superius dictum in titulo *Lulliani*.

REFORMATI nostro hoc æuo.

Fauorabili ac specioso admodum titulo se appellunt nostræ tempestatis *Novatores*, vt videantur omnis superstitionis vt aiunt, vetustate seposita, in nouitate vitæ ambulare, & quasi ad vnguem iuxta Dei verbum, *Reformati* esse. Quo quidem plausibili titulo, vt alij, sic *Caluiniani* potissimum res suas venditare norunt. Quorum reformationem pulchrè equidem ostendit *Beæanus* in lepido isto opusculo suo de *Titulis Calvinistarum*, vnde hæc compendiosè excerpimus. Dicit autem eos & *Reformatos*, & *Reformatores* nuncupari posse, duplici nimirum sensu. Primo quidem vt iam dixi, quod ipsi ad normam verbi diuini mores suos ac doctrinam se conformasse videri velint, sicque *Reformati* sint. Dein verò quod etiam alios in vitiorum suorum & *Papisticorum* abusu sordibus delitescens, inde extraxerint, & ad *Euangelicæ veritatis* lumen perduxerint, ac *Reformauerint*. Quod quo cum fructu orbis vniuersi præstiterint, ille quidem ad longum, nos autem succinctè perstringemus: incipiendo ab ipsa *Scriptura sacra*. Quam ita eos *reformasse*, verius dixerim *deformasse*, constat; vt eam in primis *Traditione*, quæ germana illi soror est, spoliauerint. Tum verò eandem ablatis aliquot libris vtpote *Tobia*, *Iudith*, *Hester*, *Machabaorum*, & aliorum nonnullorum, non secus ac si alicui nares & aures abscidissent, mutilauerint: reliquum autem corpus tot versionibus & sectionibus transmutauerint, vix vt amplius sibi ipsi simile sit. *Patrum* autem antiquorum libros, quo pacto vel reiiciendo, vel vitiosè transferendo reformauerint, inde quoque constare potest, quod dicant eos homines fuisse, qui vt errare potuerint, sic frequenter errauerint ita vt tutò iis fides haberi nec queat, nec debeat. Tribus porro modis ipsa *Ecclesiæ Sacramenta* reformare studuerunt. Nam septenarium redegerunt ad binarium, retinentes duntaxat *Baptismum* & *Eucharistiam*. Deinde ipsum quoque *Baptismum* ad salutem non esse necessarium docent. Tum quoque negant *CHRISTVM* in eucharistia præsentem esse. In qua tamen triplici *reformatione*, nec cum antiquis *Patribus* nec inter se conueniunt, prorsus vt opus habeant noua *reformatione*, quâ, ad concordiam reuocentur.

*Caluinista
quo pacto
Scripturam
Sacram re-
formauerint*

*Item San-
ctorum Pa-
trum libros.
Ecclesiæ Ca-
thol. Sacra-
menta,*

TOTI-

TOTIDEM quoque modis *reformatarunt* ministros Ecclesiæ, *Primò* rollendo ord nem & hierarchiam Ecclesiasticam, quæ viget apud Catholi- *Item templa*
 cos inter ministros Ecclesiæ. *Secundò*, liberando eos à cœlibatu. *Tertiò* no- *& monaste-*
 uas leges Ecclesiasticas præscribendo. Quæ quidem singula probat ibidem *ria.*
Becanus capite nono. Quàm verò deformiter & enormiter *reformatarunt*
 templa ac monasteria, quis pro dignitate explicare poterit? Nonnulla enim
 templa ac monasteria penitus euerterunt, alia profanauerunt, & in mole-
 trinas aliasque fœdiore officinas conuerterunt. Monachos abegerunt &
 occiderunt, Moniales incæstarunt. Substantiam Christi dissiparunt, atque
 Ecclesiasticam suppellectilem, vel in vsum belli, vel in propriam vtilitatem
 erogarunt: ipsa religiosorum domicilia, in quibus peregrini hinc inde com-
 meantes suscipi, & pauperes largiter sustentari solent, eū in modū reforma-
 runt, vt iam nec his nec illis amplius benefacere queāt. Sensere id *Cartho-*
lia aliquot *Belgica*, sensere id *Anglicani*, & passim aliæ in cineres omninò re-
 ductæ. Et quod dictu mirum, in sola *Anglia* intra vnus anni spatium, qui
 fuit millesimus quingentesimus tricesimus quintus, trecenta septuaginta
 sex monasteria à nouis istis *Reformatoribus* sub *Henrico VIII.* schismatico
 Rege occupata ac vastata esse, *Anglus* quidam fide dignus, a *Scriptor*, qui ista
 tempestate vixit, memorat. Festa verò ita *reformatarunt*, vt ea prorsus infesta
 Christi fidelibus reddiderint, ne dicam penitus abrogauerint, *Quid? an*
 non verba *b Caluini* ad *Mompelgartenses* *Ministros* hæc sunt: *infestis non recipi-*
endis, cuperem vos constantiores esse. Et paulò post: *In papatu magna celebritate*
Conceptionem & assumptionem Virginis coluerunt. *Quid habet feruus Christi*
quod dicat, si suggestum conscenderit illis diebus, nisi vt eorum stultitiam rideat, qui
tales ferias excogitarunt? Verùm enim verò à talium perniciosorum *Reforma-*
torum mala reformatione, conseruet ac liberet Ecclesiã suam misericors ac
 miserator Dominus; Auctor ac fautor boni, osor & explosor mali.

a Nicol.
 Sander.
 lib. 1. de
 schism. An-
 glicano.
 Fefforum.
 Reformati.
 b Epist. 51.

REGINALES sub Elisabetha Anglia Regina.

Merentur & hi titulum suum, & sempiternum ad posteros risum,
 Qui famineæ iussioni in negotijs religionis morem gerentes, ea & decer-
 nunt, & pro suggesta effariunt, quæ ab *Elisabetha Anglo-Papissa* illis incul-
 cantur. De quibus copiosè agit *Sanderus* in opere de schismate Anglicano,
 & author *c Caluinoturcismi*. Debent enim *Reginales* isti iuramento te
 astringere *Reginam* esse solam, supremam gubernatricem regni Anglicani *Lib. 2. cap*
 non minus in omnibus spiritualibus atque Ecclesiasticis rebus vel causis, quàm *16. & lib. 4.*
 temporalibus. Vnde illius est *Anglicano clero* de Archiepiscopis, Episco-
 pis, aliisque Prælati prospicere, ijque leges ac ritus diuina
 peragendi præscribere. Quos quidem ab officio cum vult, *cap. 7.*

suspendit, ut ostendat in hoc munere meram superioritatem suam; aliquando verò etiam è solio regali alloquitur, inquit *Sanderus*, & interrumpit coram amplissimo auditorio *Ecclesiasten* suum his ferè verbis: *Domine Doctor tu vagaris, & effutis multa impertinentia; recipe te ad textum, quem nobis exponendum suscepisti*: Eisdem etiam primo tempore regni sui noluit à coniugio abstinere, & dum in Ecclesiis cœnam suam eucharisticam administrant, cappis vti Ecclesiasticis, & tempore precum horariarum superpellicijs; tum quoque ne in publicum prodeant sine pileo & toga clericali, edixit. Et quod est auditu incredibilius, in primaria *Londonensis* vrbis ad complementum diurni officii (verba sunt *Sanderi*) quod olim terminabatur antiphona ad *Diuam Virginem* (incipiens nimirum *SALVE REGINA*) hodie dicuntur decantari laudes *Reginae Elisabethæ*. Quod vitrum etiamnum istic in vfu sit, me latet; id certum est, *Caluinistas* in exigua *Angliæ* insula in plurimas sectas esse dissectos, vtpotè, *Caluinopapistas, Barouistas, Puritanos, Consistoriales, Reginales, Familiares, Clancularios, Cauisarios*, & nescio quos non: De quibus idcirco consulendus d *Thomas Stapletonius*, homo natione *Anglus*, qui varijs in libris de illis agit.

d In tripli-
catione con-
tra VVitta-
ekezum cap.
59.

REMONSTRANTES sub initium sæculi. XVI.

Vocantur hi etiam nomine alio *Arminiani*, à *Jacobo Arminio*: cui se acriter opposuit *Gommarus*: de quo vtroque suis in locis dictum.

RHETORII, seu RHETORIANI

De his quidem agit *Philastrius*, quòd à *Rhetorio* quodam exorti sint in *Aegypto* & *Alexandria*; sed quo tempore non meminit. Hi in eo versabantur errore, quòd omnes laudarent hæreses, & neminem eorum errare, sed singulos quosque benè sentire, affirmarent. Quemadmodum & nostri ferè *Politici* facere videntur, existimantes quemque sua in fide saluari posse.

REIVDAIZANTES.

Hos *Prateolus* dicit esse *Iudios*, qui *Christiani* semel effecti, in *Judaismum* postea relabuntur; qualis fuit *Sabbatius* ille de quo agit *Nicephorus*. Quos ex sequentibus indicijs agnosci posse idem *Prateolus* asserit. *Christianorum*, inquit, *Ecclesias* raro ingrediuntur; *Iudaorum* conuentus & consortia ad-eunt frequentius; carnes porcinas non edunt; domi sue clam diebus *Dominicis* *sabbatha* colunt, & reliqua legalia *Christianis* prohibita, seruant in occulto.

ROGA

ROGATIANI B. *Augustini auo.*

Rogatiani sunt de *Donatarum* factione, à *Rogato* quodam sic denomi-
nati; cuius meminit *f. Augustinus*. Qui cum *Donato*, Filium esse mino-
rem Patre dicentes, Spiritum quoque Sanctum Filio inferiorem affir-
mabant: Tum quoque penes suam duntaxat partem veram esse Ecclesi-
am nugabantur; rebaptizantes illos qui ad eos descilcebant, quo-
rum baptismum præstantiorem esse aiebant, ac maioris apud Deum
meriti.

ROTMANNISTÆ *sub annum 1531.*

Fuit in diæcesi *Monasteriensi* sacerdos quidam apostata *Bernardus*, cog-
nomento *Rotmannus*, vnde hi *Anabaptistica* factionis homines familiam
trahunt. Qui in suburbio *Monasteriensi* ad *D. Mauriti* sacellanum aliquam-
diu agens; mutata velificatione, hæresim istic introducere pro viribus ad-
laboravit; patre prognatus fabro ferrario, viro veneficio infami. Qui cum
filium hunc suum *Moguntiam*, & ad alia superioris Germaniæ loca studio-
rum causâ misisset, doctiorem potius illum, quàm meliorem domum re-
deuntem vidit; utpotè *Melanchtonis*, aliorumque istic tunc temporis de-
gentium hæreticorum, familiaritate infectum: licet id quidem primo suo
accessu non ita præ se ferret, sicuti nec dæmon quidem primâ se spontè
prodit, transfigurans se in Angelum lucis. Episcopus tamen animaduer-
tens hominem veneno Urbem inficere, loco migrare iussit. Verùm ille
iussione Superioris posthabita, clam istic aliquamdiu delituit, & postmo-
dum aliorum præsidio munitus, denuò maiori cum religionis detrimen-
to in cathedram profiliit, & eiusmodi turbas in Vrbe excitavit, ut vio-
lentas Ecclesiis manus ciues rerum nouarum auidi inijcerent, easque
prophanarent ac spoliarent. Pædobaptismum autem introducens, no-
uos sibi mores fingebat, nouam vitæ grauitatem, gressu incedens com-
posiro, vultu maturo, ut quasi numen quoddam præ se ferre videretur, lu-
pina interim fraude plenus. Affixit enim articulos quosdam valdè
Christianæ Reipubl. perniciosos; docendo, pædobaptismum coram Deo
abominationem esse: Eucharistiæ Sacramentum, quod à Sacerdotibus ele-
uari solet; idolum esse *Baaliticum*: impios esse *Papistas* & *Lutheranos*, qui
commessantur, scortantur, epulantur, Dei denique verbo aduersantur;
omnes consecrationes, cæremonias, ritus, extra suam Ecclesiam, à dæmo-
ne originem trahere: Christi fideles Sacerdotum figmentis decipi: **CHRIS-**
TVM humanam naturam in *Maria* non assumpsisse: coniugia Christiano-
rum reuocanda esse, cum ante iteratum baptismum legitima non fuerint.
Atque id genus alia impia & blasphemata. Quorum equidem scelerum suc-
rum pœnas ex parte persoluit, quando *Monasteriensi* Vrbs abs Principe suo
anno domini 1534. armata manu occupata, in confertissimam hostiū turbā
semet

femet trucidandum ipse coniecit, quò atrociora tormétorum genera noxius homo euaderet.

RUTHENI, olim Schismatici, sub Clemente autem VIII.

Ecclesia Romana reconciliati.

Rutheni seu *Russi*, vel etiam *Roxolani*, sunt populi *Sarmatiae Europae*, non procul a *Tanai* fluvio. Quorum regio in duas dividitur prouincias. Est enim *Russia nigra* & *alba*. illa *Polonia* contermina, hæc *Mosconia* pars. *Russia nigra* ad Austrum clauditur *Sarmaticis* montibus. *Russia* verò *alba* ad ortum habet finitimos *Scythas*, qui *Tartari* hodiè nuncupantur: ab occidente *Liuoniam* & *Finlandiam*, ad Austrum *Lithuaniam*: ditiones nimirum amplissimas. Qui quidem *Rutheni* ad fidem *CHRISTI* conuersi, & *Ecclesiae Romanae* subiecti, vicinorum suorum, & maximè *Græcorum* schismaticorum, fraude circumuenti, atque in schisma pertracti: negarunt aliquamdiu *B. Petrum* apostolum verum fuisse *Romanae Sedis Pontificem*, idemque de illis, qui eidem in eadem Sede successerunt, tulerunt; negantes *Ecclesiam Romanam* esse caput cæterarum omnium *Ecclesiarum*. Non admittebant etiam *SS. Latinorum Patrum* scripta & lucubrationes; nec *Conciliorum generalium* determinationes. Respuebant insuper excommunicationem, Sacramentum confirmationis, extremæ unctionis, & Purgatorium. Cum *Græcis* deniq; in pane fermentato, & non in azymo consecrabant: aliosque errores penè ad quadraginta mordicus defendebant. Verùm anno *M. D. XCV.* residente in cathedra apostolica *CLEMENTE Octauo*, miserunt ad illù *Ruthenorum* *Ecclesie* honorificam planè legationem, qua abolito ditro schismate, sanctæ *Romane Ecclesie* communionem *Catholicam* postliminio conlectæ sunt, eidemque reconciliatæ. De qua ad longum *Baronius* peculiari quodam tractatu; quem ad finem annalium suorum tomi septimi adijci curauit.

RISVVICANI sub Carolo V.

Hermannus quidam *Rysvick*, huic factioni nomen dedit, insignis nimirum præstigiator; qui ob impietatem, anno superioris sæculi decimo *Haghe Comitibus* apud *Batavos* incineratus est. Cuius stolones in *Frisia* postmodù pullulare cœperunt. Homines nimirum *Athei*, perfidi, ac malitiosi, liberâ voce profitentes, nec *Christum* esse, nec *Deum*, imò nec *cælum* nec *infernum diabolum*ve, uti *g. Lindanus* de illis commemorat.

S.

SABBATARIi sub Carolo V.

Hi sunt ex *Anabaptistarum* numero, qui sabbathum *Iudaico* more colentes, diem dominicum aspernantur, solumque *Patrem* inuocant; *Filium*

verò

anno 867.

Ruthenorum
haereses &
errores.

Anno 1510.

g. D. al. 2.
Dubitant,
in fine ca. 9.
pag. 248.

verò & Spiritum Sanctum negligere videntur, teste *Staphylo*.

SABBATIANI, circa ann. 408.

Sabbatiani, qui & *Protopaschita* dicti sunt, traxerunt nomen à *Sabbatio* quodam, ex *Iudaismo* ad *Christianismum* conuerso ac *Presbytero* ordinato; *Iudaicè* tamen interim *Pascha* peragente. Hic factus *Novatianus*, sed à schismate ob *Episcopatum* non adeptum resiliens, à *Novatianorum* se corpore seiunxit. Quem suis cum assensibus *Theodosius Junior* anno 413. proscriptione & exilio postquam damnasset, ille *Rhodium* relegatus, vitam ibidem in exilio finiit.

SABELLIANI, ann. 260.

Sabellius, hæreseos huius auctor, vel potius propagator *Ptolomai* de *Lybia* vrbe oriundus, *Noeti* quondam hæresiarchæ discipulus extitit: à quo, sicuti etiam *Hermogene*, erroris sui cõmentum mutuatus est. Qui factus potentissimus impij dogmatis propugnator, negauit Personarum in *Trinitate* distinctionem: dicens, ea tantum esse nomina, ad diuersos effectus diuinitatis insinuandos, cõposita. Vnde cum vnam duntaxat personam assereret, illa necessariò deducebatur consequentia, vt sicuti *Filius*, ita & *Pater*, & *Spiritus S.* æquè dicerentur incarnati & passi. Hæc etenim erat præcipua *Sabellij* blasphemia. Cui & alteram ex *Hermogene* adiecit, vt diceret materiam ingenitam esse. Sicuti testatur *Eusebius* ex *Dionysio*. Cum porrò *Sabelliani* non possent mendaciorum suorum commenta, manifestis diuinarum literarum testimonijs comprobare, *Aegyptiorum* pseudoeuangelio, & apocryphorum libris eos vltos esse *Epiphanius* testatur. Cæterum nouos quoq; *Sabellianos*, nostra vidit ætas. Nam vnam duntaxat in *Deo* personam esse, non tres *Michael Seruetus* apertè docuit, & nunc ea sententia variis in locis regnat. Similiter & *Iacobus* quidam *Sebeckius Brentianus* detrectauit dicere tres esse in *Deo hypostases*, contendens vnam solummodò esse cum tribus potentijs.

SACRAMENTARIJ, sicuti olim, ita & nunc maximè
anno 1525.

Sacramenta omnia abijciebant olim veteres hæretici nonnulli, vtpotè *Ascodyta*, *archontici*, *Massiliani* & alij: dicentes non oportere diuina esse mysteria, quæ sunt inuisibilium signa, nec incorporalia per visibilia atque corporalia communicanda. De quibus tamen hic non agitur; sed de ijs duntaxat *Sacramentarijs*; qui nouum de *Eucharistiæ* sacramento dogma sequuntur, in quo tam à *Catholicis* quàm *Lutheranis* dissentiunt; vt enim hi affirmant: *CHRISTVM* realiter in hoc Sacramento præsentem esse, ita & isti id penitus inficiantur. Quorum primus author fuit *Andreas Carolstadius*, qui anno *M. D. XXII.* cœpit docere, nihil esse in cœna præter panem.

k Epistola
ad Frid.
Mycon.

panem. In quo secuti sunt illum *Zvvinglius, Oecolampadius, Bullingerus, Ochinus, Petrus pseudo-martyr, Calvinus, Beza, Boquinus, Klebitius, alii.* Quo quidem nouo suo dogmate *Carolstadius* ita offendit præceptorem suum *Lutherum*, eiusque complices, vt *k Melancton* hunc in modum de illo coactus sit scribere: *Carolstadius, inquit primùm excitauit hunc tumultum, homo ferus, sine ingenio sine doctrina, sine sensu communi: quem nullum vnquam humanitatis officium aut intelligere, aut facere animaduertimus, &c.* Verùm non facilè id *Carolstadio* persuaserit, dicenti apparuisse sibi virum quendam cœlestem, à quo suam de explicatione cœnæ sententiam didicerit. De quo quidem viro cœlesti libet hic *Aegydi Hunni* Lutherani verba hæc subiungere: *l Gloria-tus est Carolstadius, venisse ad se virum quendam, qui admonuerit de explicatione verborum cœnæ, quòd vocula, Hoc, eum in modum quem ipse tradebat, esset accipienda. Et hunc virum fuisse Patrem cœlestem. Respondit autem Lutherus virum illum non Patrem cœlestem, sed aut diabolum ipsum, aut certè huius fuisse matrem.*

l Lib. de cœ-
na Dom. c
14.

Sacramen-
tariorum in
ter se discre-
pantia.

PORRO *Sacramentarii* partim inter se conueniunt, partim discrepant. In eò conueniunt, quòd negent *CHRISTVM* realiter in cœna præsentem esse. Discrepant autem in sensu, quo verba Christi, *Hoc est corpus meum*, explicanda sint. Quæ quidem *Carolstadio* sic exponuntur, *hoc est corpus meum*, id est, hic ledet corpus meum ad mensam. *Zvvinglius* autem aliter, vtpote: *hoc est corpus meum*, id est, hic panis significat corpus meum. Sed quid interrim ad hæc *Lutherus?* *m Verba*, inquit, *Christi hunc habent sensum, hoc est corpus meum id est, hic panis est corpus meum.* Qui sectam *Sacramentarium* statim à principio, etiam intra vnus anni decursum, in quinque vel sex capita diuisam esse fatetur, cum ait: *n Primus erat Carolstadius cum suo Tuto: Secundus Huldericus Zvvinglius, qui vocem EST, per significat, interpretabatur: Tertius Oecolampadius, cum figura corporis: Quartus ordinem textus inuertit: Quintus iam in via est, qui verba mutat: Sextus adhuc quasi in partu heret, & verba textus ventilat: veniet etiam fortassis septimus, & chartas lusorias permiscebit.* Hæc *Lutherus*. Sed quid dicemus ad hæc, an diuisus est *CHRISTVS*, an disensionis auctor, tot denique *Sectarum* ac *Sectariorum* fautor, qui sacratissima sua verba, in vltima cœna simpliciter prolata, impunè sinet in tot discrepantes ac mendaces sensus detorqueri? *Lutherani* certè qui historiam *Confessionis Augustanæ* de cœna Domini conscripserunt, diris iam dudum *Sacramentarios* deuouerunt, cum isto suo explicatu, quando hisce *Lutherani* verbis suam istic concludunt historiam. Deo soli gloria. Diabolo eos execrantur. & squamis ipsius *Sacramentarii*, *Zvvingliani* & *Caluiniani* perpetua ignominia & confusio. Hancque suam imprecationem, finiunt cum attestatione nominis, *Amen.*

m Lib de
captiuit.
Babylon. cap
de eucha-
ristia.
n Tom. 3.
German fol.
285. b.
Diuisi sunt
in quinque,
sex vel sep-
tem sectas

SAD.

SADDUCÆI tempore Christi.

Sadducai à *Saddoc* quidem Sacerdote appellationem nominis mutuati sunt, sed ab eius disciplina desciscientes, erga externos illiberales admodum & inhumani extiterunt, ideoque & minus populo grati, & numero pauci, sed ferè dignitate præcipui, quos tamen æquè ac *Phariseos progenies viperarum* o *Matth. 3.*
Iohannes Baptista nuncupat. Docebāt autem non esse resurrectionem mor- *Sadduca-*
 tuorum, neque Angelum neque spiritum: cum alioquin p *Pharisei* hæc fa- *rum errores,*
 terentur. Sed & animas vnà cum corporibus extinctum iri aiebant. In reli- *p Actor. 23.*
 quis verò cum *Samaritis* sentiebant, nisi quod Hierosolymis agentes, vnà *vers. 8.*
 cum Iudæis sacrificarent.

SAMARITANI eodem Christi tempore.

Quinam fuerint veteres *Samaritani*, ex quarto q *Regum* volumine ma- *q 4 Reg e.*
 nifestè patet: quippe, qui *Samariam*, metropolim nimirum decem tribuum *17 num. 24.*
Israel incolentes, Deo simul ac dæmonibus sacrificabant; diuisi interim à *Samaritan-*
Iudæis, nihilque cum eis ceu profanis, r commercij habentes, nec templum *orum*
Hierosolymitanum frequentantes; contemptores *Prophetarum*; quo- *gentilium*
 rum libros reiiciebant, & *Mosaicos* duntaxat acceptabant: inficientes retur- *cultus.*
 rectionem corporum, sicuti & Spiritum Sanctum. Quorum sectam fuisse *Eorum di-*
 quadruplicem s *Epiphanius* tradit; utpote *Essenos* *Sebuanos* *Gorthenos* *Dosi-* *uersa secta.*
theos. Et licèt eorum nonnulli tum à *Christo* tum à *Philippo Diacono* conuersi *p. Panar. 10.*
 & baptizati legantur; tamen secta illa vsque ad tempora *Iustiniani* Impera- *21. cap.*
 toris peruenit: sub quo sibi creato Rege *Palestina*, cum Ecclesiam dirè vexa- *Imperator*
 rent, ab eodem Imperatore coerciti sunt, lata nimirum lege, ne essent *Sama-* *Iustin. lege*
rita alter alterius hæredes, neue per successiones opes illorum crescerent. *in eos ani-*
 Fuit & t *Gregorio Magno* deludandum contra *Samaritanos* anno 596. tem- *mauertit.*
 pore *Mauritii* Imperatoris, quòd seruos Christianorum emerent, eosque *Circa ann.*
 circumciderent. *530.*

SAMP S A E I circa ann. 105.

Helcesaita, de quibus superius dictum reperiuntur etiam *Sampsei* nuncu- *Ad an. 1055*
 pati, à nouo quodam vt cenlet v *Baronius* auctore, qui meminuit interim ad *annum* 748. alterius cuiusdam *Sampsonis* hæretici, *Scoti* nimirum Presbyteri,
 baptismum ad salutem necessarium esse negantis, & solam Episcopalis ma-
 nus impositionem sufficere contendentis.

SANGVINARII sub Carolo V.

Hi teste x *Lindano* sunt ex *Anti-Lutheranorum* secta, qui humanum san- *Dial. . Du-*
 guinem epotantes, more *Catilinario*, ad sua se sacrilegia & homicidia ob- *bitant. pag.*
 stringebant. Qualem *Anabaptistarum* sectam narrant nonnulli *Antuerpia* 179.
 aliquando visam esse.

SARA-

SARABAITÆ circa ann. 328.

Sarabaitæ erant Monachi, qui quòd semetipfos à cœnobiorum congrega-
 tionibus sequestrarent, ac singulatim res suas curarent, hoc nomine nuncu-
 pati sunt, vti *Cassianus* ait; de quibus author ille qui ad *fratres in eremo* sermo-
 nes aliquot scripsit hunc in modum loquitur & *Sarabaitæ* Angelicâ facie foris
 ostendunt, sed eos lupû in corde habere non dubitamus. Hi in *Aegypto* erant in fora-
 minib. petrarum habitantes, induti pecorum & boum pellibus, tantum cincti fu-
 nibus palmarum, spinas ad calcaria portantes, & ad cingulum ligatas. Discalceati
 & sanguine cruentati caernas exeuntes, ad festum *Scenopegia Hierosolymam* per-
 gebant, *Sancta Sanctorum* intrantes, &c.

y Gollat. 18.
cap: 7.
z Serm. 1.

SATANIANI circa ann. 361.

Agens a *Epiphanius* de *Massalianis* hæreticis, adiungit eis & *Satanianos*,
 quod eodem propemodum tempore exorti, peculiarem *Satane* cultum im-
 pendeabant, rati hac ratione se minimè ab eo lælum iri, quem deuoto sacrifi-
 ciorum ritu placabilem sibi fecissent.

a Hæresi. 80

SATVRNIANI circa annum 110.

Saturninus Hæresiarcha, qui hisce nomen impertijt, patria fuit *Antio-
 chenus*, *simonis Magi* & *Menandri* discipulus, quem alij *Saturnillum* nuncu-
 pant. Qui in *Syria* erroris scholam circa annum 120 aperiens, & *Menandri*
 dogmati inhærens, sic Deum Patrem omnium dixit creatorem, vt tamen
 mundum à seipsum Angelis creatum, hominemque voluerit Angelorum
 esse facturam. Rursus, Deum Iudæorum vnum ex Angelis esse dixerit; quod-
 que aduersus Patrem rebellasset, in eius destructionem missum esse Chri-
 stum, & in salutem credentium, eundemque ignotum & incorporalem ac
 sine figura, putatiuè tantum visum esse hominem. Duo insuper hominum
 genera ab Angelis esse facta, alterum nequam alterum bonum. Nubere, &
 generare, a Satana esse: & quasdam Prophetias ab Angelis quasdam à Satana
 esse reuelatas. De quo b *Irenæus* martyr.

b Lib. 1. cap.

12.

Saturninus
Arelatens.
Epis. Arria-
nus.

Fuit porro anno 356 & alius quidam SATVRNINVS, *Arelatensis*
 Episcopus *Arriane* hæreseos labe infectus; qui habito *Biterris* Concilio, plu-
 rimos seduxit, & *Hilarium Pictaviens.* simul ac *Rhodum* Episcopum *Tolosa-*
num, in exilium relegauit. Sed post *Constantii* Imperatoris obitum, ipse quo-
 que à Catholicis sacerdotio pulsus est anno 362.

SCHEMATICI circa ann. 452.

Dicti sunt *Schematici* illi hæretici, qui *Synodum Chalcedonensem* reiece-
 runt, teste *Baronio* ad præfatum annum.

SCHIS-

SCHISMATICI etiam ipsis Apostolorum temporibus.

Schismatici secundum B. Cyprianum iudicandi sunt omnes illi, qui vni Ecclesiæ, cathedræ nimirum Petri, non sunt compage communionis vniti. Quorum studium est seditiones ac perturbationes in Ecclesia concitare, ac proprias adiuuentiones mordicus defendere. Vnde obsecrat Apostolus *Corinthios*, vt id ipsum dicant omnes, *nec sint in eis schismata*. Quæ idem Cyprianus non aliunde ait nata esse, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non optemperatur, nec in Ecclesia ad tempus Sacerdos (per Sacerdotem autem, Romanum Pontificem intelligit cui se *Nonatianus* schismaticus opponebat) & ad tempus Iudex vice CHRISTI cogitatur.

SCRIPTVRARIJ tempore Caroli V.

Ex Anabaptistarum colluie prodiit quoddam phanaticorum hominum genus, qui se *Scripturarios* inde dici voluerunt, quòd solis Scripturis inhærescendum esset. Qui in illa *Hollandiæ* parte quam *Vaterlandiam* vulgus nuncupat, *Paulini* dicebantur, à continua epistolarum *Pauli* lectione.

SEBASTIANVS Castalio sub eodem.

Fuit hic ex *Caluini* schola, apud quem domi aliquamdiu educatus. eiusque dogmatibus imbutus, dissensit tamen aliquantò post à magistro, quòd Deum authorem peccati asserat, quemadmodum videre est in erudito illo opere *de Caluino turcismi Guilielmi Reginaldi*, qui interdum *Castellionem*, non nunquam verò *Castalionem* eum nuncupat. Qui quidem scribens librum de prædestinatione ad *Caluinum* propositiones quatuordecim ex libris eius collegit, directè ac plenè contra sententiam *Caluini* facientes; quas adiectis argumentis, ex communi plurimorum *Euangelicorum* sensu verboque Dei petitis, refutat. Quod indignè ferens *Calvinus* & mox in cornua consurgens libellum actutum emisit, quem pro solita sua modestia inscribit: *breuem responsionem ad diluendas nebulonis cuiusdam calumnias, quibus doctrinam de eterna Dei prædestinatione fœdare conatus est*. In quo postquam *Castalionem* quasi toruitate aspectus & verborum maledicentia protelasset, vocans eum *nobilem canina improbitatis, cuius intolerabiles dicit esse latratus*; tandè vltius progressus, reuidens inquit, *e se probè nouisse Castalionem, quem domi sua aluerit, sed nullum vnquam vidisse magis superbum, vel magis perfidum, vel humanitatis expertem*, vocatque eum *impostorem & scurram*. Vtque librum hunc suum *Calvinus* eadem qua cœperat modestia finiret, cum hac *Geneuensi* benedictione commensalem hunc suum *Castalionem* dimittit. *Composuit te Deus Sathan. Amen Geneua anno 1558.*

PORRO vt *Castalioni* eruditio non deerat, nec affectata eloquentiæ studium, ita magno, si non irritò conatu, nouam aggressus est *Bibliorum* translationem: quam edidit *Basilea* anno 1556. dedicatam *Eduardo VI.* Anglorum

glorum Regi tantopore in Catalago Scriptorum *Simleri* commendatam, *vs omnes omnium* (scilicet) *versiones hæctenus editas, longo post se intervallo reliquisse videatur.* Sed quàm malum se cenforem ac commendatorem præstiterit hac in parte *Simlerus*, vel potius *Gesmerus*, ex quo ille Epitomen Scriptorum conflavit, patet ex *Theodoro Beza*, *Castalionis* (ex eadem enim *Caluini* schola vterque Theologus hic prodijt) condiscipulus: qui suis in annotationibus, *Castalionis* translationem reprehendit, tanquam *falsam, ineptam, imperitam, audacem, blasphemam, vitiosam, ridiculam, execrandam, erroneam, impiam, peruersam.* Vnde hunc in modum eum affatur, *miror te vetera & omnibus trita vocabula* (pro *Angelis* enim vertit *genios*, & id genus plura) *expunxisse, ut noua & plerisque obscura substitueres.* De latino porro sermone, *quantum ipse tibi placeas, nemo non videt.* Sic planè est; viderunt id & *Catholici & Calvinistæ* pluri-
mi. Nam *Albericus Gentilis* ex horum etiam castris prodiens, & de Latinitate veteris interpretis librum conscribens, *dissplacet*, inquit, *immensa audacia Castalionis profana simul & puerilis interpretatio.* Ex nostris verò *Genebrardus* his verbis, *f Castalionis versio est affectata, plus habens pompa & phalerarum, quàm rei & firmamenti, plus fuci quàm succi, plus hominis, quàm spiritus: plus fumi, quàm flammæ, plus foliorum, quàm fructuum.* Et plura in hunc modum ibidem. Notat etiã *Lindanus* vitiosas & ineptas aliquot *Castalionis* bibliorum translationes in dialogo secūdo. *Ruardi* cap. 7. Pari quoque transferendi, ne dicam corrumpendi studio, idem *Castalio* vltus est in opusculis *Thomæ Campensis* de imitatione CHRISTI; quæ expolitiore reddere stylo aggressus, primò pedibus illa truncavit, quarto libro in quo de Venerab. Sacramento agitur penitus amputato. Deinde reliquo corpore, in persis verborum sententiarumque floribus, non ornauit, sed turpiter deformauit, suauitatem non sensit, veræ pietatis gustum non habuit, persuadēdi efficaciam ademit, neruos virtutis incidit, ipsam denique animam Auctoris quemadmodum non minus veraciter, quàm eleganter scribit *Henricus Sommalus*, elisit. Cæterùm cum *Castalio* professorem aliquamdiu *Basileæ Rauracorum* egisset, obiit anno 1563. *Caluino* adhuc superstite.

SEBASTIANVS *Franciscus* circa ann. 1530.

Fuit quidem hic vir eruditus, & in conscribendis historijs sedulus, & in religione *Atheus*, & quasi *Paganus*, vti de eo scribit *g Meshonius*. Qui tripartitæ historiæ volumina aliquot edens absurdissimas nonnullas hæreses amplexus est. Fauens quidē impensè *Catabaptistis*, sed non in omnibus cum ijs consentiens. Quorum dissentientes sententias vltra quadragintas ipse scriptis suis prodidit. Homo vti reliqui ferè è fece ista omnes, versipellis errorem apud *Argentineses* suum clam diffeminans, ac plurimos hac ratione in laqueum deceptionis pertrahens, atq; inter fœda mortalia peccata ac venialia parum discriminis statuēs, Sacramēta verò ac cæremonias mera puerorum crepundia reputans. Propter *Chronicon* autem suum ab *Argētinesibus*

Ab Alberico
Gentili.
Et à Catho-
licis.
f Præfat. in
Originem.

Henricus
Sommal. in
epist dedica-
operi Tho-
mæ Cam-
ps. præfixa.

Sub finem
libri. 3. histor
Anabapti.
pag. 78.

bus Vrbe pulsus est, typographo verò eius vendendi facultas penitus interdicta. Continet enim multa impia, vana, mendacia, maximè tertia seu vltima eius pars quæ vti cæteris prolixior, ita quoque exitialis est, in qua omni ingenij contentione Catholicam Ecclesiam oppugnare, ac tantùm non pessundare conatur.

SECUNDVS circa ann. 180.

Secundus, sicuti & *Ptolomeus* quidam fuere *Valentini* Hæresiarchæ discipuli, per omnia ferè cum Præceptore consentientes, nisi quod triginta *Valentini* *Æonibus* illi alios complures addiderunt. Et quidem *h B. Jrenæus* de *Secundo* differens, plura ostendit in quibus ipse à *Valentino* in *Æonibus* discrepauerit, Addit verò *i Epiphanius*, eundem *Secundum* tandem se coniunxisse *Epiphani Carpoeratis* filio, etiamsi, vt ait, aliqua ex parte inter se differrent.

h Lib. 1. cap. 5. i Hæres. 32.

SECUNDINVS circa ann. 806.

Fuit hic discipulus *Manichæi*, qui epistolam ad *B. Augustinum*, sibi nunquam oculis vsurpatum, scribens; hortatur vt desertis Romanæ fidei castris ad *Manichæorum* partes se postliminio recipiat; probare conatus, *Catholicos* in fide sua errare; dicebat enim Christum non esse vnigenitum Patris secundum naturam. Deum porrò mutabilitati obnoxium; & malum esse substantiam quandam, carnes denique edendas non esse, quòd à malo principio creatas diceret. Verùm *Augustinus* libro aduersus eum conscripto, ipsum potius à vero deuiare demonstrat, & vt tempestiuè resipiscat, commonefacit.

Secundini Manichæi hæreses.

SECTARII vt olim sic & nostro hoc æuo.

Generali vocabulo *Sectarios* nuncupare eos licet, qui à veteri orthodoxa fide desciscentes, sibi ipsis propria quædam commenta, quibus mordicus inhærescunt, præscripserunt. Quorum quatuor potissimum articulos esse, quos vnanimi consensu retinent, *Staphylus* in *Apologia* asserit. Primus est, quod *Secta* omnes volunt videri & haberi *Euangelici*, qui purum putumq; *Dei* verbum habeant & prædicent; illudque per se intellectu facile sit, quod tam mulieribus quàm viris tractare & explicare liceat. Secundus, quod pari impietatis studio *Romanam* Ecclesiam oppugnent, sanasque eius diuinarum literarum explicationes reiiciant, & *Pontificem* pro *Antichristo* habeant, *Missæ*que sacrificium idololatriam nuncupent. Tertius, quod pleriq; omnes *Sectarum* duces mendacia nonnulla de Catholicorum doctoribus comminiscantur, inculcantes auditoribus suis, nos plus facere Traditiones hominum, quàm verbum Dei: quod dicunt à nobis corrumpi & a veterari: fidem apud nos negligi, & sola opera commendari: non minus Sanctos, quàm *CHRISTVM* à nobis coli: confidere nos insuper plus proprijs meritis, quàm passioni *CHRISTI*, atque id genus alia sexcenta, quibus populo perstudeant, doctrinam nostram esse fallam, absurdam, impiam, ac verbo Dei contrariam.

Quatuor articuli quos omnes Sectarij vnanimi consensu retinent. Primus. Secundus. Tertius. Quæ mendacia Sectarij Catholicis impingant.

Quartus.

Quartus denique articulus in quo consentiunt, est, quod Pontificiam religionem vocant *carnificinam quandam*, vbi oporteat ad amissim peccata sua sacramentaliter confiteri, continenter viuere, præfinitis nonnullis temporibus ieiunare, & à carniū esu se reseruare, aliaque factu impossibilia præstare. Et his quidem arietibus Orthodoxam impugnant vnanimiter Ecclesiam, ipsi inter se nullatenus vnanimis, sed quot eorum capita, tot discrepantes ac repugnantes sententiæ.

SELEUCIANI, circa annum 170.

k. lib. de hæ-
res. ca. 24.
p. 25.

k. Philastrius inquit *Galatas*: homines *Seleucum & Hermiam* eandem cum *Sebellianis* de materia Deo congenita opinionem sectatos, alia quoque addidisse; nempe quod Paradisum visibilem appellarent ex Platone, & animas hominum de igne & spiritu esse existimarent: Angelos dicerent esse creatores animarum nostrarum; mundum istum infernum esse, & alias id generis nugas.

SEMIARRIANI circa ann. 347.

Hi ab *Arrianis* prognati, CHRISTVM quidem creaturam confitentur, per similitudinem autem creaturam ipsum dicunt, sed non velut vnã ex creaturis. Eodem etiam modo de Spiritu Sancto sentientes, creaturam penitus ipsum decernunt. Reijciunt Filij coessentialitatem. Quorum hæresis magnas in Ecclesia inquietudines excitauit. Quippe, qui aliquamdiu habitati sunt *Catholici* ratione *Arrianorum*: dirè autem altercati sunt *Seleucia & Constantinopoli* cum *Arrianis* anno 359. & se inuicem damnârunt. Cum verò postmodum *Macedoniana* se factioni sociassent anno 360. & *Macedoniani* quoque nuncupari cœpti sunt: subscribentes huic hæresi in conciliabulo, anno 365, *Lampsaci in Hellesponto* coacti.

SEMIDALITÆ circa ann. 535.

Acephalorum hæresis vti varia habuit capita, sic etiam inter illos nonnulli existère, qui *Semidalitæ* siue *Barsaniani*, vt inquit, *Damasceus*, nominati sunt. Qui cum omnia *Gaianorum & Theodosianorum* (fuerunt autem & hi *Acephalorum* factionis) decreta defenderent, aliquid tamen interim de suo adijciebant.

SEMICHRISTIANI seu Semi-Catholici.

l. Lib. de ex-
presso Dei
uerbo.

Semichristiani sunt, inquit, *Hosius*, qui cum de CHRISTO capite credant quæ credenda sunt omnia, priuata tamen sua libidine, certis in ritibus ab eius corpore se diuidunt. Itaque dimidia ex parte volunt esse *Christiani* seu *Catholici*, dimidia ex parte hæretici, aut schismatici. Qui in *utinam* frigid-

an.

aut calidi essent, sed quia tepidi, & claudicant in vtramque partem, euo-
mentur ex ore Dei, dicentis *nemo enim potest duobus Dominis seruire: item-* m. Apoc. 3.
que: o qui non est mecum, contra me est. Hi autem cum *Neutrales* dici ac ha- o. Matt. 12.
beri velint, nec de *Orthodoxis* nec de *Heterodoxis* benè merentur. Quibus
suam istam professionem non plus ad salutem prodesse asserit p. Lindanus, p. Dial. 2.
quàm Iudæis vnum eundemque Deum colentibus, veri Dei cognitio, & Dubitant.
cultus Iudaicus. pag 140.

SEMILVTHEANI sub Carolo V.

Hi sunt qui *Lutheri* placitis sua quædam noua commenta. *Euangelii* præ-
textu assuunt. Quorum primas facile *Interimista*, de quibus superius dictū, q. Dial. 2.
obtinent: suntque illi duplicis etiam generis, q. Lindano teste. Dubit. pag.
132.

SEMIOSIANDRINI eadem tempestate.

Hi affirmant contra *Osiandrum* pro *Antosiandrinis*, in hac vita imputatiuè
haberi hominem iustum; vicissimque contra *Antosiandrinos* pro *Osiandro*
affirmant, in futura vita oportere hominem eadem iustitia, qua Deus es- r. De Luthe.
sentialiter iustus est, iustum re ipsa fieri. Atque ita sentire *Tubingenses* Theo- inter se con-
logos, *Staphylus* asserit. cordia.

SERGIUS Constant. Patriarcha anno 629.

Prognatus est quidem hic parentibus *Iacobitis*, sed cum magnæ esset æ-
stimationis iuuenis, meruit anno Domini 608. *Constantinopolitanam* Sedem
post obitum *Thoma* conscendere: factus autem *Monothelitarum* caput & ante-
signanus, docebat in CHRISTO vnam duntaxat esse voluntatem, & vnam
operationem, ipsumque *Heracium* Imperatorem seducens, & *Ethesin* im-
piam componens, hoc est *expositionem*, ad stabilendam hæresim suam, obiit
anno 635, Cuius memoria damnata legitur in *Sexta Synodo* anno 681.

SERGIOTÆ circa ann. 820.

Temporibus *Caroli Magni* *Sergius* quidam *Manichæus* exstitit, qui *para-*
clitum se mentiens, & *B. Pauli* discipulum, plurimos in Oriente decepit,
plurimaque nefanda scelera commisit; à quo *Lucas Sículus* historicus, qui
tempestate illa viuens, in libello quo eiusdem hæresis impietatem descri- Necatur
bit, *Sergiotas nuncupatos* asserit sectatores eius. Qui prout meritus erat, in- Sergi^o ascia.
foelicem tandem vitæ finem consecutus est anno 812. quando faciendis as-
seribus intentus, à quodam *alcia* ex eius manibus extorta, interemptus
est.

SERPENTICOLÆ tam apud Iudaos veteres,
quàm Christianos.

Reperti sunt in veteri testamento, qui serpentem illum æreum, quem Moses erigi in signum iusserat, ut à plagis filijs Israel inflctis curarentur, adorabant, ei que sacrificabant. Quam lanè impietatem ad tempora vsque Ezechia Regis perdurasse, ex quarto Regum volumine constat. Qui zelo pietatis motus, eundem confregit. Cæterum *Ophit*. (vt supra dictum) colebant serpentem illum, qui se protoparentibus nostris in Paradiso conspicendum exhibuit; dicentes illum fuisse Christum, quod & Manes quoque Hæresiarcha, secundum nomen suum insaniens; effutiuit. Romanos porro tempore adhuc *Silvestri* Papæ, necdum gentilitate penitus extincta serpentem, tanquam *Aesculapius* esset, populo adorandum exposuisse, cui puellæ virgines immolabantur. *Festus* prodidit.

Num. 21.

4. Reg. 18.
vers. 5.

1. Baron ad
ann. 35.
f. Verb. In-
sula Aescu-
lap.

SERVETIAN? sub annum 1530.

Circa idem illud tempus quo *Confessio Augustana* sub incude gemebat, nouus quidam surrexit Pseudopropheta *Michael Seruetus*, parens *Anti-Trinitariorum*. De quo præter alios *Bellarminus* in præfatione lib. primi de CHRISTO; vbi de hæreticis ac Hæresiarchis illis agit, qui diuinitatem & humanitatem Saluatoris nostri oppugnabant, agens, hunc in modum scribit. *Michael Seruetus*, cum esset iuuenis ferox atque audax, & in scholis *Lutheranorum*, quibus operam dabat, identidem repeti audiret. *Verbum Dei non esse Patrum aut Ecclesie explanationi, sed spiritus solius testimonio atque iudicio alligatum*, cœpit & ipse spiritum iactare, & eo spiritu mouente mirari, cur *Lutherani* cum *Papistis* de Ecclesia & Sacramentis tantoperè contendere, de Christo ipso litem nullam haberent, atque ita cum dissentirent de corpore, de capite conuenirent. Maiora igitur moliri meditans, ac metuens ne ætas sibi ad faciendam, fidem non parum obesset (annorum siquidem erat solummodò, quinque & viginti) quod ætati videbatur deesse, prophetia nominis autoritate & maiestate compensauit. *Supremum* namque orbis *Prophetam* se venditabat. Quemadmodum eius rei testem habemus *Calvinum* lib. *Institut.* 4. cap. 16. apud quem *Genue* aliquamdiu commoratus est. Cuius equidem *Serueti* vitæ cursum breuiter perstringens *Meshouicus* in *historia Anabaptistica*, dicit eum nominis consequendi gloria in *Africam* traiecisse, ibique *Saracenorum* & errores & linguam didicisse, inde verò in *Galliam* remeasse ac *Lugdunensi* cuidam librario in re typographica operam aliquamdiu nauasse, atque impijs glossis sacrum Bibliorum textum deprauasse. Inde verò *Luteciam* venisse, ac *Lutheranorum* clam istis dogentium hæresi imbutum esse. Quam cum propagatum iret, à magistratu apprehensum, ac vix integra pelle dimissum; *Delphinates*

Seruetus
natione His-
panus, ex
Luthero ha-
resis occasio-
nem hausit.

annorū fuit
25. cum eam
spargere in-
ciperet.

Iactat se su-
premi Or-
bis Prophe-
tam.

1. Lib. 5. nu.

6. pag. 130.

1. ad em nar

7. ad Flori.

mundus de
ortu ac pro-
gressu hæres.
lib. 2. cap.

15. num. 6.

phinales postmodum eodem conatu ac successu petiisse tandemque in Germaniam aduolasse, nuncq; *Lutheranorum*, nunc *Sacramentariorum* factioni indifferenter adhæsisse. Cæterum videns parum sibi laudis inde prouenire cum *Caluini* videndi desiderio teneretur, maluit ad *Allobrogos* diuertere, & *Caluino* familiarem se reddere, qui suæ farinae hominem non solum admisit, verum etiam arctiori sibi amoris nexu deuinciuit, quod ministerio suo par, & ad tolerandos professionis labores haudquaquam inidoneus videretur. Quæ tamen amicitia societas, propter sententiarum diuersitatem, in odium paulò post grauissimum, uti mox dicetur, commutata est.

Et quidem erroris eius articulos uti ad minus septemdecim enumerat *Meshonius*, ita in sacrosanctam Trinitatem maximè blasphemus existit; dicens, Deum vnicam duntaxat esse personam, & edens impium quoddam scriptum, cui titulus. *De Trinitatis erroribus libri VII. Michaelis Serueti Hispani*, nefarios cum primis & inauditos complectens errores. Quorum equidem librorum summa hæc est, nullam esse in Deo distinctionem personalem, & CHRISTVM Dei Filium appellari, quod ex ipsa Dei substantia caro eius in utero Virginis concepta & confirmata sit, ita paucissimis verbis, & personarum Trinitatem destruxit cum *Sabellio*, & CHRISTI naturas confudit cum *Eutychete*. Socios porro erroris sui reperit *Georgium Blandratam*, *Valentium Gentilem*, *Berna Heluetiorum* postea exultum. *Paulum Alciatum*, *Lalium Sozinum*, *Johannem Campanum*, *Bernardum Ochinum*, *Gregorium Pauli concionatorem Craconiensem* in Polonia. *Gregorium Complatum*, medicum, *Grybaldum Iurisperitum*, alios. Quorum opera per Galliam ac *Transylvaniam* valdè hæc impietas propagata est, & necdum penitus extincta.

SERVETVS autem talem consecutus est vitæ exitum, qualem eius impietas & scelera postulabant. Nam in media *Geneuensi* vrbe, cathedra nimirum pestilentia, in qua dogmata sua perseminauerat, anno superioris sæculi quinquagesimo quinto, flammis traditus, non constanter atque alacriter, ut sancti olim Martyres solebant, sed tam iniquo & impatienti animo supplicium pertulit, ut *Caluino* ipso testante, ac cæteris cum Iudicibus sententiam mortis in eum ferente, magnis clamoribus, siue ut ait ipse idem *Calvinus* in libro quem de supplicio *Serueti* ad posterorū cognitionem transmissit, magno boatu gladium flagitaret. Verū cum in Iudices planè inexorabiles incidisset, tandem aliquando est longissimo illo acerbissimoq; dolore consumptus; ita tamen, ut detestanda eius hæresis non penitus cū ipso vno eodemq; (q̄ optandū foret) igne cōsumpta sit ac incinerata. Nam postea pelmus quidam *Lucas Steinberger Melanchtonis* olim discipulus anno 1561. eius cineres resuscitando, propalā professus est, malle se ad monasteriū suum redire, quàm in Spiritum S. credere, cum nec ille, nec *Trinitas* ipsa (horredum dictu) ex veteri vel ex Testamento nouo comprobari queat, Quorum tamē nonnul-

Errores Serueti horredum
v. lib., n. 5.

Anno 1555.

t Eodem li-
bro 5. in fine
num. 6.

nonnullos talium blasphemiarum promulgatores diuinitus punitos legimus. Refert enim is qui à nobis eruditionis ergò simul ac pietatis subinde citatur *Meshouius* duos huius sacrilegæ assertionis mala morte exspirasse. *Demetrius* namque *Huudianus*, & alius quidam incerti nominis in *Polonia* sutor, cum blasphemè de S S. Trinitate sentirent ac prædicarent ille præceps quidem è cathedra ruit, hic vero à dæmone correptus, vitam infœliciter finiuit.

SETHIANI circa ann. 145.

x Hæresi. 34.
y In catal.
Hære.
z Lib. de
hæres. c. 19.
a Prascr. cap
49.
Sethiano-
rum hæresis.

Traxerunt hi nomen à *Seth Adami* filio, descenderuntque aliqua ex parte à *Valentino* Hæresiarcha. De quibus non solum agit *x Epiphanius* y *Philastrius* z *Augustinus*, verùm etiam a *Tertullianus* vocans eos *sethoitas*, quorum doctrinam peruerasim hanc fuisse dicit, quòd assererent duos homines ab Angelis constitutos, *Cain* & *Abel*, & propter hos magnas inter Angelos contentiones extitisse, eamque ob causam, illam *Virtutem* quæ super omnes virtutes esset, quàm matrem pronuntiabant, *Abele* interfecto, voluisse concipi eius loco *Seth*, purum semen, vt euacuarentur Angeli illi, qui duos priores illos homines condidissent. Peremptiones autem Angelorum & hominum iniquas fuisse, ideoque illam virtutem matrem ad vindictam cataclysmum induxisse. vt & illud permixtionis semen tolleretur, & solum semen purum conseruaretur. Verùm & illos qui semen prius instituisent, clam matre *Virtute*, cum illis octo animabus in arcam misisse etiam semen *Cain*, quòd semen malitiæ non periret, sed post cataclysmum exemplo cæterorum excrelceret, ac totum Orbem impleret & occuparet. De *CHRISTO* autem sic sentiebant, vt dicerent illum tantummodò *Seth* fuisse. Sed nugarum satis.

SEVERIANI circa ann. 174.

Seueriani
malè de B.
Paulo, eius
que epistolis
sentientes.
b Cap. 24.
de hæresib.

Seuerus à quo dicti *Seueriani*, fuit *Tatiani* Hæresiarchæ discipulus: quorum lecta hæc erat, vt malè de *Paulo apostolo* loquerentur eiusque *Epistolas* rejicerent, sicuti & Apostolorum res gestas, à B. *Luca* descriptas. Addit porro b *Augustinus* eos à vino abstinuisse, quòd fabulosa vanitate de Satana & terra vitem germinasse assererent, & carnis insuper resurrectionem vnà cum veteri Testamento respuisse, ipsumque *Seuerum* puella quadam *Philumena*, quam diuinitus inspiratam dicebat, ad præstigias & diuinationes usum esse. At verò *Philumenem* (vt dictum est superius) alij *Apelli* Hæresiarchæ tribuunt, nisi fortè & hæc diuersa sit ab illa.

SEVE-

SEVERIANI alij, qui & Acephali, circa ann. 513.

Fuit, & alius quidam *Seuerus*, qui ex ethnico factus monachus *Euty-chianus*, ab *Anastasio* Imperatore intrusus est in *sedem Antiochenam* anno 513. quam *Acephali* pro capite sectæ suæ habuerunt: cuius impietas ingentibus fuit conscitata miraculis, ipseque *Iustinus Imperator* linguæ præcisio ne eius puniri iurasset, si non fuga sibi consulisset. Fuit quoque idem *Alexandriæ* auctor *Corrupticolarum*, quem postquam excommunicasset *Agapetus Papa* anno 536. & *Iustinus* & in solitudinem relegasset, infelicem inibi animam efflauit.

SIGNIFICATIVI, sub Carolo V. Imper.

Significatiuos dicit *Staphylus* esse ex *Sacramentariorum* familia, qui ex *Lutheri* primum, deinde ex *Carolstadij* & *Zvvinglij* scola exorti; affirmavit non verum corpus *CHRISTI* esse in *Eucharistia*, seu *cœna Domini* uti ipsi nuncupant, sed corporis duntaxat lignum.

SIMONIACI, ipso Apostolorum auo.

Cum *Simon Magus* videret per impositionem magus *Apostolorum* multis *Spiritum sanctum* donari, obtulit eis pecuniã, ut & ipse. eadem quo- que pote state donaretur, quam *Apostolorum* Princeps acriter redarguens, ut de tanto scelere pœnitentiam ageret, admonuit. Fuit autem *Simon* hic n. tione *Samaritanus*, ex villa quadam *Gitthon* vocitata, magicis artibus & ope dæmonum multos eludens, adeo ut à *Samaritanis* pro Deo quodã modo haberetur, qui cum à *Philippo* Diacono baptizaretur, postea resiliit, & perniciosi dogmatis auctor extitit. Dicebat enim *CHRISTVM* nec venisse, nec à *Iudæis* quidquam aduersi sustinuisse, imò se ipsum *CHRISTVM* esse. Docēbat item promiscuum fœminarum vnum licitum, ita ut quisque qua vellet, sine peccato uti posset. Audebat præterea affirmare, vniuersum hunc mundum ab Angelis factum fuisse, Angelos autem factos à quibusdam sensibus de cœlo præditis, eosque genus humanum fefellisse. Intellectum autem quendam alium dixit esse, qui in mundum humanæ salutis causa descenderit. Sed & carnis quoque resurrectionem inficiabatur, qui cum *Romanos* magicæ facultatis præsidio domentans, per aëra se volitaturum persuaderet, ad *B. Petri* preces corruit, suoq; sanguine *Neronem* Imperatorem aspersit, fractis interim cruribus.

Act. 8 ps. 19.

Simonis magi hæresis.

CAETERVM *Simoniaca* illa rerum spiritualium emendarum ac vendendarum, ab ipso exorta labes seu hæresis, post obitum illius longè

Dd

latec

c. Homil. 17.
137. Euang.

latetque proserpens, magnā Ecclesiæ cladem intulit, quam non solum anno 459. in Ecclesiam Constantinopolitanam grassantem S. Gennadius extirpare conatus est, sed et Leo Macelles Imperator, & Rex Athalaricus, rogante Ioanne Papa, aduersus eam diuersis temporibus rescripserunt. Damnata est etiam in diuersis Concilijs. Gregorius quoque Magnus pro eadem extirpanda, plurimum insumpsisse laboris legitur, qui in quadam homilia ita de ea scribit. *Sacri canones Simoniacam hæresim damnant, & eos priuari sacerdotio præcipiunt, qui de largiendis Ordinibus precium querunt.* Simoniacè autem ordinatos reordinandos esse, fuit quorundam hæresis circa tempora Leonis IX. Pontificis. Vnde cum Henricus II. Imperator anno Domini 1052. ad Archiepiscopatū Ecclesiæ Rauennatis promouisset Henricum quendam, mox eodem anno scripsit ad illum Petrus Damiani epistolam, seu potius librum, quo agitatum quadriennio in pluribus Synodis controuersiam de ordinatis ab Episcopis Simoniacis, contendentibus aliquibus eosdem iterū ordinandos, diffusius disputauit; pluribusq; argumentis, eiusmodi nequaquaquam iterum ordinari, debere, demonstrauit.

IOHAN. SLEIDANVS sub annum 1540.

A. In dialbo.
Rueardi
lib. 2. p. 264
Scopus Sleidani in scribendis historiis.

Fuit monophthalmus.

Putauit me operæ pretium facturū, ac lectori gratificaturum, si Iohannis Sleidani, Lutheranae factionis hæreticiac historici, hic quoque mentionem facerem, qui mendacibus suis historijs, magno verborum lenocinio conscriptis, etiā Catholicorum non paucis imposuit; incerta pro certis, falsa pro veris credentibus. Qui ex Comitatu Sleida, circa Eiffliae confinia oriundus, magnū egit Lutheri, cui plus æquo fauebat, præconem. Cuius fraudes & mendacia aliquot describens d. Lindanus, dicit illi scopū fuisse vnicum, nouum istud Lutheri Euangelium quaqua arte, quoquo colore prædicare, cōmendare exornare; apud quæ plura sint *πᾶρεργα*, quàm *ἕργα*. Tanti, inquit, refert semel suam operam patronis vendidisse (fertur enim præmio in annos singulos addicto, historiam scripsisse suam:) vt illorum semper maiorem habendam putes rationem, quā veritatis; quo philargyriae glaucomate magis se deturpauit Sleidanus, quàm natura monophthalmia fuit deformatus. Est etenim certum mendacem hunc Historicū multa passim corrasisse, quæ possint Summi Pontificis authoritati, & receptis Ecclesiæ Catholicae cæremonijs institutisque derogare. Est conuitiator Pontificū, Cardinaliū, Imperatorum. Hinc est quod Paulum Tertium Pontificem subinde sugillat; Cardinalem verò Reginaldum Polum, virū vt integerrimæ fidei, ita vitæ multò sanctissimæ, tā sceleratè traducit, quasi Lutherano dogmati fauerit. Imperatorem verò Carolum Quintum mendacij infimulat ratione edicti cuiusdā grauisissimi, anno 1521. contra Lutherum VVormatiæ publicati. Cuius quidem mendacia conuitia, antilogias, strophas, si quis scire cupiat, is, Iudicem commentariorum Surijs inspiciat, t illic in nomine Sleidani sat multa

multa reperiet, sicuti etiam in dialogis *Alani Copi* dicentis, *Bartholomæum Latomum* doctissimū disertissimūque virum, conscripsisse historiam (licet nondum foras editam) de vndecim millibus mendaciorū *Scleidani*. Nos verò hic vnico duntaxat Imperatoris verè Augusti, *Caroli V.* testimonio contenti erimus. Cui cū quodam tempore cōmentarii *Scleidani* prælegerentur, identidem exclamabat; *nebulo ille mentitur, nebulo ille mentitur.* Obijt autem *Argentina* morbo pestilentiali anno 1556.

SOCIANI sub Carolo V.

Qualesnam hæretici sint *Sociani*, à *Fausto* quodam *Socino* ita nuncupati, & quas turbas in *Polonia* excitent, intelligi aliquatenus potest ex libro quodā anno 1612. *Nissa* edito tali titulo. *Noua monstr a noui Arriani, seu absurda hereses à nouis Arrianis in Poloniam importatae.* 1. Duos Deos Christianis colendos esse. 2. Christum Semi-Deum & semi-Dominum tota vita sua fuisse. 3. Christum esse Dei filium metaphoricum. 4. Christū pro peccatis nostris nō satisfacisse, nec satisfacere potuisse. Refutata à *P. Martino Smigletio* Societatis *IESV* Theologo. qui in præfatione ad Lectorem inter cætera sic ait. *Rancouium Poloniae minoris oppidum nouorum Arrianorum sedes est, horum monstrorum seminarium. Ex hoc barathro prodire Faustus Socinus, Ioannes Statorus, Valentinus Smalzius &c.* Interim tamen etiam *Vorstius* à suis infimulatus fuit *Socianismi*, quemadmodum constat ex auctore *Enotici* dissecti *Belgij* ad annum 1614. pag. 124.

SPIRITUALES eiusdem Imperatoris auctore.

Hi sunt ex *Anti-Lutheranorum* secta, ideo sic appellati, quod se spiritū viuificantem sequi dicant, sibi que solis veram rerum ad religionem pertinentium cognitionē datam esse glorientur: nec opus esse Sacramentis aut vllis alijs subsidijs, quàm deuota meditatione. Saluatorem autē in cruce verbis illis, *Consummatum est*, pronuntiatis, fatis ostendisse, omnia ad salutem peracta, nec vllō amplius opus esse sacrificio, lege aut sacramento. Sic *f. Florimundus Ramundus* in præclaro suo opere de ortu ac progressu hereseon huius sæculi.

f Tom. i. l. 2.
ca. 169. v. 6

* *
*

Dd 2

STAN-

STANCARIANI, *sub e. dem.*

Novus inter Evangelicos numerandi quoque, veniunt scetidi illi Stancariam, à Francisco Stancaro, Mantuano, ita denominati. qui relicta Italia tãquam terra (vt inquit g. Elermundus Remundus) ferendis hæresibus minus idonea, in Germaniam diuertit, ibique doctrinam suam sparsit, Nestorij errores renouando, & contra Osiandrum docendo, CHRISTVM secundum humanam naturam tantum nostrum esse Iustificatorem seu Mediatorem, non minus quàm ille pernicioso & manifesto errore, Que n. erudite refellit Bellarminus Cardinalis tum rationibus, tum Patrum auctoritatibus toto capite capite secundo libri quinti de Christi Mediatore Camisus porro præfationem libri primi, de corruptiles verbi Dei, scribit, Stancarios interrogatos, cur in CHRISTO existiment vnites duas naturas, respondere solitos, vt natura humana diuinã virtute sustentata, pati posset omnia quæ patienda erant.

Lib. 2. de ortu & progressu hæres. c. 15 n. 1. seu pag. 267. in fine.

CAETERVM Stancarus è Germania in Poloniam, atq; inde in Russiam profectus, contra Lutheranos acerbè scripsit, indoctos eos appellans, vt qui præter Theologiam VVittenbergensem, nihil didicerint; suamq; opinionem tã contra Saxones quàm Figurinos multis Scripturæ testimonijs confirmans, Melanctonem Antichristum, Lutheranos Christum, impanatum monstrum: figuram Zvvinglij vocat; suas interim quas fecit fabulas, præferens: cum interim Antistancariani eius super arenam ædificatum domicilium euerterint, pessundauerintque.

STEBLERI, *eodem ferè tempore.*

Hosce Lindanus nuncupat Baculares, pertinentque ad Anabaptistarum colluuiẽ, dicentes Scripturam vetare gladiũ & per eam portare; item non licere Christianis quequã in iudicio accusare, quoq; vim vi repellere non sit Christianum, sed percutienti in vnã maxillam, obuerti debere etiam alteram.

SVVENCFELDIANI, *circa ann. 1528.*

Luthero in Germania grassante, contingit Casparum quendam Svvenckfeldum, patrio in solo (Silesius siquidem erat ex nobili prognatus familia) peculiaria ac sanatica quædam dogmata spargere, quibus Silesiam prope modũ vniuersam ita in fecit, vt non paucos ibidẽ erroris sui sectatores repererit: infatuens nimirũ sectã quendam inter Romanum Antichristum, & Lutherũ Hieresiarchã, vt VVianandus scribit, & ipsemet in libro de triplici vita saretur, qui à Frederico Palatino Comite eiectus, in Saxonia diu erit: vbi cũ Luthero de nõnullis fidei articulis quidẽ disputauit, sed induci non

potu-

potuit, vt *Lutherani* secū quo cū semel diuortiū fecerat, iterato amplecteretur. Vnde posthabita *Saxonia*, *Saxonicaq;* fide, *Augustā Vindelicorū*, atq; inde *Vlmam Argentoratūque* peruenit: nouā suā religionē, totā spiritualē, & nihil carnale, yti dicebat redolentē, in quaqua versum disseminans: ac sectatores suos *Confessores gloria Christi* nuncupans.

Cuius dogmata præcipua erant, quod diceret cum *Valentino*, **CHRISTVM** è cælo corpus attulisse, de eucharistia porro idem fere cum *Zuinglio* sentiebat: Scripturas vero cum *Muntzero* & *Anabaptistis*, veluti literam mortuam despectui habebat enthusiaimis interim & interno spiritus alloquio multum fidens. Qui cum anno 1543. nonnullos à se conscintos libellos ad *Lutherum* censuræ causæ mitteret, maripam promeruit gratiam: exacerbatus enim *Lutherus*, vocat illum in sonum morionem qui per *dæmonem obsessus*, nihil intelligat, neq; sciat quod garriat Errorū porro & *Schvencfeldiorum* somnia, seu verius animi portenta, enumerat confutatque vltra quadraginta *Confessio Mansfeldiensium*.

*Hæreses
Schvencfeldii.*

*Lutheri de
Schvencfel-
dio encomiū*

SYMMACHIANI, circa ann. 200.

Apud veteres nonnullos horum fit mentio hæreticorum, non quod à *Symmacho* illo *Samaritano*, ac nouo sacrarū literarum interprete (nam id quidem apud neminem testatū reperitur, licet *Pruteolus* malè *Epiphanium* alleget) sed fuerit quidam *Symmachus*, qui non sperans iudicium, vitijs sæcularibus & carnalibus concupiscentijs seruiendum prædicaret, via tradit *Philastrius*. qui tamen eum à *Patricio* quodam institutum fuisse dicit: auctore *Patriciorum* hæreticorum, qui carnem hominis à diabolo factam assererent, ideoque contemnendam, & modis omnibus abiiciendam esse, adeo vt etiam quidā ex illis sibi ipsis mortē inferre non dubitarent.

*h In catal. e.
63. & 64.*

FRERVNT & alij *Symmachiani*, maiorem habentes cum *Symmacho* Scripturarum Interprete conuenientiam: qui apud *Ambrosium* dicuntur ex *Phariseis* originem traxisse, ac seruata omni Lege, cum Christiani se dicerent, **CHRISTVM** tamen hominem tantūmodò definiuisse.

SYNCRETIZANTES, sub Carolo V.

Syncretizantes sunt ex secunda secta *Confessionistarum*: eorum nimirū, qui sincera *Catholica Ecclesiæ* fide relicta, ei quæ *Augustana* dicitur, adherent. In qua sunt molles illi *Vittenbergenses Theologi*. Quorum dū *Staphylis* meminit; *Syncretizantes*, inquit, sunt, qui suadent omnibus alijs sectis, vt si- mulent saltem inter ea domi pacem, quando veram concordiam nire non que- ant, vt more *Cretensium* eo coniunctioribus armis & animis suos hostes (Pa-

*i De Luthe-
rancorū inter
se, cōcordia.
pistas.*

k. Lib. 1. de
pace Germã.
in princi. c. 1

pistas nimirum) inuadere possint ac superare. Ita scribit ac docet *Melancthon* in suo contra *Staphylum* libro; & quidem de *Syncretismi* turpitudine agens eamque suis coloribus depingens, *Adamus Contzius*. apud *Moguntinos* S. theologiæ professor. est, inquit, *Syncretismus falsa, simulata, insidiosapax odiorum callida dissimulatrix in occasionem ultionis intenta malitia, ignis suppositus cineri doloso, periculum ingeniosè tectum, inimicitia officij ostentatione blandientes, umbra foederum, discipula Machiaelli, filia Epicuri, pestis humanae societatis, mors pietatis.* Et planè acu rem tetigit, non minus quàm paulò post capite tertio eiusdem libri probat *Syncretismi* scopum primum esse, *vti violata religionis pace Catholici maectentur.*

STRVS Alexandrinus, circa ann 540.

De hoc *Syro* scribit *Gennadius*, quod patria *Alexandrinus*, arte medicus fuerit. qui ex Philosopho monachus effectus, prius quidem aduersus *Nestorem* scripserit, sed postea, *Timotheanum* dogma fouerit, tandemque etiam animum à *Chalcedonensis Synodi* decreto, dubius suspenderit, nec acquiescendum putauerit, *Filium Dei* duabus post *Incarnationem* naturis constare.

T.

TANCHELINISTAE circa ann. 1126.

Tanchelini
haeretici mo-
res & errores

Hugo Author vitæ *S. Nortberti*, apud *Surium*, inter cæteras ab eo res præclare gestas, refert, quòd cum pessimo hoc hæretico *Tanchelino* Antverpiæ negotium habuerit; quem inquit *hominum omnium sceleratissimū extitisse, Deique & Sacramentorum omnium, totiusque religionis & Christianæ fidei hostem capitalissimum: prorsus vt ministerium Episcoporum & Sacerdotū nihil esse diceret; & sacrosancti corporis & sanguinis Domini nostri IESV Christi perceptionem, ad salutem perpetuā prodesse negaret.* Sequebantur eum circiter tria amatorum millia: nec erat Dux, Episcopus, aut Princeps, qui scelerato huic homini opponere se auderet. Cum pretioso apparatu in vestibus deauratis incedebat, ac sumptuosis cōuiujs fauorē sibi omniū conciliabat, potens in sermone; quò eò dementiæ *Antverpiensem* plebeculā pertraxit, vt lotiones eius biberent, & reliquiarū loco asportantes, recoderent. Filias præterea in matrū præsentia, spōsasq; maritis iubētibus corrūpebat, eos infœlices dicēs, qui huic nefariæ coniunctioni misceri nō meruissent. Contra quā turpissimā equidē hæresim expugnādā & extirpādā, strenuè decertare coepit *S. Nortbertus* eodē illo año quo *Roma Antverpiam* venit, neq; pio tātū viri conatui fœlix defuit successus. *Tanchelinus* autem, vti *Sigebertus* de eo commemorat, cū iter nauigio

naugio faceret, à Presbytero quodam in cerebro percussus, infœlicem vitæ finem sortitus est. Malè autem hunc *Tanchelinum* vocat *Prateolus Tandomum*, & alij *Tancredum*.

TATIANI, circa an. 173.

Sortiti sunt hi nomen à *Tatiano*, B. *Iustini* Mart. & Philosophi, qui ex *Samaritanis* in Christum credidit, discipulo. Qui mortuo Præceptore, *Marcionis* hæresi adhæsit, suntq; ab illo etiã exorti *Encratitæ*: de quib; vtrisque superius dictum.

TEMPLARIi cœpere ann. 1118.

De *Templariorum* instituto primisque Authoribus scribens *Vilhelmus Tyrius* Archiepiscopus, ita ait: *l*quidam nobiles viri de equestri ordine Deo deuoti, religiosi & timentes Deum, in manu Domini Patriarchæ CHRISTI ^{Li. 12. belli sacri cap. 7.} seruitio semancipantes, more *Canonicorum Regularium*, in castitate & obedientia, & sine proprio velle perpetuo viuere, professi sunt. Inter quos primi & præcipui fuere viri venerabiles *Hugo de Paganis*, & *Gansfredus de S. Ademaro*: qui ^{Templarum fuere obstrictis votis} bus quoniam neque Ecclesia erat, neq; certum habebant domicilium, Rex (*Baldwinus*) in palatio suo, quod secus templum Domini (inde etenim *Templariorum* nomen eis adhæsit) ad australem habet portam, eis ad tempus concessit habitaculum. Qui quidem ordo post annos admodum nouem in *Gallijs* in ^{Cõfirmatus est ordo in Concilio Trecenti an. 1127} Concilio *Trecensi* confirmatus est per Apostolicæ Sedis legatos, cœpitque in immensum tam personarum frequentia, quam opum potentia excrecere, quoadusq; incrassati & impinguati corpore, se subtrahere ab obedientia *Hierosolymitani Patriarchæ*, ac varijs se flagitijs contaminare. De quibus *Aluarus Pelagius*, qui vixit anno 1370. scribens, dicit ijs obiectum esse, quod CHRISTVM abnegassent. 2. quod crucem eiusdem conspuissent. 3. quod eorum professio profana esset. 4. quod eorum Magistri ordinatio ^{m Lib. 2. de planctu Eccle. Qua hæreses & flagitia eis obiecta sint.} clanculum, & occultè fieret. 5. quod propter illos terra sancta in *Turcarum* ac *Saracenorum* manus iterum deuenisset. 6. quod nefanda masculorum libidine vsi essent, atque id genus alia vix credibilia. Qui idcirco à nonnullis bonæ fidei authoribus, iniuste accusati ac damnati existimantur. Cui sententiæ ad stipulari videntur *B. Antoninus Nauclerus*, ^{n parte 3. hist. stor. cap. 21.} *Sabellinus*, alij. Nostro verò hoc seculo inter alios *Lipsius* & *Miræus*. Quorum hic in *Chronico* agens de suppressione *Templariorum* ad annum 1311. (tunc enim omnes *Clementis V.* & *Philippi Pulchri* Francorum iussu interempti sunt, eorumq; nomen & ordo penitus abolitus) seuerum, inquit, nimis decretum fuisse plerisque visum est: & scio esse, qui eos à calumnia defendunt. Fama tamen frequenter & sensus propè omnium damnat: etsi verisimile non sit, ea delicta omnes contaminasse. Ille verò in exemplis ac monitis Politicis sic: *Certissimum* habetur, quod *CLEMENTI V.* Pontif. Maximo euenit. Qui cum *Templarios*, cœtum religiosum, & diu bonum atque vtilem *Vienna* in Concilio damnasset, & in *Sodales* ferro atque igne passim vel animaduertisset, vel,

vel, vt alij, seuiſſet, à pluribus eorum citatus ad Tribunal ſuperum, paulò plus anno poſt obiit, quaſi ad yadimonium obeundum à ſuprema Pratore arceſſitus. Et de Francie Rege mox ſubiicit. Sub idem tempus (quod admirationem aliget:) in eadem cauſa Philippus Rex Gallia: cui bono damnationes illae fuiſſe putabantur, opibus ad eum translatis & conſiſcatis. Si à caſu, miremur: ſi à Deo, vere amur.

TERTULLIANISTAE, circa ann. 212.

Tertullianum Aphrica progenitū conditione Presbyterū, conſtat virū fuiſſe eruditū; qui multa pro Eccleſia ſcripſerit, & hæreſes nonnullas ſtrenuè oppugnauerit. Verū quia tetrici erat ingenij, infana *Montani* phantasmata ſenior iam factus, amplexus eſt, & inter *Cataphrygas* reſenſitus. à quibus tamen poſtmodum deſciſcens, ſuos habuit ſectatores, qui ab eo *Tertullianiſtae* nuncupati ſunt. De quibus *B. O. Auguſtinus* ſcribens, præter alios eius errores, ait eum docuiſſe animarum hic ſtatū per traducē propagari, peſſimas autem poſt mortem conuerti in dæmones. Deū quoque *Tertullianiſtae*, quemadmodū p *D. Thomas* inquit, corporalibus lineamentis figurabant; quam tamen opinionem in eis excuſat *Auguſtinus*. Bigamiam verò damnaffe *Tertullianum*, certum eſt ex libro quam ſcripſit non de *monogamia*. Cuius cunctos errores ſummā diligentia *Iacobus Pammelius* collegit, apud quem eos ad longum videre licet.

o Li. de hæ-
ref. cap. 86.

p Lib. 1. con-
tra gent. c. 21

TETRADITAE, circa ann 535.

Hi prodierunt ex hæreſi *Acephalorum*, de quibus alibi dictum.

TESSARESCAEDECATITAE, circa ann. 154.

Et de his quoque ſuperius à nobis dictum. quippe cum ſint *quatuordecimani* ſeu *Paschatitæ*, à quarta decima luna ſic appellati: quo die putabant Paſcha neceſſario celebrandum eſſe, & non alio tempore, quòd ex veteri lege eo die Paſcha eſſet. Qua de re ingens orta eſt *Orientalis* inter & *Occidentales* digladiatio & contentio.

THABORITAE, circa ann. 1420.

In *Bohemia* hæc ſecta ſub *Sigiſmundo* Germanorū Rege maximè viguit, ab extincta ibidē vrbe, cui *Thaboris* nomen indiderant, ita nuncupati. quaſi cū *CHRISTO* Domino in monte *Thabor* tranſfigurati, eius ſectatores ac diſcipuli haberi vellent; Principē habentes *Ioannē Zifckam*, hominem crudelem & impium, templorum nimirum & altarium euerſorem, vti alias à nobis ex *Aenea Syluio* commemoratum.

THEODORVS Episc. Conſtantinop. circa ann. 666.

Fuit hic quidam aliquam diu *Conſtantinopolitanae* Sedis *Metropolita*, verū ob procaciā, qua *Vitalianum* Papā è ſacris Diptychis eraſerat, & ob hæreſim *Monothelitarum*, ab Imperatore *Conſtantino Pogoniate* anno 678. Sede detrufus eſt, annoq; 684. mortuus.

THEO-

THEODORVS Mopsuestenus, circa ann. 380.

Habitus hic vir eloquens, & Chrysofomi olim collega in exercitatione Monastica, ita vt acerrimum se Arrianorum Antagonistam ostenderet, verum postea in Ebionis & Nestorij hæresim prolapsus est. Nam in diuinis quaternitatem constituit, aliaque nefanda effutiuit; quæ recensentur in *Constituto Vigilij Papa, & edicto Iustiniani Imperatoris*. Cuius occasione celebratum est Concilium Mopsuestenum anno 550. damnatusque est in super in quinta Synodo Oecumenica anno 553.

Nicephorus
lib. 18. histor.
cap. 48.

THEODOSIANI, circa ann. 540.

Theodosius Episcopus Alexandrinus, à quo hi nomen suum vsurparunt, Acephalorum hæresi adhæsit, fuitque sectator Incorruptibilium. Qui communem humanam naturam, ipsamque etiam diuinam, quam indiuisibilem dicimus, in plurimas partiebantur personas, discernentes eam, & singulatim indiuiduis tribuentes, & tribus substantialis naturæ subsistentijs dispersientes. Quem quidem Theodorum postea Iustinianus Imperator anno 536. in exilium relegauit.

THEODOTIANI, circa ann. 173. & 196.

Quandoquidem eodem fermè tempore duo fuere Theodoti, quorum primus legitur fuisse Montani Pseudoprophetæ Procurator, qui à dæmone in sublime abreptus ac præcipitatus, malè interiit; alter verò patria Byzantinus, & cognomine Coriarius, qui tempore persecutionis fidem negas, vt se defenderet, asseruit CHRISTVM hominem duntaxat fuisse; ea propter dubitari à nonnullis video, vtrum ab hoc, vel ab altero dicti sint THEODOTIANI; licet Baronius dicat à præfato Byzantino hæresiarcha, tanquã à celebriore, eos potius nomẽ traxisse. De quo agunt Epiphanius, & Theodoretus, Augustinus, Eusebius, & alij. Fuerat iste quidem arte Coriarius, verum multæ eruditionis ac doctrinæ qui præterquam quòd docuit CHRISTVM hominem duntaxat fuisse, etiam S. Ioannis Apostoli Euangelium atque Apocalypsim respuit, à quo Alogorum secta propagata est. Tertullianus autem vtrumque eodem capite 53. lib. de præscriptione coniungens, dicit alterum Theodotum hæreticum, auctorem fuisse Melchisedechianorum; arte verò Argentarium siue Trapezitam, vti ex Eusebio constat.

q Heres. 54.
r Lib. 2. her.
fab.

s cap. 33. de
heres.
t Lib. 5. hist.
cap. 27.

v Lib. 5. hist.
cap. 27.

THEOGNIS Episcopus, circa ann. 310.

Fuit hic Nicena vrbs Antistes, & Luciani martyris olim discipulus, sed in persecutione Diocletiani idola adorauit, atque Arrio postmodum adhæsit. quem Constantinus Imperator ob calumniam in Athanasium designatam, anno 319. in exilium relegauit. licet opera Constantij post biennium reuocatus sit.

THEOPASCHITAE circa ann. 483.

Hi sunt quos *Monophysitas* superius nominauimus, docentes vnam Verbi & carnis naturam, post ineffabilem illam in CHRISTO esse. quam hæresim à *Petro Fulone* excitatam, *Romanum & Cōstantinopolitanum Concilium* damnauit.

THEODORVS Beza, vide *Bezanita*.TILMANVS Heshusius, vide *Heshusij*.THOMAS Muntzerus, vide *Muntzerici*.

TIMOTHEANI, circa ann. 460.

Hæresis hæc initium habuit à *Timotheo* quodam, cognomento *Æluro*, insigni *Nestoriana* hæreseos propugnatore, qui professione Monachus, ab *Eutychnis* anno 457. pseudoepiscopus *Alexandrinis* obtrusus est, sæuiens plurimum in Catholicos. quem non solum pari votorum calculo Episcopi omnes damnarunt, verum etiam *Leo Imperator* anno 460. in exilium relegauit; docentem nimirum ita carnem Verbum factum esse, vt manente Verbo in sua substantia, & homine in sua natura, societate non commixtione, vna duntaxat Filij DEI facta sit persona. De quo *Gennadius Massiliensis Presbyter*, & *Nicephorus*.

*Timothei
pseudoepiscopi
hæresis.*

*x Lib. 15. hi-
stor. cap. 16.*

*Infelicissimus
interitus.*

y Lib. cap. 16.

Hic legitur *Basilisco* Imperatori author extitisse, constitutionem promulgandi contra *Concilium Chalcedonense*, à quo cum *Constantinopoli* Catholicorum concessa esset Ecclesia, isque maximam ad eum pompa duceretur, factum est magna Dei prouidentia, vt cadens ex iumento quo vehabatur, fracto orure domum relatus fuerit; idque contigit anno 476. Quando interim anno proximè sequente, *Iuda* proditoris instar, sibi ipsi mortem veneno consciuit, vti tradit *y Liberatus*, suorum temporum testis fidelissimus.

TOPHETITAE ante natum Christum.

Tophetita, ab ara quam *Tophet* nominabant apud Iudæos idololatras quidam, quæ interpretata tympanum seu seductio dicitur, appellati sunt. Eratque locus iste in valle *Ennon*. Cuius fit mentio in fine capituli trigesimi *Isaia*.

TRASCODRUGITAE, circa ann. 173.

De his agunt *Philastrus* & *Augustinus*, trahentibus inde nomen, quod dum orarent, digitum indicem naso imponderent; tristitiæ nimirum & vltroneæ iustitiæ gratiâ. *Trascus* enim apud ipsos pertica appellabatur. *Drusus* verò nasus siue rostrum, ac si dicas *Perticonasatos*.

TRINITARII, & nunc & olim.

Diuerfos *Hæresiarchas* diuersimodè de Sacrosancta Trinitate sensisse, ac plurimum à verò aberrasse, tum ex Ecclesiasticis historijs, tum ex auctoribus illis qui hæresum catalogos ex professo scripserunt, constare potest

potest. Quando nos interim succinctè nonnullas de ea hæreses commemorabimus. Vnde *Simon Magus* Hærefiarcharum primus, diuersos habuit discipulos, quorum nonnulli asseruerunt Trinitatis vnicam duntaxat personam: quemadmodum etiam *Montanista*, *Monarchici*, *Sabelliani*, *Paulianista*, *Petrus Fullo*; ijdemque passionem Trinitati tribuebant. In cuius doctrina errarunt etiam *Donatus*, *Photinus*, *Apollinaris*, *Eunomius*, & alij. Eam porro corporis se videre oculis *Massaliani* iactabant. Et ex maximo, maiore, & magno constare, *Apollinarista* cum *Arrianis* somniabant. Eandem quoque S S. Trinitatem negarunt *Manichæi* & *Bongomili*; passam verò asseruerunt *Armeni*. Cuius triplicem esse Deitatem dixit *Gothescalcus* quidam Presbyter circa annum 848. Sed quàm seuerè diuina vltio in blasphemos eiusmodi hæreticos, de Sacrosancta Trinitate perperam sentientes, nonnunquam auimaduenterit, ex *Theodoreti*, Iunioris Ecclesiastici historia memorat & *Damasceus*, dum inquit sub *Anastasio* Imperatore, *Zenonis* successore, accidisse *Constantinopoli*, vt *Olympius* quidam secta *Arrianus*, ob horrendam in Sanctissimam Trinitatem blasphemiam, diuina mox eum secuta vindicta miserè perierit, aliusque qui confectam ea de re publicam picturam abscondisset, similiter poenas sceleris dederit.

Si D parum admodum eiusmodi exempla nostros mouerunt Hærefiarchas, quò minus & ipsi ponentes in cælum os suum, summam & summè venerandam Trinitatem, prò nefas, vocent *Cerberum tricipitem*, & solum non *Athanasianum*, sed *Sathanasianum*. Quin & *Calvinus* in libris quos de erroribus Trinitatis inscripsit, quorumque argumentum hoc est, nullam in Deo personalem distinctionem existere, Trinitatem cum *Sabellio* destruxit, & *CHRISTI* naturas confudit, atque incarnationem cum *Eutychete* sustulit. Quem equidem ducem sequuti sunt *Blondrata*, *Alciatus*, *Sozinus*, *Seruetus*, & omnis illa *Ministorum* colluies, quæ nunc in *Transyluania* erroris sui sedem constituit. Neque solùm Prouinciam, sed & *Poloniam* hæc *Tritheismi* pestis peruasit, quemadmodum conqueritur *Iosias Simlerus*, qui de *Euangelio Polonis* prædicato historiam hæreticus contextens, ita scribit a *Tritheia* & *Samosateniani* in *Polonia* non tantum in doctrina de Deo, quod fundamentum est religionis, ab omnibus dissentiunt, sed semel à vero tramite digressi, prorsus nouum & portentosum doctrina genus excogitauerunt, &c. Hinc facile colligere possumus, quo in discrimine versentur *Ecclesia Polonia*, quum illis præsint *Georgius Blondrata*, & *Franciscus Davidis*, in quo *Serueti* spiritum quasi reuixisse eius scripta testantur. Hæc hæreticus de hæreticis.

TRISACRAMENTALES, sub Carolo V.

Hos ex mollium *Confessionistarum* numero esse, tria tantummodò Sacrament admittentium, testis est *Stephylus*, vtpote *Baptismum*, *cœnam Domini*, & *absolutionem*,

z Orat. 5. de imagin.

Caluini de erroribus Trinitatis blasphemiam admodum libri.

In prefat. libri de aeterno Dei filio.

TROGLODITAE, circa ann. 360. & longè ante.

De his agens *Philastrius*, dicit apud *Iudaos* olim fuisse nonnullos, ideo *Troglodytas* nuncupatos, quòd in speluncis delitescerent, idola colerent, abominationesque execrandas vsurparent. Cæterum cùm etiam *Eunomiani*, de quibus superius dictum, secretos in locis abditis agerent conuentus, coepti sunt & illi *Trogloditæ*, vti author est *Theodoretus*, nuncupari.

TROPISTAE, sub Carolo V. & olim.

Tropistas olim nuncupavit *Philastrius* hæreticos illos, qui dicebant conuersum *Verbum* in carnem, non intelligentes quod ait *Euangelista Ioannes*, *Verbum caro factum est*. Nostro porro seculo *Tropistæ* vocantur illi, qui figuram duntaxat corporis Domini in sacra Eucharistia, per *tropum* esse dicunt, non autem verum corpus.

TURILUPINI, circa ann. 1372.

Eorum Cynica turpitudine.

b Lib. de examine doctrinæ considerat. 6.

De his per transennam, mentionem faciens *Ioannes Gerson* in sermone quodam de *B. Ludovico* Francorū Rege, asserit eos propalàm docuisse, de nulla re à natura nobis data, erubescendum esse. Quam ob rem *Cynicorum* more *Philosophorum*, verenda omnia nuda gestabant, & in publico, iumentorum ad instar, consuecebant. qui & alio quoque in loco eorundem turpitudinem detestans: *b* sicut, inquit, nulla vehementior quàm luxuriosa libido, sic ad errandum falsumque docendum, nulla perniciosior. Quod quidem patuit in *Turilupinis*, quorum sequaces non desunt vsque (obiit autem *Gerson* *Parisijs* anno 1429.) quādo, & vbi se latere putauerint, serpunt vbilibet *Epicuræi* sub tunica Christi: qui in mulierculis primò deuotionem fingentes specietenus, paulatim eis fidem, antequam lumen & oculos tollere quærunt, quatenus eas licentius ad desideria sua maligna prostituunt. Hæc ferè *Gerson*. Habuerunt præterea *Lupini* errores omnes *Bargadorum*, dicentes non esse orandum vocaliter, sed moraliter duntaxat. Quorum secta damnata est tempore *Gregorij XI.* anno nimirum *CHRISTI 1373.* suntque tunc illorum plurimi vnà cum libris exusti, licet vti ex *Gerson*e iam ante dictum, illius tempore nonnulli adhuc clanculum in Francia repullulare reperti sint.

V.

VADIANI sicut *Anthromorphitæ*, de quibus superius suo loco dictum.

VALESII, circa annum 240.

Valesij hæresis, seu Eunuchorum.

Fuere circa annum Domini ducentesimum nonnulli inter neochristianos, qui amore castitatis se ipsos exsecarent ac castrarent, à quo eundem errore semel malè præsumpto, postea (neque enim certus proditur annus) hæresis *Valesiorum*, à *Valesio* Arabe diffamata, prodijt, eademque *Eunuchorum*

nachorum nūcupata. Quæ omnes quos reciperet, vt semet ipsos castrarēt, adigebat. Quod si facere detrectassent, alij eos vinculis alligatos exsecabant; putantes ad literam implendum esse, quod dixisset Dominus, *c esse Eunuchos qui se ipsos castrarent propter regnū cælorum.* Quo nomine dum *Eusebius Originem* excusat, planè eiusmodi sectæ auctorem, constituit. Quorum equidem hæresim constat postmodum imitatos esse *Græcos schismaticos.* Hoc enim inter cætera obiectum est anno 1054. *Michaeli Patriarchæ Constantinopolitano,* quòd scilicet *Valesiorum* instar, hospites suos *græci* castrarent, eosque non solùm ad clericatum, sed in super ad Episcopatum proueherent. Quemadmodum etiam circa annum Domini trecentesimo sexagesimum primum [re]perti sunt in Aegypto *Pseudomonachi* nōnulli, quos idem factitasse auctor est *Epiphanius.*

c Matth. 19.
vers. 12.

d In Anacephalaoxi.

VALENTINIANI circa ann. 145.

De pessimo Hæresiarcha *Valentino* omnes ferè antiqui, qui hæreticorū catalogos percensent, scribunt, vtpote *Tertullianus, Irenæus, Epiphanius, Theodoretus, Philastrius,* alij. Quem constat fuisse secta *Philosophum Platonicum,* ingenio potentem & eloquio; lapsum autem in hæresim, quòd in petitione Episcopatus prælatus ei esset alius (ambitio siquidem sæpenumerò hæreticum facit) ex martyrij prærogatiua. *Epiphanius* verò adserit fuisse natione *Aegyptiū,* patria *Phabonitem,* ciuitate nimirum maritima; calluisse in super græcas literas, & imitatum *Hesiodum* de *Theogonia* triginta deorum: fidem Catholicam in *Aegypto* prædicasse, & in *Ecclesia Romana,* sed in *Cyprum* venientem, passum esse fidei naufragium. Cui consentiens *Tertullianus,* æquè ait eum primò *Romæ* secutum, esse doctrinam Catholicam. Hic igitur sicuti ab *Hesiodo* triginta deos, ita à *Platone* mutuatus est *Idæas;* hæcque simul miscens cum *Euangelio Iohannis,* quo tantummodò utebatur, monstrum horrendum conflauit, tricipiti *Cerbero* longè deformius. Triginta enim deos finxit, quos *Aeonas,* hoc est, *secula* nominauit, eorumque quindecim masculos, ac totidem fæminas; quorum permixtione alij generarentur; atque ex iis *Saluatorem* omnium, veluti *Pandoram* *Hesiodi* ex omnium *Deorum* munere, esse perfectum.

c Heres. 31a

Delira Valentini, de quindecim dijs ac totidem deabus commenta.

De Christi natiuitate, & humana carne resurrectione perperam sensit.

DOCVIT præterea *Iesum* Christum sic natum de *Virgine,* vt ex ea nihil acceperit, sed per ipsam veluti per canalem transferit, carnemque è coelo secum deuexerit. Negauit & resurrectionem carnis, sed aliud ex alio corpus esse componendum, imo nec omnium esse resurrectionem. Tria in super constituit hominum genera, *carnale, animale, spirituale.* Quæ omnia aliaque eiusmodi *Valentinianorum* deliramenta, pluribus f *Tertullianus* aduersus eos scribens, refellit. Quàm autem nefandi fuerint eorum mores, qui se nullis bonis operibus obligatos teneri dicerent, ac collegio se turpissimorum *Gnosticorum* sociassent, facilè poterit quisque existimare:

f Lib. aduersus Valentin. cap. 27. 29. 30.

g Lib. 2. cap.
1. 4. 18.

Ex Valentino
propnati sunt
Ophita.

Bellarmin.
preat. in li-
bros de Chri-
sto.

Valentini
blasphemia
haeresis, & in
Arrianismū
lapsus.

Fugit clam in
Sabaudiam
& Poloniam.

Inde in Mo-
rauiam &
Austriam.

Berna tan-
dem occidit
anno 1566.

quos & *g Irenam* validè infectatus, ostendit eos omni luxuria inquinatos, carnis voluptatibus insatiabiliter inseruientes. Quanta verò fuerit *Valentinianorum* procacitas, *Tertullianus* paucis declarauit, dum ait *conuinci eos potuisse, non suaderi*. Sed quod ad *Valentini* progeniem spectat, ex eius schola, quæ & *Gnosticorum* dicta fuit, progressa est hæresis *Ophitarum* & *Caianorum*, qui & ipsi ceu *Hæresiarchæ* sua quoque deliria propagarunt.

VALENTINISTAE. à VALENTINO *Gentili*, anno 1566. decollato.

Valentinus, natione *Italus*, cognomine verò *Gentili*, studio rerum nouarum ex patria sua *Consentia* ad *Caluinum* venit *Geneuam*, fama eruditionis eius, vti dicebat, permotus. Verùm nõ diu inter discipulos atq; auditores numerari se passus est. Cùm enim & ipse spiritu abundaret, nouum excogitauit de Sanctissima Trinitate dogma, à *Seruetiano* diuersum: asserens veram esse in Deo nõ modò personarum, sed etiam naturarum Trinitatem; sic vt tres sint diuini ac seipiterni Spiritus, essentiali numero differentes. Quam quidem sententiam suam cùm videret se sacrarū præsidio literarum nequaquam tutari posse, ad *Arrianismum* paulatim delapsus, factus est *Geneuæ* reus hæreseos apud tribunal hæretici magistratus. Cuius seueritatem pertimescens (iam enim paulò ante *Seruetus* flammis se istis expiandum committere debuit) errorem se suum agnoscere fucatè simulauit. Itaque ex sententia Iudicum ad poenitentiam publicam damnatus, depositis vestibus, solo excepto indusio, nudis pedibus, detecto capite, facem accensam manu gestans, præeunte præcone, totam urbē sic obiuit: deinde à magistratu supplex veniam petijt, librum ipse suum in ignem obiecit, ac iureiurando promisit, non abiturum se *Geneuā*, nisi à magistratu veniam impetraret. Verùm *Arrianismum* periturio socians, clanculū se inde proripuit, atque in *Sabaudiam* ac *Poloniam* cum *Blondrata* & *Alciato* se recepit. Quorum inter se confusis opinionibus nouum doctrinæ genus ex ortum est, quod non exiguam *Europeæ Sarmatæ* partem infecit: prorsus vt *Sigismundum Polonia Regem* oportuerit publico eos edicto è regno proscribere.

ET quidem *Valentinus* hac occasione ex *Polonia* eiectus, in *Morauiam* transcurrens, cum *Anabaptistis* ibidem consusurravit; ac tandem post varias hinc inde prouincias decennali circiter peragratione obitis, *Bernam Heluetiorum*, anno 1566. diuertens, à *Zwinglianis* comprehensus est, & capitis damnatus, pro meritis temeritatis suæ poenas persoluit. Qui etsi in carcere cõstitutus Martyrem se primum suæ sectæ esse iactaret, vbi tamen mortis obeundæ nuntium accepit, ita expauit atque expalluit, vti omnes omninò euadendi supplicij aditus quæfierit; paratus etiam doctrinam suam contemnere, si Iudicum animos inflectere potuisset. Quem admodum constat exactis à *Benedicto Aretio*, *Bernensis Ecclesiæ Pastore*, ad posteros transmissis.

VBI

VBIQVITISTAE, circa ann. 1564.

Ioannes Brentius, haud quaquam ex Confessionistarum numero, minimus, docuit CHRISTI humanitatem ab ipsa incarnatione, semper fuisse vbi- que, & ab hoc dogmate vocantur *Vbiquista*, siue *Vbiquetij*, aut *Vbiquetarij*. Quorum quidem ineptissimum errorem *Wittenbergenses* tamen sicuti & *Lipsienses* in libro quodam *Concordiae*, edito ab ipsis anno 1580. in forma quarti, ut librarij loquuntur, ita amplectuntur, uti quasi pro fidei articulo illum habere velle videantur: sic enim ibidem aiunt *b Christus reuera omnia implet, & vbiq; nontantum ut Deus, verum etiam ut homo praesens dominatur à mari vsq; ad mare. Quae identidē i varijs in locis repetūt. Doctrinam porro hanc ex Luthero hausisse Brentius existimatur, dicente; vbi Deus sit, ibi Christi quoque esse carnem: Atqui Deus est vbiq; ergo & Christi caro. Verum si quæras, unde Lutherus eam imbiberit, ad foetidas Eutychetis lacunas peruenies. Quemadmodum enim Eutychiani docuerunt, ex Verbo & carne naturam factam esse: ita docent *Vbiquetarij Lutherani*, humanitati in CHRISTO diuinæ naturæ proprietates, per ascensionem ad cælos, tali modo communicatas esse, ut ea nunc non minus vbiq; locorum verè præsens sit, quàm ipsa diuinitas. Quo dogmate, humanæ profectò naturæ veritatem in CHRISTO negare videntur.*

ET quidem de *Vbiquetarijs* varijs in locis agit in erudito illo suo opere *Casparus Vlenbergius*, inculpatæ nimirum vitæ, ac præstantis olim apud *Vbios* doctrinæ vir, insignisque Ecclesiastes, in quo prægnantes aliquot assignat causas, cur in veteri orthodoxa fide Catholicis permanendum sit; Vbi inter cætera docet *Vbiquetarios* k diuinam in CHRISTO naturam passioni subdere, l eiusque veram ascensionem negare, m item eius ad iudicium reditum: imò credere eos Christum in Eucharistia præsentem n antequam verba consecrationis proferantur: imò o crassius eos errare contincit, quàm *Swenckfeldianos*. Unde *Caluinistarum* quidam *Georgius Hanfeldius* de *Vbiquetariorū secta* loquens, palàm in hæc verba prorupit; p Eutyches, & nostro seculo *Swenckfeldius*, meliores, aut minus improbi fuerunt, quàm isti. Quæ autem necessitas *Lutheranos* in has angustias compulerit, ut ad absurdissimum hoc *Vbiquitatis* commentum confugere oportuerit, dicam paucis ex *Becano*, qui ea de re ex professo scribens, hunc ferè in modum loquitur. Erat inter *Lutheranos* & *Sacramentarios* lis de præsentia corporis CHRISTI in Eucharistia, quam negabant *Sacramentarij*, asseriebant verò *Lutherani*. Vtebantur *Sacramentarij* hoc argumento. Vnum idemq; corpus non potest simul esse in diuersis locis. Sed corpus CHRISTI post ascensionem est in cælo; Ergo non potest simul esse in Altari, seu in Eucharistia. *Lutherani* non videbant se posse euadere, nisi adhibita distinctione, Itaque concedebant vnum idemque corpus non posse simul

Vbiquitista

vnde nomen

sortiti.

Illorum au-

thor Bren-

tius.

h Pag. 731.

i Pag. 572.

o 745.

Et Lutherus.

Nec non Eu-

tyches.

k Colonienf.

edition. ann.

1559. pa. 659.

l Pag. 647.

m 675.

n Pag. 722.

o Pag. 671.

p In lib. Ger-

man quem

Demonstra-

torem via in-

scribit, pag.

85.

Necessitas exo-

cogitanda

Vbiquitatis.

*Vbiquitarij
inter se dis-
crepant.*

*Quinam hæ-
retici contra
Vbiquitatem
scripserint.*

mul esse diuersis in locis, quando non est vbique. Negabant, non posse esse simul in diuersis locis, quando est vbique: vt ergò saluarent præsentiam corporis CHRISTI in cælo, & in altari; dixerunt corpus illius esse vbique, sed diuerso modo. In cælo localiter & inuisibiliter, in Eucharistia sacramentaliter: vbique, illocaliter & inuisibiliter. In qua tamen assertionem inter se ipsimet discrepant. Nam aliqui dicunt CHRISTVM esse vbique ab instanti conceptionis, quidam post resurrectionem, nonnulli post ascensionem, alij verò post sessionem ad dexteram Dei Patris. Quorum ineptias non solùm reiicit *Becanus* loco ad marginem citato, verùm etiam copiosè admodum refellit *Bellarminus* tomo 1. lib. 3. de Christi Incarnatione capite II. & sequentibus. vsque ad istius libri finem. Neque hi solùm, verùm etiam *Gregorius de Valentia* contra eandem *Vbiquitatem* quatuor libros edidit. Cùm iam ante etiam illi qui religionis nostræ non sunt, eandem scriptis suis seriò oppugnassent. Vtpote *Henricus Bullingerus* libro de duabus naturis Christi; *Petrus Pseudomartyr* dialogo de loco corporis Christi; & *Theodorus Beza* libro de omnipræsencia carnis Christi contra *Brentium*.

ET verò mirum est, homines in tanta *Euangelicæ claritatis*, quam præ se ferunt, luce, ita potuisse à Principe tenebrarum obcæcari, vt dicant CHRISTVM secundùm humanitatem esse vbique; in cælo scilicet, in terra, in inferno, in pane, vino, cereuisia, lacte, oleribus, carnibus, culina, macello, foro. Riderent utique, & cum risu exploderent eiusmodi ineptias pueri, occinerentque *Vbiquitarij* versiculos hosce, *Rutilij* cuiusdam, qui apud *Adamum Contzium* reperiuntur de *vnione & Synodo generali Euangelicorum*,

q *Actione 2.*
in fine cap. 19.
pag. 210.

q *Cur (dictum horrendum) Christi tibi corpus vbique est?*
Saxa replens, & poma replens, & pocula replens,
O mysteria bella, ô vestris digna sacellis
Origina, delubris vix olim cognita Nili.

r *In cap. 3. ad*
Collossens.
Præfat. de
hæret. leuita-
re in princip.
com. 2.

Hinc siquidem est, quod *Vertumnus* ille *Melanchton*, qui viuentem adhuc *Luthero* patrocinium *Vbiquitatis* suscepisse videbatur, eò ad aliam vitam abrepto, eandem iure meritò r irrifisse legatur. Sed claudã ego *Vbiquitatorum* horum delirium verbis grauissimis / *Bellarmini Cardinalis*, quid quod res est non risu sed seriò decernens, hunc in modum loquitur. *Vt Luthere* raris facillè esset, veram Christi carnem in Sacramento habere præsentem, eandem carnem ab ipsa sua conceptione vbique fuisse, ac semper, omniaq; omninò loca, eo modo quo *Dens* facit, replere docuerunt, quod portentum (neque enim dogma, vel sententia, vel opinio; vel simplex etiam hæresis nominari debet) *Scripturis* repugnat, aduersatur *Patribus*, euerit *Symbolum*, CHRISTI naturas cum *Eutychete* confundit; & ipsum denique (quod mirandum videtur) *Sacramentum* destruit,

Portentosa
Vbiquitas,
quanti mali
operetur.

struit, pro quo adstruendo fabricatum est. Et paulò post. *Symbolū verò fidei mon-
strosa hæc ubiquitas, (hoc enim barbaro vocabulo barbarus error nominari meruit)
ita corrumpit atque deprauat, vt CHRISTI Conceptionem, Ortum, Passionem, Obi-
tum, Sepulturam, Descensionem ad inferos, Reuersionem ab inferis, Ascensionem in
cælum, Reuersionem à cælo, non vera & propria, sed metaphórica, ac penè phanta-
stica cum Marcione, & Manichæo nobis efficiat.*

VELIGÆ sine Beligæ.

*Casianus commemorat ex Pelagiana hæresi descendisse etiam Veligarum, asserentum CHRISTVM non esse Deum natum, sed propter merita postea à
Deo assumptum. Et Ibidem capite tertio: addiderunt quoque, inquit, Domi-
num Salvatorem, post baptismum factum esse Christum, post resurrectionem De-
um; alterum assignantes vñtionis mysterio, alterum merito passionis.*

VENATORII nostro hoc seculo XVI.

Fuit nostra ætate *Alcmaria* in *Hollandia Boreali*, & fortassis etiamnum
illic est *Adolphus* quidam *Venator Calvinistici verbi Prædicans*; qui peculiare
quasdam factiones in religionis negotio faciens ac fouens, nonnullos è
collegis suis aduersantes sibi habuit, atque in primis *Cornelium Verhilius*, e-
iusdem omninò loci *Ecclesiasten*. Quorum vterque cum suos haberet de po-
pulo a seclas, exorta est non modica inter eos religionis dissensio & alterca-
tio. Studebat *Venator* tam *Arminii* quàm priuatas quasdam suas sententias de-
fendere ac promouere; sed repugnabat ei acriter *Verhilius* cum consistorio.
Venatori fauit magistratus; cuius ope alter eiectus est. *Venatori* verò interim
declarationem quandã, seu *Professione* edenti, quo pacto schismata in religione
componi possent, opposuerunt se mox anno 1614. publicè sex *Prædicantes*
Dordraceni; utpote *Iohannes Becius, Iohannes Dibbezius, Balthasar Lydius, Da-
niel Demetrius, Iohannes Bocardus, & Daniel Vingneus*. Quo quidẽ scripto præ-
fantur, statutum sibi esse demonstrare, quantũ *Venator* à communi *reformatæ*
Ecclesie doctrina in *Catechismo* & *confessione* comprehensa, deuiet: & quod
sub prætextu charitatis Dei & proximi, disputationes de credendis nihili fa-
ciat, ideoque *Libertinorum Sectam* inuehat, omnibusque CHRISTVM pro ca-
pite recipientibus, *Ecclesiam* aperiat. Prorsus vt iuxta eius opinionem, pro
Ecclesie membris recipiendi essent etiam *Arriani, Samosatani, Anabaptista,*
quin imò, ipsi etiam (quod valdè abominantur) *Papista*. Quid autem ad hæc
Venator, an siluit, an victas manus dedit? Nihil minus. Scripsit enim *Replicã*
non parũ magnã, in qua *Dordracenos* de centum & quatuor ad minus erro-
ribus, in refutatione eorũ commissis, animosè redarguit. De qua quidẽ con-
certatione *Calvinistica* prolixius agit author *Enotici* à pag. 74. vltq; ad pag. 97.

VENUSTIANI ante tempora B. Augustini.

Philastrius & Augustinus de hisce hæreticis obiter agentes, nec eius authorẽ,
nec tempus quando exorti sunt literis consignarunt. Quorũ error hic erat,
quod dicerent, inferiores humani corporis partes, non à Deo, sed à diabolo
factas esse, sicuti & *Paterniani* Ex quo effectũ, vt omni flagitiorũ licentiã illis

t Lib. 1. de
incarnat.
cap. 2.

Quid Præ-
dicantes
Dordraceni
obiecerint
Venatori.

Venator
verò de cen-
tum & qua-
tuor errori-
bus eos vi-
cissim eos
agit.

226 VER. CATALOGVS HÆRETICORVM
partibus indulgentes, impurissimè sceleratissimeque viuerent.

VERGERIANI circa ann. 1557.

De Vergerio sectæ huius auctore nonnulla ex *Hosio* commemorat *Prateolus*, dicens eum *Lutherana* ac *Brentiana* hæreseos acerrimū propugnatorē, *Papatus* auem vehementem insectatorē fuisse. Cum interim de illo apud *Lindanū* & *Staphylum* profundum sit silentium, nec mihi ipsi satis constet, cuius fuerit vel patriæ vel prænominis; nisi quod *Surius* noster ad annum 1567. memorat infœlicem obitum Apostatæ cuiusdam *Petri Pauli Vergerii* (hicine ille sit, an alius, non satis compertum habeo) cui cum interesset celebris quidā Medicinarum doctor *Gablerus*, ex hæretico Catholicum esse factum. *Vergerium*. n. iam iam animam exsufflantem, terribilissimos exhalasse fœtores, ac bouis instar horrédos edidisse mugitus. *Ceterū Vergerius* ille de quo *Hosius* tax quædā leditiosorū hominū existit, factiones fouens, ac doctrinā suam factā rectā permanere posse negans, si *Papatus* incolumis maneat. Qui uti ex scriptis eius colligi posse *Hosius* asserit, modò cum *Zvvinglianis*, modò cū *Lutheranis*, modò vero cum *Picarditis*, sentiēs, vix vlli certæ sententiæ adhærescebat,

VIGILANTIVS circa ann. 406.

Fuit hic non *Gallus* natione uti *Gennadius* putauit sed *Hispanus*, Patria *Calaguritanus*; qui *Barcinonensis* parochiæ Ecclesiā aliquamdiu tenens, *Hierosolymam* sub annum Domini trecentessimum nonagesimum quartum contendit: vbi *Palestina* dicitur tunc terræ tremore quassata, mali ominis indicium prælagisse dicebatur, dum scilicet portentosum hoc monstrum hospitio excepisset, licet tunc de hæresi non satis notum. Qui tamen qualis intus esset, omni videlicet pudore vacuus, foris manifestauit, cū, ut ait *Hieronymus*, subito terræ motu noctis medio omnibus de somno excitatis, ille & tunica & fide nudus, & aliquid habens nocturna crapula, omnium oculis obscenam corporis partem ingressit. *Ceterum* manifestè se prodens, impugnare impudenter aggressus est cultū reliquiarum SS. Martyrū, & qui eas susciperent, *Cinerarios* & *Idololatrias* nuncupabat, qui defunctorum hominum ossa venerarentur; miraculaque apud eas fieri solita, dæmonum assererebat esse præstigias easdemque inutiles omninò esse, quod signa non Fidelium sed Infidelium causa fieri debeant. Et cum *Basilicas Martyrum* declinandas esse diceret, Catholicos qui ibi ex more orationes celebrarent, quasi immundos fugiendos esse docebat. *Iovinianum* quoque Hæresiarcham secutus, impugnabat Virginitatem, ac Cœlibatum Clericorum, ieiuniaque Fidelium. Damnabat præterea cereos, ac lampades in Ecclesia diurno tempore accendi solitas, itemque ex quibusdam apocryphis sub nomine *Esdræ* libris, post mortem nullum pro alio deprecandi facultatem habere asseruit. Improbabat insuper Vigiliis in Ecclesia peragi veteri pro more solitas, præter solennes Paschatis, quas solas retinendas esse dicebat, eleemosynas porro ad loca sancta mitti solitas, damnabat; aususque tandè est effutire montem de quo abscissus esset apud *Danielem* lapis sine manibus, esse diabolum, & lapidem CHRISTVM.

QVA

Vigilanti
hæreses.

v Cap. 2.
vers. 45.

QVÆ quidem omnia apertè liquent ex scriptis B. Hieronymi aduersus pestiferum hunc Hæresiarcham, nostræque ætatis hæreticorum prodromū. Quem & rectius *Dormitantium* appellandum esse ait; quod vigilans dormiret & dormiens adeo sacrilega euomeret. Docuit præterea Ecclesiasticos debere esse vxoratos, & non expedire relictis facultatibus omnibus, religioni se mancipare. Quæ etiam probè in hoc *Novatores* nostri imitantur; imo ipsi & *v Centuria sentum Briarei Magdenburgenses* hunc *Vigilantium* hæreticum haud obscure *4. cap. 8.* inter pios doctosque viros numerare videntur, eumque de Beatissimorum Martyrum superstizioso, vti ipsi nugantur, cultu ac veneratione, benè ac piè forsitan scripsisse, asserunt. Hieronymū verò eius scripta non tã firmis rationibus quàm conuitijs refutasse. Verùm quid de mendacibus hisce *Centuriatoribus* sentiendum, iam superius non semel à nobis dictum.

VINCENTIVS à Drielenburch anno 1608.

Non possum quin etiam huic *Batavo Novatori* locum in hoc hæreticorum albo assignè. Qui patria *Ultrasiedtinus*, cum *Lugduni Batavorum* iurisprudentiæ aliquamdiu operam nauasset, iuuenili quodam arreptus impetu anno 1608. *Desumpta diebus circiter quatuordecim ante Pascha a cum esset Ultrasiedti, dixit in oratione matutina iubito in se descendisse virtutem Dei, veluti diuinam quandã obumbrationẽ atque inspirationẽ, quã certò intellexerit se esse per CHRISTVM iustificatum, & à damnatione redemptum, moxque ita mutatum in nouum hominem, vt non solùm veram fidem & conscientiæ quietem sit adeptus, sed etiam istiusmodi Scripturæ Sacræ notitiam: vt qui prius tanquã per nebulam verbum Dei legerat, nunc clarè ac dilucidè illud legerit & intellexerit imo vt claram Saluatoris faciem sibi impressam viderit. Noueram, inquit, iam cœlestem Patrem, noueram Filium, noueram Spiritum Sanctum. Vnde cœlitus sibi reuelatum fuisse gloriatur numerum bestiæ Apocalypticæ, vtpote sexcentessimum sexagesimum sextum, quem fingit accuratè admodum quadrare in Pontificem Romanum. Quod etiã conatus fuit persuadere Mauritio Comiti, Sed verum risum potius, quàm plausum meruit. Nam non solū ab *Ultrasiedtinis* suis in exilium relegatus est, b sed etiam à *Casparo* quodã *Barlin* publico edito anno Domini 1616. libello *Nebulo* nuncupatus c. Quando etiam *c* prodijt carmen quoddam cum tali inscriptione. *In Vincentium à Drielenburch, nequitia omnis & spurcitia colluniẽ, ex vrbe & ditione Ultrasiedtina pro merito scriptum.* Cui equidem carmini eiusmodi subiunctum visitur anagramma.*

VINCENTIVS A DRIELENBORCH.

EN HIC TVRBO DE LIRANSVNICE.

Alius porro quidam (sic *Batauus Batauum*, hæreticus hæreticum excipit) pressius ipsum designans, cucullum confecit inscriptum hoc symbolo *DrIeLenbVrCh PaVs van alle sotten*. id est, omnium stultorum Papa. Quod latinè breuius sic dici poterit. *DrIeLenbViCh* planè *STVLTVS*, sed missos facientes suis cum stultitijs eiusmodi stultos, relegamus lectorem ad *Enotici* Scriptorem; qui quos præterea in ipsum, vel ipse in alios *Caluinisticæ* farinæ homines libros conscripserint, quasque sibi mutuo hæreses impegerint, varijs in locis perconsuet.

Idem quoque *Enotici* author, non pauca habet de *Conradi Vorstij* (ab hoc enim sectam hanc prodijisse constat) erroribus; quos non tam Catholici seu *Romanae fidei* Scriptores, quàm ipsimet *Batavi Theologi*, eidem impingunt. Qui patria quidem *Coloniensis* fuit atq; ibidem *Laurentiani Gymnasii* studiosus, sed *Steinfurtum in VVestphalia* te recipiens. *Caluinisticam* amplexus est perfidiam, ita tamen vt non tam planè eidè inhæserit, quin etiã suo de cerebro alia nonnulla falsa atq; impia dogmata concinnauerit. Quorù equidem reus actus est & accusatus *Hagæ Comitum* anno 1611. à sex cõtra-Remonstrantibus, vt potè *Ruardio Aconio, Liberto Fraxino, Petro Plancio, Iohãne Bogardo, Iohanne Becio, Feste* deniq; *Hommio*. Qui animaduertentes *Promissores* scholæ *Leidensis* velle post obitù *Arminij Vorstium* istic in professorè adsciscere, infesto planè animo obstitere; publico scripto cõstare sibi fatentes, *Vorstium* iã antè annos facile duodecim ad *Arrianã & Fausti Sozini* hæresim à reformata Ecclesia descivisse, & ad *Atheismum* propendisse, atque id genus alia. Ex quibus inferebant, *Vorstium* ad *Academiã Leidensem* vocare, nihil esse aliud, quàm dissidiorum incendium (hoc enim tunc *Arminianos* inter & *Gommaristas* in *Hollandia* quàm maximè flagrabat) oleo velle restinguere. Quibus equidem rationibus permoti *Leidenses*, accensum à se *Vorstium* aliquantò post *Goudam* relegantes, aliquale vitæ subsidium eidem contulerunt, & ne quid turbarum excitaret, demandarunt: maximè quando & *Iacobum Britannia Regè*, & alios antagonistas cõplures haberet, qui & calamo, & viuo ore certatim in eum velitarentur. E quorum numero cum primis fuere *Sibrandus Lubberti*, Professor *Franckerensis*, & *Adrianus Smoutius*, qui etiam edidit, *lapidem Lydium* ad examinandos *Vorstii* articulos. Quin & *Scotus* quidam natione, *Georgius* videlicet *Eglisemius* prouocans *Vorstium*, coram *Ordinibus*, accusauit illum ibidem non solum *Atheismi* & *Ethnicismi*, verùm etiam *Iudaismi* & *Turcismi*; comparans illum insuper cum *Simone Virgiliano*; qui dolo instruetur, & arte *Pelasga*, Sustulit exutas, vinclis ad sidera palmas.

Ad longum
hac profe-
quitur au-
tor. *Enotici*,
pag. 61. &
equent.

Aenoid. 20.

SED quid mirum si *Scoti* & *Batavi Vorstium* oppugnent, vt potè externi & peregrini, quãdo apud ipsos etiã *Steinfurtenses VVestphalos* apud quos familiariter conuersatus, & per annos circiter ter quinos *Professoris* publici officio, functus est, pessimã quoque ratione doctrinæ suæ impiissimæ, gratiam iniit. Prodiit eum apud illos & ab illis anno 1614; libellus quidam, in quo propalam eum *Socinianismi* reum agunt, aliarumq; insuper impietatum insimulant, idque cum inscriptione admodum contumeliosa, quæ sic habet. SOREX VORSTIANVS. Hoc est. D. Conradi Vorstii Theologi Confessio de iustitia Dei, merito & satisfactione Christi, fide iustificante, & hoc genus alius. Ex autographis fideliter descripta; idq; in hunc usum, vt cum ille in sinu foueat *Socinianismum*, cuius ex piis lectoribus liquidò appareat. Et his quidem contumelijs, dictis, atq; opprobrijs *Vorstium* excipiunt illi, qui cum illo in eisdè *Caluiniana schola ca-*

Aris militant. Quando interim nonnemo ex nostris contra eundem ex professo scribens, & à talibus abstinens, multò maiorem modestiam præ se fert, & argumentis potius solidis, quàm scommatibus falsis atheismos eius refellit. Qui in *Tractatu de Deo & attributis diuinis*, quã Moguntia anno 1611. edidit, ita in præfatione ad Lectorem de eoloquitur. *Quidã, Conradus Vorstius Calvinista, nescio ex quo antro, non ita pridem in lucem protrusit tractatũ suum de Deo & attributis diuinis, homo arrogans & improbus, tã impiè de Deo sentit ac loquitur, ut atheus potius, quàm Christianus esse videatur. Nam ut alia multa paradoxa prætereã, ausus est Orbi Christiano hos errores obtrudere, ac diuulgare utpote:*

*Martin Be-
canus Socie-
lesi Theol.*

*Atheismi
aliquot &
hæreses Vor-
stiani.*

1. Deum non esse infinitum.
2. Deum non esse vbique præsentem, sed tantum in cælo; & quod indè sequitur; CHRISTVM; cum in terris vixit, non fuisse verum Deum.
3. Deum non esse totum in qualibet re, in qua est.
4. Deum esse diuisibilem, & quantitate præditum.
5. Deum esse compositum.
6. Æternitatem Dei non esse indiuisibilem ac totam simul, sed successiuam.

7. Decreta Dei esse vera accidentia, distincta à substantia Dei.

8. Decreta Dei non esse æterna; atque id genus alia, homine Christiano penitus indigna. Qui si adhuc in latibulo isto suo *Goudamo* superest, optimè consulat salutem suam, si ad exemplum nonnullorum *Leidane* scholæ Professorum (*Bertium* dico & alios) ad *Catholica ac Romana Ecclesia* sinum se recipiens, *Coloniensem* in qua natus est, *Vrbem* reuisat, seque meliore catechismo imbuen dum patrios suis committat.

WALDENSES circa ann. 1160.

Variant auctores nonnulli de tempore, quando exortum sit hoc hominum genus. Nam iuxta *Truhemii chronicon* ponitur annus 1160. iuxta *Guidonem* verò in *summa sua*, cap. primo decennio post; à *Valdone* nimirum, mercatore quodam *Lugdunensi*, (qui tamen & aliàs, *Pauperes de Lugduno* nuncupantur) admodum opulento. Qui facultates suas in pauperes distribuens, *Apostolicam* videbatur vitam præ se ferre velle, hoc prætextu non exiguo errorum næuos cumulans, & in vulgus spargens. Sed damnati sunt in Concilio Generali *Roma* habito circa annum 1170. Quorum errores præcipui erant hi: non miscendum oleum sacrum in Baptismo, frustra teri tempus in canticis Ecclesiasticis, & horis canonicis recitandis, nec ab esu carniū & ouorum in Quadragesimali ieiunio abstinendum; tum quoq; Sacerdoti ad aurem non confitendum, nec Confirmationis Sacramentum suscipiendum; imagines porrò tanquam rem idololatricam tollendas; affirmabant; irridentes intuper indulgentiarum Pontificiarum usum. Mendicantium autem familias, religiosè ac castè viuentes à diabolo inuentas aiebant; con-

*Præcipui
Valdensium
errores.*

tra verò, perurente carnis libidine, carnalem omnem commixtionem licitam esse. *Arque id genus alia, sicuti ad longum commemorat Prateolus, titulo, Pauperes de Lugdunno. Item d Aeneas Syluius: nec non & Guido Carmelita, ex professo cõtra eos scribens. Qui etsi tanquam contumaces atq; in erroribus obstinatè perseuerantes, ab Ecclesia damnati & excommunicati sint, circa annum tamè Domini 1230. repul- lutare cõeperunt, & cõtra Sacramèta Eucharistiæ, Pœnitentiæ & extremæ Vnctio- nis debacchari. In quos grauitèr inquiri & animaduerti iussit Fridericus Imperator.*

VVICLEPHISTAE circa ann. 1360

Famosa hæc hæresis ortum suum habet à Iohãne VViclepho, Qui natione Anglus, & professione Sacerdos, promotione verò artium magister, e cum Episcopatu Vi- gorniensis ad quem aspirabat, potiri nõ posset, factus est Hæresiarcha pelsimus, scrip- sitque volumina aliquot quibus in Ecclesiam Catholicam vehementer debacchatus est. De quo hunc in modũ Iohãnes Niderus, qui floruit anno 1410. f Viuebat in Anglia infra sexaginta annos quidã secularis Sacerdos, artium professor, acer ingenio, & elo- quentia lepidus, sed errore scriptis & vita nedum hereticus, sed Hæresiarcha, Iohan- nes VVicleph dictus, qui in suis libellulis in Anglico & Latino doctrina noua Rẽpublicã tam secularium, quàm Ecclesiasticorum subuertere molitus est. Huius articuli quot, pro tunc, & postea, & modo occulti sint, & facti sint heretici in Anglia. norunt qui ibi steterunt. Imò non longè post Nideri tempora, omnibus passim innotuere per Con- cilium Constantiense, in cuius sessione octaua enumerantur articuli 45. quos totidem verbis Prateolus recenset. Hieronymus porrò de Praga, qui ea tempestate in Anglia literis operam nauabat, VViclephi hæresim auidè imbibens, atq; in Bohemiã redi- ens, eandem longè lateq; ibidem propagauit. Docebat autè inter cætera, substantiã panis & vini materialis post consecrationẽ in sacramento Eucharistiæ remanere. vndè Christum non esse ibidem realiter in propria persona: nec vsquam in Euange- lio reperiri eundẽ Missam instituisse. Item Episcopos & Sacerdotes in peccato mor- tali constitutos, nec ordinare, nec cõsecrare, nec absoluerè: Confirmationẽ, Ieiuniũ, Clericorum ordinationem, locorum consecrationẽ, reseruari Papæ & Episcopis, ob- lucri duntaxat temporalis emolumentum, & ambitionis incrementum. Romanam porrò Ecclesiam, synagogam esse Sathane; nec habendum Pontificem pro CHRISTI Vicario imò illius elect onem à Cardinalibus illius per Cacodæmonem introdu- ctam, atq; id genus complura, quorum nõnulla tanquam erronea & hæretica non solum confutantur à Thoma VValdensi, ex professo contra VViclephum scribente, ve- rum etiam ab alijs qui controuersias enodandas susceperunt. Suntque ex his non pauca apud Gregorium de Valentia quarto commetariorum Theologicorum tomo. Ibi enim huic se monstro opponens, refellit VViclephum g asserentem CHRISTVM esse naturam diuinam & humanam non modò copulatiu, sed etiam diuisè & sigil- latim: h item, negantem Verbum diuinum potuisse, quamuis aliam humanitatem, etiam non ex stirpe Adæ, assumere; tum quoq; per baptismum venialia omnia pec- cata aboleri. k nullumq; in vllò Sacramèto characterem imprimi. l Non agnoscen- rem in super confirmationis Sacramentum; m sicuti nec confessionis seu Pœnitentiæ; n dubitantem etiam, an Baptismus esset paruulis ad salutem necessarius, o ipsa s que a deo indulgentias irridentem. Ad quem Lectorem remitto

CAETERVM, quia VViclephus iam dudum impiam exhalauerat animam. ante- quam Concilium Constantiense, in quo eius hæreses discussæ ac damnatæ sunt, cõsue- rit

cadauer

eadauer eius (si quo modo ab alijs Fidelium corporibus discerni posset) ceu no-
Hæresiarchæ, exhumari & incinerari. Obiit autem paralyti, cum putaret se præcō-
cione more solito os blasphemum in cælum positurum, ac Superis male precaturum
anno 1587. die mensis Decemb. 29. vti prodidit *VValsinghamus*, Anglicanæ
Scriptor historiarum.

VVIGANDVS circa ann. 1566.

Lutherani huius hæretici ideò hic obiter mentio fit, quod non solum *Bellarminus*
errores eius, & in Catholicam Ecclesiam calumnias nonnunquam refellendas sus-
cipiat. verùm etiam *Surius* noster scriptorum ipsius & errorum suo in commetario
meminerit. Et maximè ad annum 1566. quando mente Ianuario orbi obtrusit *admo-
nitionem* quandã (hic. n. titulus est libri) *de bonis & malis Germania*, in quo vix pa-
gella reperitur vna, quæ non suis scateat mendacijs. Qui quidem vnus putatur fu-
isse, ex pestiferis illis *Centuriarum Magdeburgensium* architectis, prænomine *Iohã-
nes*, ore non minus quàm calamo maledicus. Quemadmodum idem *Surius* ad oculũ
ibidem latiùs ostendit.

XENAIAS circa ann. 485.

Zenone Imperii habenas gerente, exstitit *Xenaias* quidam natione Persa, morib^o
planè barbarus & improbus, imò seruus fugitiuus, qui necdum sacri baptismatis
vnda expiatus, simulans se Christianum, ad Episcopatum per fraudem irrepit, pri-
musq; omnium blasphemiam hanc euomuit, vt diceret CHRISTI, Angelorũ, atque
Sanctorum imagines non esse venerandas. Immutans porrò nomen suum, & *Phi-
loxenum* se nancupans, cum in familiaritatem incidisset *Petri Fullonis*, ab eodem
creatus est Episcopus *Hierapolitanus*. De cuius nequitijs latiùs agit *p Nicephorus*.

p. lib. 16.
hist. cap. 27.

ZENON Isauricus ad Imperium euectus ann. 474.

Hic cum supra modum flagitiosus esset, non tam vti Augustus, quàm tyrannus im-
peritavit; *Eutychetis* ac *Dioscori*, vnam duntaxat CHRISTO naturam tribuentiũ
hæresi quàm maximè imbutus. Adeo tamen vaser & sui dissimilis (teste *Prateolo*) vt
suo *Henotico*, id est, conciliatorio seu pacificatorio edicto *Chalcedonensem Synodum*,
in qua ea hæresis damnata est, neque reiecerit neque comprobauerit, sed potius in
eadem obierit: mortem paulò post sortitus à sæculo vix auditam. Nam lethargo
seu morbo comitiali correptus, ac pro mortuo habitus, sicque sarcophago inclusus,
plurimorum cum gaudio humo est obrutus *Areadna* vxore prohibente & custodias
admonens, ne quis vociferanti suppetias ferret, idque: **non post natum Christum**
491. Quemadmodum in *chronologica Imperatorum historia* a nobis dictum.

ZISK A vide Iohannes.

ZVINGLIUS sub initium Imperii Caroli V.

Claudat hoc infœlix *Schismaticorum, Hæreticorum, ac Hæresiarcharum* agmẽ *Hul-
dericus Zvinglius*, execrãdi nominis apud *Heluetios* Hæresiarcha. Qui ex milite fa-
ctus *Canonicus Constantiensis*, bellicosam illam gentem ita errorum suorum laby-
rinthis implicauit, vt etiamnum inde se extricare nequeat. Quem *Lutherus* tota sua
cum *Sectariorum* cohorte cane peius & angue detestatus est, q nuncupãdo illum per
contemptum ac sarcasum *Christophorum* atque *Gigantem Tigurinum* vt pote qui
Tigurinis persuasit, nec *Lutherum* nec *Carol stadium* veram articuli de coena Domini
intelligentiam habere. se autem à peculiari quodam spiritũ secundũ quietem (atq;
verò an albus ille fuerit, discernere non satis quiuit) penitus instructum esse de ge-

q. tom. 3o
lenens.

nuina significatione verborum coenæ Dominicæ, vbi pronomen, *Hoc*, significat *est*. Cū errori & alios adiunxit plurimos. Nam & cum *Pelagio* negauit librum arbitrium, & cum *Nestorio* malè de *CHRISTI* diuinitate sensit. Nec *Lutherus* solùm *Nestorianismum* eum infimulauit, verùm etiam *Brentius* in quodam libro publicè protestatus est, *Zyvinglianorum dogmata esse diabolica & impietatis plena*, imò redundare illorū omnia de prauationibus, strophis calumnijs, ita vt nihil denique maneat de articulis veræ religionis, sed inducatur in Ecclesiã *Ethnicismus* *Talmudismus* & *Mahumetismus*.

CAETERVM *Zyvinglii* doctrina fuit in conuentu *Badensi* anno 1528. damnata ac proscripta, vtpote *sacramentaria* & *Caluinismo* postmodum contesserata, ita vt *Caluiniani* nostro hoc æuo etiam *Zyvingliani* ab authore nuncupentur. Inter quos octo diuersas versari sectas (alij verò plures enumerāt) testis est *r Staphylus*. Porro *Zyvinglius* postquam cæterorum more hæreticorum ex Ecclesiastico (venditis enim beneficijs, vxorem duxit) factus esset coniugatus, non contentus ista sua sorte, etiam miles castra sequi voluit. Nam cum anno 1531. *Heluetiorum* Catholici, quos *Quinquagicos* vocant, cum *Zyvinglianis* præliaturi in aciem prodirent, *Zyvinglius* hasta inter cohortes strenuè pugnans, quadragesimo quarto ætatis suæ anno, interemptus est cum aliis mille quingentis. De quo hunc in modum *f Cochlaus*. Repertus fuit in ea strage *Zyvinglius*, omnis perfidiæ discordiæque inter *Heluetios* author, à duobus Catholicis, pronus in facie adhuc spirans. Quem illi non cognoscentes interrogarunt, an vellet confiteri. Superueniens autem alius qui eum cognouit, lethale ei infixit vulnus, Capitaneisque protinus indicauit. Qui iusserunt eū sisti iudicio publico, in quo sanè iudicatus est vt proditor, atque combustus vt hæreticus. Hæc quidem *Cochlaus*,

cum interim *t Florimundus Ramundus* rem accuratius describens, & *Chronicon Basileense* in testimonium aduocans, antequam *Zyvinglii* cadauer cremaretur, in gressu hæres. quatuor partes dissectum fuisse narrat. Quin euilcerato etiam adipem detractum (erat enim admodum obesus & corpulentus) eoque ocreas militum inunctas, sicque

Occubuit patrio bellator Zyvinglius ense.

Et hic fuit infœlix *Zyvinglii* exitus, quem multis cum alijs Hæresiarchis communem (vti de diuersis superius probatum) habuit. Cuius manibus *Frustranis* hisce versiculis parentabimus, ad nomen ita alludentibus,

Dat tibi condignum vehemens agitatio nomen,

Quæ magis est animo vis agitata tuo?

Sic fuit, vt narrant, furus agitatedus Oræstes,

Cade recens velut matris adulterium.

Te iugulum sanctæ matris, scelerose, petentem

Quot furis, quantum peius oportet agi? &c.

Tu patriam Furis agitas, agitatedus iisdem;

Marte sed infauisto, Dux miserande, cadis.

Nunquid apud Stygias agitari de sinis vmbra?

Pluto Ixioniam det tibi iure rotam.

ET SIC EST FINIS, SIT LAUS ET GLORIA TRINIS.

Saluo semper Ecclesiæ Catholicæ
Romanæ in omnibus
iudicio.

*r Lib. de
Lutheran.
concordia
pag. 109.*

*f Libro ac
actis Luthe.*

*t Lib. 3. de
ortu ac pro-
gressu hæres.
cap. 4. nu. 5.*



2752